



En damus tibi christianissime lector, Commentaria Bibliorum et illa brevia quidem ac catholica, eruditissimi simul ac pijssimi uiri Chuonradi Pellicani Rubeaquensis, qui & Vulgatam commentarijs inseruit aeditionem, sed ad Hebraicam lectionem accurate emendatam. Habes autem in hoc opere quicquid syncerae theologiae est. Ideoque si sapis ex ipso potius Sacrorum fonte, quàm riuulis Religionem ueram imbibe.

<https://hdl.handle.net/1874/399996>

**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

108

Pl. F. N^o. 13





veit 179 14
S. 179 14

25.

d.







N^o. 37. 0.

~~N^o. 37. 0.~~

IN SACROSANCTA

QVATVOR EVANGELIA ET APOSTO-

LORVM ACTA, D. CHVONRADI PELLICANI

Rubeaqueñ. Commentarij, in quibus ueluti Com

pendio selectissima quæq; congesta habes,

quæ hodie in illa cum apud Priscos

tum apud Neotericos Euange

liorum interpretes or=

thodoxos extant.



Ex Donatione Hüb. à Brüssel.

Non pudet me Euangelij Christi. Potentia siquidem
dei est, ad salutem omni credenti.

TIGVRI IN OFFICINA FROSCHOVIANA, MENSE
MARTIO, ANNO M. D. XXXVII.



CANONICAE SCRIP

PTVRAE PIIS ET MODESTIS LECTO

RIBVS, ECCLESIARVMQVE IN VERBO MI

nistris, Chuonradus Pellicanus Rubeaquen

sis Christum dominum scire, ui

uere, & docere.



EQVIS DE hoc labore nostro explanatio num Euangelicæ historiæ, aut de animi nostri proposito aliter iudicet quàm conuenit, uisum est nunc quoq; per præfationem breuiter et tamen planius rationem huius reddere. Quemadmodum enim prudentis est nihil sine consilio aggredi, sic æqui & moderati hominis officium poscere uidetur ut suorum doctorum & factorum benigne rationē reddat,

quoties hominum iudicia, sæpe nimium præcipitantia, possent in pernitiosam prauitatem deflectere: quorum alterū ad res probe conficiendas plurimum habet momenti, alterum efficit ut recte aut secus instituta per nos, alij tum exactius queāt iudicare, tum rectius imitari aut declinare, tum felicius uti. Eapropter censui literarum sanctarū studiosis causas præcipuas aperire, cur post tot uiros, tam eruditione quàm sanctimonia conspicuos, ad exponendos Euangelicæ historiæ libros, uel potius ad exponentium electiores sententias colligendas, stilum meū amicis gratificaturus conuerterim, quamquæ uiam ingressus sim, & quæ modum seruare uoluerim, tum quo modo uel istis nostris uel aliorū Commētarijs utendum censeamus. Ut quæ possit euidentius propositū meum cognosci, uidetur ab initio altius repetēda ratio interpretandi authores sacros. Etenim genus hoc literarum, quo scriptores diuini explicantur, ut uiris ecclesiasticis receptum & uetus est, ita consilio dissimili & successu dispari ab initijs ipsis ad usque nostra tempora frequentatum est. Alius enim sic interpretandum suscipit aliquem Scriptorem sacrum, ut sensum genuinum quàm propriissime atque planissime proferat, tum uerborum uis exposita, tum sermonis ac loquendi forma indicata, tum rebus abstrusioribus in lucem datis, interim sublatis quæ scrupulo torquebant, & confirmatis quæ dubia erant, & per similia per quæ magis nota illustratis quæ tenebris erāt prius obducta. In quo genere primatum obtinet inter ueteres D. Hieronymus. Et multorū quidem explanationes uel commen

tationes exegetici quoque libri amissi sunt, uel etiam suppressi. Amat autem Commentaria sacrorum uoluminum magis etiam quam prophana scripta, præter fidem ac diligentiam, breuitatem, simplicitatem, perspicuitatem, eruditionem, iudicium. At quia sunt hominibus partim occupatis partim imperitis destinata, conuenit ex instructo ueluti thesauro bonæ eruditionis optima, præsentis loco idonea, menti scriptoris interpretandæ necessaria deligere apte ac prudenter, eaque succincta & tamè perspicua breuitate proponere, siue certis hominibus, siue multitudini explanatio paretur. Nihil hic affectatione molestius aut magis aduersum, ut commentarius indigeat commetario, & discere uolentes magis inuoluantur quam à difficilioribus nodis explicentur. Siue autem uocetur hoc genus interpretandi Scholasticum, siue Grammaticum, siue Theologicum etiam, ut Iurisconsultum etiam appellamus quod leges ciuiles explicat, & Medicum quod libros medicorum edisserit, non multum refert: hoc tamen proprium habet, ut doceat, et sensum germanum scriptoris quam rectissime cognoscendum exhibeat. Porro quum scriptura diuinitus inspirata non sit priuatæ interpretationis, ut nec humana uoluntate ad mortales delata est, alicubi mens authoris altissime latet, ut non nisi prius coniecturis æstimari possit. Vbi tutissimum fuerit modeste pronunciare ac religiose dubitare, non quidem de ueritate oraculorum diuinorum, quæ ueritatis irrefragabilis sunt, uerum de natiuo sensu præsentis loci, quæ adipisci hominibus leuioris afflatus non datum est: siquidem eo spiritu sunt exponendæ scripturæ, quo etiã primitus suggeste sunt scribenti. Et uaria negotia possunt in præsens intelligendi uim præpedire. Itaque si minus datum est attingere ac producere alicubi germanum sensum authoris, attamè proximus & uerbis alijsque scripturæ locis manifestis non repugnans indagetur, certe qui cum alijs quoque disertis enunciationibus canonicæ theologiæ congruat. Ad hæc uariæ multorum interpretationes aut aliqua selectissima sub animi iudicium ponantur, & Lectori permittatur liberum, ut sumat quod maxime uero consentaneum uideatur.

Alterum genus tractandi scripturas Ecclesiasticum est, et magis Propheticum seu Theologicum, quum non tantum simplici explanatione natiuus sensus edisseritur, sed eruta ueritas latius diffunditur, atque ad ædificationem uel lectorum uel auditorum aptatur. Nam scriptura non est unius populi, aut temporis, aut regionis, sed quæcumque scripta sunt, Apostolo teste, ad eruditionem etiam ultimæ posteritatis per scripta sunt, ut singuli homines, aut uniuersitas per legitimam scripturæ tractationem & possit & debeat institui, tum ad cognoscendum res salutis, tum ad agendum æterno deo placita. Itaque rationem optimam sequuti sunt &

exemplum

AD LECTOREM PRAEFATIO.

exemplum tam prophetarum quam apostolorum, qui diuinas literas sic tractare instituerunt, ut iam per Theologica principia certissimasque sani iudicij positiones (uelut Per fidem in Christum obuenire omnibus credentibus salutem aeternam) iam per hypothesas & suppositiones (uelut Galatis persistendum in sinceritate fidei) oracula diuina pro circumstantiarum conditione ad formulas uirtutum & uitiorum, ad numinis diuini aliarumque rerum beatitudinem ueram spectantium, notiones accommodarunt. Nisi enim ostendatur praesentibus hominibus ut ad illos etiam pertineant ueteribus dicta, ut uita ad regulas diuinas dirigant, quid corrigant & emendent, quid reddant absolutius, quid de nouo instituant, sterilis uidebitur, praesertim apud uulgus, omnis scripturae interpretatio. Vbi necessaria est fidi pastoris uigilantia, & inuestigatio sagacissima, ut norit totius gregis commissi statum, quo morbo laboret maxime, quid insidietur saluti populari, quibus uirtutibus praecipue indigeant, quibus uitijs correpti sint, ut pie, apte, prudenter ex oraculis praescriptionibus feliciter tractatis ecclesiam ad fidei sinceritatem ac uitae sanctimoniam perducatur. Quae res indiget magna rerum diuinarum peritia & usu, uirtutibusque non uulgaribus. Sunt item praecipua multa conscripta per uiros eximios de uiri Ecclesiastici tum alijs functionibus tum scripturarum tractatione probabili. Nemo autem uetat, quin per Allegorias, per Tropologias, per Anagogas, aut alias etiam formulas accommodandi scripturam coelestem ad aedificationem auditorum, adhibeas sententiam aut factum aliquod, si natua intelligentia perstet incolumis, & ingeniosius producta, pie prudenterque pro temporis loci personarum & rerum conditione accommodentur. Cuius tractationis artifices habentur Origenes, Chrysostomus, Augustinus, qui sui temporis uitia & haereses perstringunt, homines suos hortantur aptissimis rationibus ad omne genus uirtutis & pietatis. Caeterum hoc genus edifferendi scripturas, siue tractetur continua paraphrasi, aut metaphrasi latiore, siue locus aliquis decerpatur in praesens aptissimus, siue intercisa oratione uerba sacra cum explanatione apte conferantur, eam habet cum Scholastico asinitatem & coniunctionem, ut alterum alterius ope indigeat. Nam Ecclesiastico tractatori uersanti etiam in grauissimis quaestionibus saepe uerborum uis & proprietates explicanda est, aliaque usurpanda ex Grammatica explanatione. Scholastico autem interpreti praesidium est petendum a iuste dogmatum tractationis perito, ut omnis scripturae sanctae uersatio ad uitae institutionem deriuetur, neue auditores discedant a diuinae mentis praescriptis animo tam frigido tam inani quam disceditur a fabulis & congerronis alicuius sermunculo, quod etiam Philosophiae pulpitis indecorum esse magni uiri censuerunt: quin dimittendus est discipu-

lus & doctior & melior & ad pietatem affectior

Vnde nascitur tertium genus interpretandi scripturas & quasi medium, quod scribentibus commentarios, non certis hominibus et paucis, sed in usum publicum, sero placuit, ut sententia scriptoris diuini propriissime prodatur, simulque uel breuissime annotentur quae indicent usum cuiusque loci, ut alijs erudiendis possit aptari, quae mox quisque accepta occasione fusijs prosequatur. Caeterum in his omnibus inualuerunt uitia humanae corruptionis, ut quorundam commentationes non modo ipsae perpravae conspiciantur, sed etiam uel scripturis illata, in alienissimas sententias detorsisse illas deprehendantur. Alios enim fatigauit incitia & temeritas, ut pariter impudentes & irreligiosi de ignotis confidentissime iudicarent ac pronunciarint. Quidam ostentatione ambitiosa transuersum abrepti magis uoluerunt declarare quid ipsi scirent quam quid scriptor sentiret, magis suam famam dilatare quam studiosos prouehere. Alios impulit quaedam libido rixandi, & errores suos quaestumque cum fastu defendendi, aliena quoque carpendi, ut arrepta occasione interpretationis non tam obscuris sententijs tenebras & difficultatem ademerint, quam stomachum ac bilem feruescentem releuarint. Atque utinam haec indigerent demonstratione. Quae in praesentia persequi non est propositi nostri, nec ad Lectoris utilitatem pertinet. Mihi uero placuit tertium illud & mixtum genus interpretationis sequi, ut sententiam loci cuiusque tum exactius, uti uel ego ualui, uel alios potuisse inueni, tum breuissime simplicissimeque aperirem: rarius interim de uerbis ac sermonis artificio differens, quae spiritum sanctum in sacris potius dissimulasse quam sectatum uidemus: simulque ad usum ecclesiae formandae accommodarem, ea breuius perstringens quae ex praesenti lectione possent hauriri. Magis quoque uolui occasionem dare cogitandi eruendique meliora pio, zeloso, et mediocriter erudito Lectori, quam omnia tractare ad plenum, quod immensi foret operis, & ingenium amplius expetentis. In hoc etiam sic aliorum expositiones sequutus sum, ut plerumque ipsorum uerba et integras paginas transcripserim, quando uehementer arridebant, & meliora ab alijs tradita non uidebam. In primis uero D. Erasmi Roterodami in his scriptis sententiam posui, nihil moratus eos qui non tam expendere uolunt quid, sed a quo idonee ueritas orthodoxa & certa tradatur. Abstiniui autem a nominibus, non ut fucum facerem Lectori, ut mea, quae sunt paucissima, suppresso nomine putarentur, quae aliorum sunt inuenta. Quomodo enim latere possem, & Aesopicae corniculae risum effugere, quum libri omnium tam prisca quam neotericorum in orbe extent uniuerso, ex quibus commentaria haec adhibito iudicio & animo iuuandi simpliciores ac indigentes,

AD LECTOREM PRAEFATIO.

gentes, collegimus? Nec mihi quicquam ex hoc opere uendico, quam laborem legendi, iudicandi, transcribendi aliorum bene dicta, ad breuiandi quoque, & nonnunquam latius explicandi, mea sparsim interponēs, quum alij non possent per omnia probari. Sed abstinui à nominibus authorum, partim studio breuitatis, partim ob molestiā illam nomenclaturæ uitandam, partim animo quorundā infirmo consulens, qui ueritatem clarissimam per se agnoscunt, sed sub hominis alicuius parum sibi probati titulo exhibitam refugiunt. Certe in explanationibus ueteris instrumenti, apud Iudæos alicubi repertum est quod non debebat ignorari, uerum sub titulo Iudæorum sæpe turpissime halucinantium & impie de Christo pronunciantium, ad hæc nomini Christiano aduersissimorum, eadem per se probabilia rariores habuissent approbatores. Aliquando autem ista ueritas animo iam concepta nō reiicietur, etsi quis incidens in cōmentarios Iudaicos illam agnoscat. Nec ignoro aliquos multa etiam alia uel desyderaturos uel reprehensuros in labore nostro, quoniam nemo placuit omnibus, rarus est autem qui multis semper placuerit, sed nec ut placerem, uerum ut prodessem indoctioribus tantum, opus institui. Non deerit qui superuacaneū dicet, ac hominis otio abutentis, post tot uiros eximios quicquam moliri ad exponendos Euangelicæ historiæ scriptores. Illi respondeo, quod illis multis interpretibus non defuit causa propter quam prioribus non essent contenti, sed putarent se operæpretium facturos si aliquid prius recte traditis adiecissent, aut minus recta uel castigassent uel indicassent uolētibus cauere. Ac sanè scripturarum metallum ditissimum semper indagantibus fructum laboris non pœnitendum rependet. Inuenient etiam posteri quæ priores non animaduenterant. Et utinam quidam nostri temporis docti & piij, institutum à principio cursum absoluissent, qui à scripturarum tractatione ad contētionēs callidiores abrepti sunt: aut nūc saltem curriculum istud sanctissimum repetant. Nec sit eximijis interpretibus nec studiosis hominibus scribendo iniuria, quum neque illorum operationes doctæ & piæ damnantur, nec Lectores ab illis abstrahuntur aut ad nostra legenda adiguntur. Alius ideo forsan me accusabit intemperantiæ, quod nouum librum ex superiorum dictis recensinnauerim. In quo exemplis magnorum uirorum me primum defendam, Bedæ, Rhabani, & eius qui Glossam Ordinariam congeffit, ut alios taceam, qui pro uirili occultarunt se coronam nouam ex aliorum operibus retextis cōtexuisse. Deinde rationes in promptu sunt. Quot enim sunt ex studiosis Theologiæ, qui per inopiam authores omnes commercari nequeunt? Quot occupati, quibus legere nō uacat, ut optima quæque uelut apiculæ in aluarium suum referant? Quot sunt, qui

omnia illa diiudicare non possunt, etiamsi maxime suppeteret copia librorum & tempus legendi: Huc adde, quod in nonnullis legēdis plus est operæ quàm precij aut fructus. Istis igitur uel tenuioribus quàm ut omnium commentarios parare queant, uel occupatis ut legere non uacet, uel imperitoribus ut exacte omnia discernere aut iudicare ualeant, nec habentes copiam docentis uoce uiua, noster hic qualiscunq; labor desudauit, ut ex omnibus selectissima certioraq; in unum librum congererentur. Idq; feci eo libentius, quod uiri quidā boni ad hoc munus capessendum hortati sunt. Magis etiā instigauit felix euentus Commentariorum nostrorum in uetus Testamentum, quos typographus noster etiam non segniter uenum abijisse testatur, & amici per literas testantur quàm grata fuerit studiosis hæc opera. Si quis fastidiens hanc simplicitatem sedulam magis & fidelem quàm ad pascendos uanos animos paratam et comptam, eloquij autem uenustatem requirat, habet sanè alios uel scripturæ diuinę interpretes, uel bene dicēdi magistros professos. Si cui cordi est constrictior breuitas, non deerunt quorundam annotatiuncule. Vberiora poscētibus, flumina etiam redundantissima currunt, quibus cupiditatem expleant. Hoc mihi præcipue in uotis & studio fuit, ne quid catholicis dogmatibus & orthodoxis patribus contrarium hic aut alibi assererē. Vbi autē fuerit deprehensum, quod scripturis canonicis pugnantia propinaui, notetur à peritoribus, reprehendatur, reuincatur idoneis rationibus, proferatur in publicum, ne incauti impingant in eundem scopulum. Equidem admonitus erroris impij statim corrigam, & monitori gratias agam, alijsq; author, quantum in me situm erit, ad fugienda noxia dogmata esse non erubescam. Proxima cura fuit, ut natiuus sensus scripturæ produceretur quàm breuissime, & planissime, non tamen sine indicatura, ut enunciatum quodcūq; aut factum aptari queat & debeat uel ipsis nobis instituendis uel alijs ad pietatem synceram & integræ uitæ officia erudiendis. Et hæctenus propositi operis consilium aperire uoluimus, quod si cui arridet, faciat periculum an præfixum scopum calamus attigerit, & si ad optatum finem me peruenisse conspexerit, labore nostro feliciter fruatur. Cui hæc sordent, quærat sanè per nos qui possint amplius commodare, habiturus à nobis faustas imprecationes, ut per alios euadat melior, & post eruditionem partam syncerissimas gratulationes. Qui possunt meliora tradere, ut sunt plurimi nostra tempestate ingenio, peritia omnifaria eloquioq; pollentes, nec leuiter ad religionem affecti, non inuideant alijs talentum sibi diuinitus concreditum, memores quod non sibi tantum nati sunt, nec solis ipsis gratiam acceperunt, sed in usum augustiorē, ut illustrent dei gloriā, ut ueritatē prouehāt, ut proximo opitulētur.

Nunc

Nunc quomodo utendum putem Commentarijs ostendam breuibus, digerens eum tractatum iuxta tria hominum genera, qui diuerso proposito ueniunt ad legendos Commentarios. Vnum genus est eorum, qui cupidi uoluntatis diuinæ intelligunt sibi opus esse duce ac interprete ad intelligenda oracula cœlestis mentis: aut certè felicius, tutius, expeditius peruenturos se putant, si ductorem habeant ad genuinum sensum diuinæ legis. Quorum modestia tum prudens tum religiosa est, ut temeritas illorum & peruersissima & impia, qui nulla ingenij uel diuina uel humana cultura parati, contemptis aliorum interpretationibus, intelligentiam & explanationem quandoq; scripturarum sibi sumunt. Quos rectius suæ stultitiæ relinques, homines desertos ab omni sana ratione, quàm ut operose confutes ac redarguas. Illis autem præclare de maiestate oraculorum diuinorum sentientibus, & per alios prouehi petentibus, utilissime præscribi uidetur, ut explanationes scripturæ sacrosanctæ legant magna religione, circumspèctione, iudicio, tanq; commentationes hominum, qui multis de causis errare ac fallere possunt. Patrem quoq; precetur cœlestem, ut is suo spiritu ueritatem ipsissimam docere dignetur, qui primitus per homines diuinos reuelauit. Prima cura erit, ne quid pro uero aut tanquam authoris diuini mentem referens accipiatur, per quemcunq; interpretem oblatum, quod generalissimis normis catholice & orthodoxæ fidei non quadrauerit. Quo etiam canone rectissimo at simplicissimo breuissimoq; dirigi possunt omnes sapientiæ ueræ studiosi, ne dogmatis noxijs & sacrilegæ prauitatis implicentur. Proxima theoria erit, an sententia per interpretem indicata quadret concinatq; uerbis ac menti scriptoris, quod ex antecedentibus, ex consequentibus, ex finali proposito & toto sermonis contextu perpendendum est. Iam iterum non commentarij expositionibus fidendum et standum est, ne credulitas hominem sequuta eadem leuitate aliquando derinatur qua fuit excitata: sed diuini scriptoris sententia tanq; uox dei altissime in pectus demittenda est, non ad alendos aut defendendos affectus malos, nō ad rixandi & iactandi facultatem, sed ut animus, sermo, actiones ad normam exactissimam componantur. Ita fiet, ut animus dei ueritatem certo certius accipiēs, spiritu sancto eam confirmante interius, religione imbuatur, & consciētia obligetur, seminariumq; cœleste conuertatur in hominis alimentū et intellectum, ut fiat spiritus & uita. Hanc non dissentiens turba quantūuis magna, docta, sanctimonix fuce splendida, labefactabit, non philosophiæ inanis ars persuasoria euellet, non minax, uis, tormentaq; excutient. Et hæc demum est ueri apprehensio ac persuasio, quam Latini & Germani utriq; pro sua dialecto fidem appellant, Græci *πίστιν* persuasionem, He-

bræi ~~u~~eritatem, certitudinem, constantiam, firmitatē, quæ arctis-
sime cohæret cum religione summi opificis & gubernatoris: qua nihil
melius, nihil præstantius, nihil homine dignius: sine qua nemo recte ui-
uet, nemo in terris felix & beatus erit, nemo æternæ felicitatis compos-
euadet. Sunt secundo & curiosi quidam Commentariorum Lecto-
res, qui non alium fructum spectant, quàm ut otium fallant, & tempus
aliquid agendo transigant, qui uel huc non diuertent, uel diuertentes re-
linquentur suo instituto, ut potius legant quàm omnino nihil aut res
prauas agant. Tertium genus continet munere publico fungentes,
ut ex officio legitime credito scripturas interpretentur, qui uel mode-
stia Christiana sibi non satisfaciunt, aliosq; uolunt in consilium adhibe-
re, uel imperitiâ coacti & difficultate auxilium in re ardua corrogant,
postq; recepti sunt ad functionem ecclesiasticam uiribus tamen impa-
res: quibus potissimum hanc operam nostram meliora colligendi ex-
ualde multis authoribus esse destinata ante quoq; testatus sum.

Nunc autem, si quid mea ualet apud lectores autoritas, aduersum
tria uitia præmonitos uelim, quæ in nonnullis abutentibus explanatio-
nū operibus solent conspici. Nam aliqui cogitantes domi sibi reposi-
tum, quod sub tempus contionandi obiter legant, ad otium à labore ac
studio se conferunt, putantq; se præclare functos munere interpretan-
di, si tumultuaria lectione cōceptum sermonem crude ac indigeste suis
hominibus reddant: quibus aliqui scriptores adulantes sine dubio, fece-
runt libros pariter ineptæ ac superbæ inscriptionis, Vade mecum, Dor-
mi secure, & cōsimiles, quasi uero ullus possit esse liber tam absolutus,
qui summi operis artificem & diuinæ mentis interpretem perficiat. In-
dicis uicem gerunt hypomnemata, ut antea præceptorū in loco admo-
neant, & tractanda suggerant, & inquirenda proponant. Aliqui se-
curitatem satisfactionis uenantur ex commentarijs, ut putent sibi do-
ctrinæ defensionem paratam, si post D. Hieronymum, Augustinum,
Gregorium, Thomam, Lynam, & alios receptæ autoritatis interpre-
tes, aliquid proferant, nec sibi esse periclitandum in his quæ tradiderūt
homines inter diuos iam relati, aut inter mortales sacrosanctæ æstima-
tionis. Sed perridiculum est in negotio religionis & salutis ingenio au-
thoritateq; humana subniti, quum toties scriptura censuram de prophe-
tia & theologice tractationibus requirat, Paulusq; profiteatur se car-
ni & sanguini non acquieuisse, loquens etiam de apostolis domini. Ad-
do quod isti primarij scripturæ sanctę tractatores nō plus sibi credi uo-
luerunt, quàm ipsis scripturis diuinis euicissent, ac ratione ueritatis de-
monstrassent. lam unicuiq; reddenda erit ratio tum factorum tum do-
ctrinarum coram deo iudice: ubi ad defensionem parū faciet sequutum
esse

AD LECTOREM PRAEFATIO,

esse hominis mortalis uestigia, sed legitime structuram sacram fundamento unico inaedificasse. Tertium uitium est, & nimis quàm uulgarè, inepta imitatio, & alienæ operæ importuna in ecclesiastica contione accommodatio. Nō enim omnia quantumuis recta, uera, docta, statim quouis in loco apta sunt omnibus auditoribus. Atqui reperiuntur non pauci, qui ecclesiæ suæ scriptum aliquod diuinum proponant, accommodantes interpretis sibi placita uerba, haud secus quàm si dictantem iusiurandum sequerentur, soliteq; cauentes ne plus aut minus neue diuersum aliquod exhibeant. Verum nullum est scriptum, nec erit unquam, quod omnibus hominibus uel docendis uel impellendis, quod omnibus temporibus, quod ad omnem effectum orationis aptum sit, nisi pie prudenterq; pro circumstantiarū conditione accommodetur. Alioquin prophetae ueteres nihil quàm diuinæ legis per Mosen conscriptæ uerba detonassent, & Apostoli sermones Seruatoris ad uerbū recitassent, posteriq; literas apostolicas eorum tantum uerbis reddidissent, nec habita ratione instituendorū, temporis, loci, & rerum, nouos tractatus ex primogenio instrumēto fabrefecissent. Percepta igitur natīua scriptorum sententia et ratione quatenus possint ad institutionem salutarem usurpari, ad quod iuuant interpretis fidelis, diligentis, eruditi explanationes, uidentū est circūlatis per totū populū oculis, quid precipue conandum sit, quid sanandū, quid fulciendū, quid tollendū, quid inserendū. Deinde quomodo & quibus rationibus possit effici. Tum quid ualeant humeri, quid ferre recusent. Imò confugiendum est ad opem diuinam, & precibus à numine deprecandum, quod postulat functio in primis ardua & periculosa. Opus est ingenio magno, pectore uirtutibus eximijs donato, eloquentia, non quidem phalerata sed tamen locuplete ac idonea sententijs animi apte proferendis. Multum faceret eruditio uaria, pietati ad famulatum subiecta. Quæ sanè charismata licet diuinæ sint munificentia, à deo tamen impetrantur laboribus, studio, oratione, cura, uigilia. Multū sitū est in rectoribus ecclesiarū et reipublicæ, si impense curent ut ecclesijs præficiantur uiri ecclesiasticis uirtutibus instructi, eisq; suppetat instructa librorū suppellex, & libertas uacatioq; à terrenis occupationibus, ut se totos præbeant formando populo, ad legitimam uenerandæ maiestatis culturam: ut Scholæ literariæ, hoc est officinæ ingeniorum, ad omnes reipublicæ partes habeant uerum usum, unde semper prodeant uiri egregij, moribus & iudicio integri, qui salutarem operam ecclesijs accommodent. Postremo loco sunt, qui aliorum libros euoluunt iudicandi & carpenti studio, quibus etiam præcepta dabo non infrugifera, si quid iudico, si fortè ingenium suum hic quoq; uolent exercere. Primum quidem ut memine-

rint in omnibus etiam leuissimæ operæ negotijs, multo facilius esse reprehendere ac uituperare quàm imitari. Deinde ut cogitent se homines hominum legere lucubrations, ut & ipsi falli possint iudicio, quum a lios erroris atq; inscitiae nec non prauitatis condemnant. Rursum errare humanum esse, ut si quem in errore manifesto deprehenderit, non mox eundem falsarium scripturarum clamitent, qui dedita opera conatus sit impietatis uenena propinare. Præterea elaborent ipsi saniores habere sententias, & caueant pro uirili ne quando sint tales aut peiores etiam quàm quos suggillant acreprobāt. Deniq; nō debacchentur in temperantius alios traducendo, præ seq; ferendo magnam lætitiā ex fratrum miserabili lapsu, sed potius quantum fieri potest, quantum posunt de profectu sperare, alios ab erroribus in uiam salutis reuocent, at tentius legem dei uolentes animo, quæ iubet etiam iumentum fratris per deuia errans domum reducere. Quo beneficio certè magnam apud me omnesq; pietatis ac ueritatis studiosos gratiam inibūt, à deo autem bonorum omnium tum collatore tum remuneratore, præmia magnifica reportabunt. Etenim, qui ob conscientiam suscepti et absoluti huius laboris in profectum religionis iam gaudeo, gratulaturus etiam plurimum ubi cognouero & gratum & utilem fuisse theologiæ syncerioris candidatis. Hanc unam operam scripturas canonicas tractandi referuau mihi reliquam, ut admonitus erroris tantillum noxii, quem referat in publicum etiam scriptis æditis reuocare, id faciam ingenue, nihil æque cupiens, quàm ut dei ueritas regnet, ad patris cœlestis gloriam, & piorum consolationem atq; salutem.

COMMENTARIUM

CATHOLICVM IN QVATVOR EVAN-

GELISTAS, CONGESTVM EX PROBATISSIMIS OR-

thodoxis scriptoribus, antiquis ac recentioribus,

opera & fide Chounradi Pellicani

Rubeaquentis.

EVANGELIUM SECVNDVM MATTHAEVM.



CHRISTVS Iesus, uerbum domini incarnatum, Dei filius & ipse deus, saluator humani generis, in primo homine per peccatum perditum, in uniuersa lege Prophetis & Psalmis promissus est mundo, suo tempore mittendus, Messias & Rex uniuersalis fidelium, cuius meritis et opera reconciliandi sint credentes perfecte Deo patri, per quod ipse sanguinem expianda peccata mundi, extirpandi ipsius uerbo & doctrina errores gentium, pietas in orbem disseminanda, & unius dei uerus cultus, & charitatis perfectissima exemplar illustrissimum in Christo domino praestituendum & commendandum. Haec uero omnia bona, benedictionemque gentibus omnibus in semine Euae, Abrahamae & Davidis promissam, tota scriptura oracularis sacra, ueteris canonis, a Mose usque ad Malachiam prophetam ultimum, canit, docet, inculcat fidelibus, estque tota in promissionibus futurorum bonorum, quorum fide electi omnium temporum & locorum saluati sunt semper & saluantur. Quas celebres promissiones nunc subsequitur exhibitio, tantopere desiderata a sanctis, Christi domini manifestatio & glorificatio, generis humani salus & redemptio, peccatorum remissio: cuius descriptio, ebuccinatio & annuntiatio facta per apostolos uerbo & scriptis, hic nominatur Graeco uerbo, *Euangelium Christi*, bonum nuncium, hoc est feruenter diuinitus expectata & desiderata salutis & saluatoris renunciatio, & publica promulgatio & praedicatio: nempe noui testamenti totius descriptio: non nisi a Christi spiritu inspirata diuinitus, non tantum ab apostolo Matthaeo & Ioanne, Marco & Luca: sed & a Paulo, Iacob, Iuda, Petro & reliquis, in eorum epistolis & scripturis authenticis. Specialiter tamen Euangelij nomine appellantur scripta quatuor euangelistarum, quorum primus habetur, quia primo hoc est septimo ab ascensione domini anno scripsit, Matthaeus apostolus, uocatus a Domino cum esset publicanus, spiritus sancti tractu dominum secutus, & eodem inspirante euangelicam hanc Christi historiam retulit in scripta, ut iam non dicendum sit euangelium Matthaei, sed Christi domini scriptum secundum Matthaeum hac forma, quia non proprio motu sed sancto spiritu impellente & inspirante omnia scripsit: ut sint *secundum Matthaeum*, infallibilis ueritatis aequae ut prophetarum et Mosis libri canonici, quia eodem spiritu conscripti, unica pariter regula, credendi, sperandi, & agendi omnibus fidelibus, ad uitam aeternam electis. Inuitis Iudaeis, qui semper Messiam uenturum sperare malunt quam dei ueritate exhibitum, quod ante duo millia annorum cito futurum promittebatur, credendo amplecti. Quod uero communis fama est, Hebraice Matthaeum scripsisse euangelium, id intelligendum pu-

Syriace non Hebraice scriptū.

to Hebraicis quidem literis, sed uulgari Iudæorum lingua tunc usitata in Syria, hoc est, Syriace, quæ & Christo domino materna fuit, & apostolis, qua & usus est prædicando, cum eo tempore doctis Hebræorum iam Græca in usum foret, ut nunc etiam Germanis. A tempore enim Ezdræ non inueniuntur scripta Hebraice, sed Syriace. Quin & apostolorum temporibus, tam Philo quàm Iosephus ignorata, ut uidetur, Hebraica, Græce omnia sua scripserunt uolumina. Quis uero de Syra lingua hoc euangelium transtulerit in Græcā, incertum est, quanquam Ioannem id egisse euangelistam quidam testentur, aut unum ex apostolis reliquis uel discipulis Christi. Certum uero illud est, principalem tam huius quàm aliorum euangeliorum authorem fuisse spiritum sanctum, cui fides sit adhibenda certissima & infallibilis.

CAPVT PRIMVM.



LIBER GENERATIONIS IESU Christi filij Dauid, filij Abraham.

Primus Euangelij scriptor in Iudæa Iudæus Matthæus, Iudæis scribens, conuersis aut conuertendis ad dominum, spiritus sancti instinctu, in primis, ostendit Christum dominum Dauidis esse filium, quoniam & uulgo sic à fidelibus appellabatur, & communis omnium Iudæorum tunc opinio erat, adesse tempus, quando Messias Dauidis filius, redemptor fideliumq; summus Imperator & Rex sanctissimus, promissus à prophetis, maxime secundum Danielis prophetiam uenturus sperabatur, quem nunc ostendit per singulas patrum generationes, secundum naturam humanam descendisse et natum de semine Dauidis, prout ei dudum promissum fuerat, ut patet 2. Re. 7. & 1. Par. 17. Psal. 89. & 110. Quæ scripturæ loca perfectius in Christum competunt quàm in Salomonem. Sicut & regnum Christi prædictum à prophetis, Isaia 2. 9. 11. Jer. 23. & 33. Ezech. 34. & 37. Osee. 3. filio Dauidis tribuitur, incorruptibile uniuersale & æternum, quod sanè nõ est puri hominis nec Salomonis, sed Christi solius dei & hominis. Dauidis autem patrem fuisse Abrahamum ut nemo dubitarit, tamen series tam promissionum quàm generationum exigebat utrumq; testari, quando utrisq; nominatim & clarissime promissus fuerat Messias, de eorum semine generandus, in quo benedicerentur omnes populi. Liber autem generationis dicitur, hoc est Catalogus patrum, ab Abraham ad Christum recreato rem mudi: sicut à principio Geneseos liber dicitur generationis humanæ iam peccato deprauatæ, olim per Christum restituendæ. Iesu uero nomen satis constat ex communi Hebraico proprium factum iam dudum in Iosue filio Nun, & in Iesu filio Iosedech, ut per Antonomasiā saluator dicatur, quando non est aliud nomen sub cælo, in quo datum est hominibus saluos fieri, nisi in hoc solo. Christi uero epitheton, Messiam Hebraice sonat, Latine unctum, nempe præ consortibus suis filijs dei adoptiuis, quando naturalis ipse Dei filius ante sæcula genitus, tandem incarnatus uoluntate patris, impletus est omnium gratiarum donis, sine mensura ut effluat in omnia ecclesiæ membra, cuius ipse sit caput rex & sacerdos, dominus & redemptor, saluator & iudex, ut propriissime me Christi

me Christus dicatur, hoc est unctus, oleo exultationis & sanctificationis, olim designatus unctione sacerdotali & regia, & ea quæ adhibebatur sanctis sanctorum. Omnia enim iam tunc non in alio sanctificabantur, quam in fide Christi domini promissi, & ab unctione sacra & spirituali agnominandi.

Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob.

Gene. 22. d

1. Para. 1. d

Quamlibet id notum Iudæis esset, tamen iuxta scripturæ morem catalogus huiusmodi Hebræis ab euangelista non erat obmittendus, ob insignes & crebro repetitas promissiones Abraham factas, de eo quod pater futurus esset multorum populorum qui per fidem similem domino placituri essent, apud quos eius memoria ueneranda foret, toto in orbe per omnia sæcula, longeq; id nomen futurum erat celebrius & felicius quam uel ipse Abraham uel quispiam Iudæorū fidelium unq; cogitare potuerit. Et ideo facta est toties promissio de semine eatenus benedicto, ut in quo omnes gentes benedicendæ forent, & benedictionem ueram assequuturæ, cum essent maledictæ multipliciter, non tantum originali culpa, sed etiam actuali, hoc est implicata grauioribus & enormibus tam erroribus quam criminibus, à quibus essent legitimi & ueri filij Abraham & Dauidis, per Mariæ filium liberandi. Genuerat & alios multos filios Abraham, sed in Isaac uocatum illi fuerat semen sanctum, à quo Christi esset olim generatio descensura, qui non tantum saluator fieret filiorum Isaac, sed & Ismaëlitæ fidelium, quando & Ismaël non sic esset proiectus à domino, ut pro se & posteritate sua damnaretur, quod absit, iuxta animam, si fide domino adhererent, et semen benedictum crederent, sed iuxta corpus tantum, quia in hoc tam præclaro catalogo, & in promissionibus carnis partem huiusmodi Ismaël non esset habiturus cum suis. Nec Iudæorum nos hic capiat opinio, domino deo uero nullius gentis esse curam, nisi tantum Israëlitarum, nisi id intelligerent suo modo de filiis fidei, quales ipsos Iudæos non esse constat, sed testamenti tantum baiulos, minime obseruatores. Isaac autem ut Iacob genuerit, ad idem pertinet, quando & præter eum Esau, qui & Edom & Seir genuerit, primum quidem: quanquam dei prouidentia & æmulatione fratris & matris, primogenituræ honorem perdiderit Esau, quem assequutus sit Iacob, à quo Christi olim generatio emanatura erat, & posteri Esau bonis temporalibus magnifice aduicti sint in suis locis, & per amplissimas felicissimasq; terras (nam felicem incolunt Arabiam) & Christi domini mysterium primi agnouerint, quandoquidem apostolorum prædicatione Christi syncerissimam fidem mature satis amplexi sint.

Gene. 25. d

Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.

Gene. 29.

Quarto quidem loco & ordine natus est patriarcha Iudas, qui tamèn fide & iustitia ceteris præstantior, primogenituræ honorem assequutus est, quo ad imperium, fortitudine & multitudine reliquis cunctis nobilior, sed maxime clarificatus est promissione accepta à patre, de non auferendo sceptro de Iuda tribu, & legislatore de medio pedum eius, donec ueniat Messias, ad quem erit expectatio gentium, cui & in Dauide debebatur regnum & principatus, donec Christus dominus nasceretur, rex regum et sempiternus, de quo Gen. 49. Fratres eius intelliguntur reliqui undecim, quando duodecim genuerit filios Iacob, ut patet, qui omnes pertinent ad Israëliticam prosapiam, nullo repudiato honore & promissione terræ hæreditandæ, quæ ipsi dudum Abraham promissa fuerat. Sunt qui hoc loco magna scribunt ex nominum Hebræicorum in-

Iudæ regnum
debeatur.

4
 terpretationibus, quæ & in ueteri instrumento consulto obmissimus, multo magis in nouo, nisi ubi mutationis & impositionis ratio non uana adsignatur à scriptura.

Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.

Gen. 38. 2

Thamar sancta

A diuisione dictus est filius Iudæ Phares, ut patet Genes. 38. à quo & familia fuit Pharesitarum, licet & alia fuerit à Pharos, alio ex posteris Iudæ. Genuerat iam prius filios Her, Onan, & Sela, de filia Sue Chananitide, sed infelici partu, occisi sunt enim propter sua peccata. Ex Thamar autem genuit Phares & Zaram Genes. 46. Post quos habuit ex alia uxore Hesion, Charmi, Hur, & Sobal, ut patet ex 1. Para. 4. Hæc uero Thamar gloriosa fœmina Chananæa, ut uidetur nata, sed filio Iudæ maritata, sine sua culpa unum & alterum Iudæ filium perdens, & sine prole suscepta, plena fide de Christo nascituro ex posteris Iudæ ambiuit iuxta bonam rationem, & non aliter quàm lex domini præscriptura erat, semen benedictum, maluitq; se ad horam meretricem æstimari, quàm benedicta à Iuda prole fraudari, & esse perpetuo uidua & sine prole, non infœcūda iuxta naturam, in tam laudata familia. Tanti fuit apud sanctas olim prolis desyderium, cum ante & post duorum filiorum partum, quem clementer illi deus concessit casta uixerit. Exemplum facta castissimarū matrum, & ecclesiæ typus ex gentibus congregandæ. De qua uideas quæ scribuntur Genes. 38. ad huius loci expositionem pertinentia. Fuit & alia Thamar in tribu Iuda, filia Dauid, soror Absolon, qui & ipse filiã Thamar habuit mulierem admodum speciosam, 2. Reg. 14. Interpretatur autem Thamar palma.

1. Para. 2. d
 Ruth. 4. d

Phares autem genuit Esrom. Esrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naason. Naason autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse.

Hebrei scribunt Esrom per n. nempe רורן Ruth ultimo, Genes. autem 46. רורן. Cuius nominis filium habuit etiam patriarcha Ruben, qui tamen Græcis per m. scribuntur. Est & Esrom nomen loci in finibus tribus Iudæ. Ios. 15. Aram autem hic dictus, scribitur Ruth 4. Ram, id qd non infrequēs est in scripturis, uarie scribi nomina propria hominum & locorum. Isti uero omnes nati sunt in Aegypto, Esrom à Phares, Aram & Aminadab, qui in exitu de Aegypto fuit dux tribus Iudæ, cui in ducatu successit Nahason, in solitudine procedentibus Israëlitis. Cuius filius Salmon Hebraice רלמלש qui & רלמלש dicitur, pater fuit Booz, ex matre Raab, gloriosa & sancta fœmina, cuius eximia laus, fides, meritum, & pietas, ex libro Iosue claret magnifice. Nec aliqua excusatione eget, quod matrimonio eam sibi iunxit nobilissimæ tribus princeps, & quod in genealogia ponitur Messæ & Davidis. Quia uero hic Naason frater dicitur fuisse Elizabet, uxoris Aaron, patre Aminadab: ideo quidam mouentur ut scribant Booz hic dictum, nomen fuisse trium, filij scilicet Salmo, qui & ipse filium habuerit & nepotem ex filio, Booz dictum, qui fuerit pater Obed. De qua quæstione uide Lyranum in hunc locum, & in secundum caput libri Ruth. Sed possunt ætates hominum uarie, & nomina propria uariata, nodum hūc facilius explicare. Qua uero ratione Booz, siue tertius ponatur siue unus aut primus, ex ipsa Ruth religiosissima fœmina Moabitide genuerit Obed, libellus Ruth eleganter describit: unde & Matthæus hæc per ordinem transtulisse

lisse uidetur. Iesse uero qui dicitur Græcis, Isaiæ 11. & hic ab Hebræis nominatur Isai, ut satis pateat Hebræorum puncta grammaticalia Septuaginta interpretum temporibus non fuisse.

Iesse autem genuit Dauid regem.

2. Reg. 12.

Ultimus filiorum Isai Dauid scribitur, septimus nempe, 1. Paral. 2. Cum a-
liās dicatur habuisse octo filios, & filias duas, Saruiam & Abigail matrem A-
masa, ubi et alio nomine Isai Naas dicitur perhibetur à Iudæis. Ephrateus itaq;
fuit, et nobilissimus Bethleemitarum cuius Isai, qui Dauidem ultimum genuit,
quē dominus electione sua exaltauit ad regnū, æterna prouidentia sua, quan-
quam ad tempus tribum Beniamin iam cædibus humiliatam exaltauerit re-
gno Saulis, minime permansuro: quandoquidem Iacob patriarcha prædixe-
rat ad Iudam pertinere regnum Israëliticum, continuandum usque ad Mes-
siam regem regum, & unicum monarcham, Dauid autem rex dicitur per an-
tonomasiā, qui omnium exemplar est, pater secundum carnem eius regis
qui potestatem accepit à patre regnandi in cælo & in terra, adeoq; uniuer-
sale & perpetuum regnum, planeq; diuinum.

Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ.

2. Reg. 12. f

1. Para. 3. b

Christum dominum regio genere natum ostendit secundum carnem, ex
inclyto Dauide, cuius honestissima memoria nunquam intermoritura esset
apud genus Iudaicum, quandoquidem homo fuisset secundum cor dei, & pro
missiones perpetui regni & non finiendi susceperat, quod in Salomonem com-
mittere non potest, qui quadraginta annos regnum sustinens quamlibet glo-
riosum, tamen stulto transmisit Roboam filio dissipandum, & nunquam redin-
tegrandū, nisi per Messiam promissum, idq; longe celebrius & dignius quàm
fuerit sub Salomone, quando excidere promissa diuina non possunt, sed sunt
illustriora longe & gloriosius explenda quàm aliquis cōiectare ualeat aliquan-
do futura. Longe enim maior hodie & per omne Christi regnum consistit san-
ctorum patriarcharum gloria, etiam in hoc mundo, quàm eorum aliquis un-
quam ualuerit sperasse. Gloriosum quidem regnum fuit Salomonicum, & per
quadraginta annos, sed Christi regnum Dauidis filij, quale interim fuerit mil-
le quingentis annis, & futurum adhuc prolixius ad finem mundi, quis cogita-
re ualebit: ut taceam cœleste suum regnum cum electis et redemptis suis omni-
bus, quamlibet hoc regnum Iudæis displiceat, qui carnalia tantum somniant
& expectant & amant. Post honestissimas autem tres fœminas, Thamar, Ra-
ab, & Ruth, cum quarta Salomonis mater nominanda foret, subuerecunde
obticet proprium Bethsabeæ nomen, clementiamq; dei summi, & immensam
misericordiam subindicans, notat non obstitisse tantæ felicitati Salomonis exe-
crabile crimen Dauidis, quod commiserat in fidelissimum Vriam. Vt Euange-
lium gratiæ prædicaret per Christum, qui de peccatricibus nascens, omnium
cuperet peccata delere. Vtq; superare dei clementiam doceret omnia crimi-
num portenta, modo humilitatis, fidei, deuotionis & patientiæ remedia adhi-
berentur, qualia luculenter Dauid exhibuisse canunt Psalmi plurimi, & histo-
riæ sacræ gesta. Eatenus, ut & ingratitude abominanda Salomonis, gratiam
dei Dauidi promissam nequaquam excluderet, quin promissum Messiam mun-
di lucem & dominum, ab utroque nasciturum decreuerit dei bonitas & ueri-
tas. Non displicet clarior explicatio literæ dum additur, Vxor Vriæ, cum ta-
men interim phrasis Hebraica à sacrarum scripturarum studiosis non ignoret.

tur, pro aliorum locorum sententia internoscenda. Non enim hic Latinitati studemus, quam à Romanis discant qui appetantur, sed sensum diuini spiritus potius inquirimus, et uetustatis locutiones ob huius temporis curiositates minime contemnimus.

1. Reg. 11. 2

Salomon autem genuit Roboam.

Malo Salomonem legere per breue a, quale Hebræis est sefa, quam o longum, quod scribunt Græci. Et in reliquis quoque tolerandus usus, qui huiusmodi arrogantem nouitatem negligit, quod nihil referat ad sententiam sacram, quam fideles inquirunt. Sapientissimus Salomon stultissimum filium habuit Roboam, dissipatorem regni, quando Salomoni ad tempus pietas & fides abfuerat, quæ in rege necessario requiruntur. Fuerat felicissimus rex Salomon duodecim tribuum, princeps pacificus quadraginta annis, sed quia defecerat à domino ob luxum, & pietatis neglectum, ideo statim sub filio fatuo diuiditur regnum, duabus tantum tribubus adherentibus ipsi Roboam, reliquis decem eligentibus sibi Ieroboam æmulum Salomonis: ne quam sibi superbiam asciscant terrarum reges, sed dominum metuentes in coelis, populo consulere malint quam imperare. Superflua quoque diuitiæ non profunt regnis, sed inficiunt multiphariam & deprauant eos, quos oportuit iustissimos persistere. Exemplum positus regibus est Salomon hic, ut non tam præsentia reges nostri cogitent quam futura.

1. Reg. 11. 2

Roboam autem genuit Abiam.

De hoc Roboam dicitur 3. Reg. 11. Dabo Roboam tribum Iuda, sub qua & Beniamita ac Leuita intelliguntur, ut remaneat lucerna Dauidis, hoc est regius honor, & gloria gentis cunctis diebus in Israël. Quod ad literam non constat, cum rex Israël non fuerit, sed tantum rex Iuda. Christus autem uerus filius Dauid secundum carnem, lucerna est cœlestis & perpetua omnium fidelium Israëlitarum, ideoque semper seruetur ac durat.

1. Reg. 15. 4

Abia autem genuit Asa.

Plures quidem filios Roboam habuerat, sed unus Abia sapientia ceteros præcedebat, unde & prælatum fecerat filiis ceteris, etiam dum adhuc uiueret. Mater eius fuerat Maacha impia, filia nempe Abessalon: sub cuius imperio uementer auctus est Iudas contra Ieroboam regem Israël, eo quod sperasset in dominum deum patrum suorum, & cultum dei iuxta legem diligentius obseruaret: uerum tribus tantum annis regnasse memoratur, 2. Paral. 13.

1. Reg. 15. f

Asa autem genuit Iosaphat.

Hic Asa rectum fecit in oculis domini, ut & Dauid pater eius. Abstulit effeminatos, idololatrias, idolorum sordes purgauit, matrē, hoc est auiam, amouit à sacris gentiliū, lucum subuertit cum specu, confregit simulachra: ideoque bellum illi fuit cum Baasa rege Israël. Regnauit quadragintaunum annis: senex pedes doluit: Azariam prophetam domini habuit, cui per omnia diligenter auscultauit, tota uoluntate dominum requirendo. Vicit regē Aethiopum, Zaram, domino conterente. Vide 3. Regum 15. & 2. Paral. 14. & 15.

1. Reg. 22. 2

Iosaphat autem genuit Ioram.

Hic regno inauguratus est trigintaquinque annos natus, anno quarto Achab regis Israël, inauspicatā habuit pacē cū impio idololatra. Annis XXV. regnauit: reueritus est uerbū domini & prophetas sanctos: diuinitusque confortatur, quia ambulauit in uis Dauid, et fuit cū eo dominus: excelsa & lucos abstulit:

stulit: per sacerdotes & Levitas subditos suos per totum regnum docet legem dei, quam obseruandam diligenter curat. Periclitatur ad mortem ob societatem cum Achab impio: resipiscens autem pactum renouat cum domino, & gloriosis triumphis inclarescit. Ob fidem illius & merita gentes trepidant & pauent, audientes quod dominus propugnasset Israëlem: de quibus uide 2. Paralip. 17. cap. usque ad 20. Filij suis quos multos habuit munera dedit & urbes: regnum autem primogenito Ioram.

Ioram autem genuit Oziam.

Notandum diligenter studiosis, duos fuisse eodem tempore reges dictos Ioram. Vnus hic filius fuit Iosaphat rex Iuda, qui trigintaduos annos natus regno praeficitur, patri successor octo annis in Ierusalem, qui habuit uxorem filiam Achab & Iezabel, ex qua familiaritate & uxore factus est degener & impius filius, 4. Reg. 8. Qui & confirmatus in regno, occidit fratres suos gladio, deum dereliquit, excelsa fabricauit, Iudam & Ierusalem fornicari fecit a domino, 2. Para. 21. cap. Qui & mortuus est infirmitate pessima, sine exequijs populi, non in sepulchro patrum regum collocatus. Alius Ioram erat filius Achab, rex in Samaria duodecim annis, malus coram domino, cui adstitit Iosaphat in bello contra Moab, 4. Reg. 3. Qui a Syris uulneratus aegrotat in Iezraë, mortuusque proicitur in agrum Naboth Iezraelite. Cui Iehu successit, 4. Regum 9. Sed & notatu necessarium hic est, quod monet Hieronymus, Ioram non genuisse Oziam, sed potius Ochoziam, Ochozias autem genuit Ioas, & Ioas Amaziam, & Amazias Oziam, qui & Azarias alio nomine dicitur. Huiusmodi autem obmissio in catalogis frequentissima est in scripturis, dum ignobiliores obtinentur. De quibus nulla est ambiguitas, dum breuitati studetur, uel aliud quid intenditur sine prauidicio Lectoris: ut hic euangelista, uolens quaterdenas ordinare, quosdam obmisit. Fuit ergo Ozias non filius Ioram, sed filij nepos: recte autem subditur,

Ozias genuit Ioatham.

B

Cuius Oziae gesta Isaias scripsit propheta illi contemporaneus, qui genuit Ioatham, 4. Reg. 15. Regnauit autem quinquaginta annis in Ierusalem, rectum faciens ut pater suus Amasias, deum exquirens toto corde, ab Isaiâ directus, ut dicitur 2. Paral. 26. Ideo uictoriosus fuit in hostes Palestinos & Ammonitas, cuius ob id nomen diuulgatum est usque ad introitum Aegypti, Turres quoque extruxit in solitudine, cisternas fodit ob pecora multa sua: erat enim homo agriculturæ deditus. Senex autem cum praesumpisset incensum adolere in templo, leprosus factus est ex fronte in domo domini iuxta altare thimiamatis, ob quam expellitur, & perterritus accelerauit egredi. Vnde & in domo separata habitauit plenus lepra, usque ad diem mortis suae. Sepultus in agro regalium sepulchrorum, pro quo Ioatham filius regnauit.

4. Reg. 15. d

Ioatham autem genuit Achaz.

Hic Ioatham rectum fecit per omnia: uiginti quinque annos natus rex factus aedificauit excelsam portam in domo domini, urbes & castella in Iuda extruxit. Vicit Ammonitas, & tributarios fecit: corroboratus est, eo quod recte ageret coram domino deo suo, 2. Paral. 27. Sedecim regnauit annis, sepultus in ciuitate Dauid: pro quo optimo uiro regnauit Achaz filius pessimus, & idololatra, dei prophetarumque contemptor.

Achaz autem genuit Ezechiam.

4. Reg. 16. d

Hic impius Achaz annorum uiginti regnare cœpit, decimo septimo anno Phacee regis Israël, & sedecim regnauit annis, impius ut reges Israël. Statuas fudit Baalim, adoleuit incensum in ualle Ben Hinnom; iustitiam filios suos, iuxta ritum gentilium: immolauit dijs Damasci; & direptis uasis domus domini ianuas templi clausit, altaria sibi faciēs in uniuersis angulis Ierusalem, ut ad iracundiam dominum prouocaret: ideoq; traditus est in manum regis Syriæ, à quo & percussus est. Sed et à Phacee percussus est, & capta sunt de regno Iuda ducenta milia mulierum, puerorum, & puellarum, præda infinita perlata in Samariam. Qui tamen angustiarum huiusmodi tempore auxit contemptum in dominum, deos gentium sibi placando hostijs, in quorum honorem altare nouum erexit sacrilegum &c. consentiente sibi Vria pontifice. Sepelitur Hierosolymis extra regum sepulturam.

Ezechias autem genuit Manassen.

4. Reg. 18. 4

Toto corde Ezechias dominum requirens, operatus est bonum & rectum & uerum coram domino, in cultu domini dei sui secundum legem, ideoq; prosperatus est. Regnare cœpit cum esset XXV. annorum, præfuit XXIX. annis. Primo anno ualuas domus domini, quas pater occluserat, aperuit. Iubet Leuitas omnia mūdare in sanctuario, holocausta obtulit, fœdus iniit cum domino deo Israël, inuitauit omnem Israëlē qui reliquus fuerat & Iudam, Ephraim, & Manassen ad phasē domino deo Israël mense secundo. Aras idolorum deiecit, ad pietatem hortatur, quæ est secundum legem dei, cupiens impetrare quietem Israëlitis, iam tunc captiuis in gentibus, ex obedientia & deuotione reliquiarum, si conuertantur ad dominum, 2. Para. 30. Sacerdotes & Leuitas constituit secundum ordines suos & officia, ut sacrificarent domino. Obfessus à Sennacherib hortatur populum ad fiduciam in deum, ne timeāt Assyrionum multitudinem carneam, & calumnias blasphemiasq; per epistolas. Saluatusq; est de manu Assyrii, occisis per angelum centum octogintaquinque milibus hostium nocte una. Obtinuit oratione humili & fletu uitæ prorogationem per quindecim annos, signum à deo accepit, reuersionem umbrarum in horologio Achaz, decem lineis uel gradibus. Munera autem accipiens à Babilonio, superbiendo dominum offendit, & audit auferenda omnia pretiosa, & posteros, sed non in diebus suis, Isaia 39.

4. Reg. 21. 4

Manasses autem genuit Amon.

Prodest ecclesiasticis, dum hæc nomina leguntur, reminisci exemplorum scripturæ, ad ædificationem tam ex hominibus malis quam bonis, ne se proles impia iactet ex pijs parentibus, uel confundatur filius fidelis ob impiū parentem. Alioqui satis constat ex sancto Ioatham natum esse impiū Achaz, & ex Ezechia sancto Manassen hunc cruentissimum tyrannum idololatramq;. Is enim Manasses duodecim annos natus, regnare cœpit cum suis impijs principibus, quibus doluerat Ezechia religio, & labefactatio idololatriæ, à quibus (alioqui non male institutus puer) eatenus corruptus est, ut malus omnino fuerit coram domino, & ut gentilis excelsa restaurauerit, aras Baal lucosq; restituerit, militiam cœli adorauerit, filios per ignem transfegerit, somnia obserauerit, auguria & maleficia, magos & incantatores sectaretur, Iudam seduceret & Ierusalem, ut malum agentes gentes excederet eas, quas dominus dudum expulerat: prophetas deniq; per quos à domino admonebatur, attendere noluit,

re noluit: quorum innoxium sanguinem effudit multum, ut impleretur Ierusalem cruore innocentum usque ad os: pro qua re dominus propitiari noluerit. Tandem in Babylonem ductus & coangustatus dominum orauit, & exauditus est, reductusque est in regnum, ubi deos alienos iterum abstulit, simulachra de domo dei eiecit, subuertitque aras, quas fecerat in monte domus domini, secundo Paralipomenon trigesimaltertio: cuius poenitentia, oratio, emendatio, exhortatio per prophetas illi facta, scripta sunt in sermonibus Hozai prophetae ibidem. Minatur tamen dominus per prophetam, Ieremiae decimoquinto, ut propter Manassen filium Ezechiae regis Iuda daturus sit Iudaeos in feruorem uniuersis regnis terrae. Qualia, inquam, dicta & inculcata edificare possunt etiam ex hoc loco ecclesiam, ne inanis putetur nominum tam crebra recitatio, & Christi genealogia non nihil proficiat ad exemplum.

Amon autem genuit Iosiam.

4. Reg. 21. d

Impius pater sanctum genuit filium, qui dudum antequam natus praenunciatur ex nomine sacrificaturus sacerdotes idolorum in Bethel, & combusturus ossa ipsorum. Is octo annorum incipiens regnum, trigintaunum regnavit, deo placuit ut Dauid: uerba legis audiens dominum consuluit per prophetas, pro euadenda ira domini dei pro lege neglecta, praedicitur ei quod colligendus sit in pace ad patres, unde & foedus renouauit cum domino, ad ambulandum post dominum in tota anima sua, cui pacto & populus acquieuit. Proinde excelsa deiecit, & prophanauit de Gabaa usque Bersabee. Baalitarum aras, templa & uasa combussit in puluerem, proiecit ad sepulchra uulgi: deleuit autem ruspices sacrificantes Soli & Lunae & duodecim signis: adiculas destruxit adituum & effoeminatorum, quae erant in domo domini, equos solis et currum abstulit de introitu templi, destruxit altaria super tecta plana, & coenacula Achas & altaria Manassis, qui non in totum omnia emendauerat: facile enim reliquae abominationum repullulare consueuerunt zizaniorum more. Sacerdotes quoque idolorum occidit super altaria, & post haec omnia phase instituit celebrandum secundum legem. Phytones, Ariolos, figuras idolorum, abominationes Iuda & Israel omnia abstulit, ut statueret uerba legis. Vnde & 4. Re. 23. dicitur quod rex similis Iosiae non fuerit ante, qui reuerteretur ad dominum in toto corde suo. Occisus est autem a rege Aegypti iudicio domini, ne mala uentura in populum uidere cogeretur, portatusque est a seruis de Maggedo ad Ierusalem, & sepultus, de quo Ecclesiastici 49.

Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis.

Tertio Reg. 13. legitur Iosiam genuisse Ioachaz, Ioiakim quoque qui & Eliachim, & Sedechiam. Ioachaz successit patri in regnum breui tempore, quo capto a rege Aegypti, substitutus est loco eius Ioiakim frater eius undecim annis: quo mortuo regnavit Ioachin, qui & Iechonias dictus est filius Ioiakim, pro eo: quo capto & uoluntarie exilium subeunte Babylonicum cum matre, regno successit Iudaico ultimus Sedechias. Cernitur ergo Iechonias non fuisse filius Iosiae, sed nepos ex patre Ioiakim, filio Iosiae medio, qui hic obmittitur, satis alioqui notus ex libris historicis & prophetis. Hic autem rex Iechonias cum matre, Eunuchi quoque, principes Iuda & Ierusalem, Fabri inclusores & primores omnes, traducti sunt in Babylonem, cum tribus regnasset mensibus, essetque annorum XXXIII. Transmigratione autem Babylonis hic dicitur to-

tum illud tempus à morte Iosifæ usq; ad captiuitatem Sedechie, intra quod tempus multa peracta sunt Iudæorum regumq; exilia, ut dictum est de filiis Iosifæ tribus, & uno nepote Iechonia. Captiuitas autem nondum dicitur, sed demigratio, quia Iechonias ille sua sponte abiit Babylonem: Sedechias autem patruus captus est tandem rex ultimus, & oculis priuatus, postquam filiorum necem ultimo aspexisset in Reblata. Babylonis quoq; dicitur transmigratio idiotismo Hebraico pro Babylonica, quod dici non potest Iudaice.

Et post transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel.

Primo Para. 3. dicitur Iechonias filius Ioiakim habuisse filios Asir, Salathiel, uel Hebraice Saaltiel, Melchiram, Phadaia, Senneser, Iecemias, Hofama, Nadabia. Verum uidetur Asir, quod uinctum significat, communiter accipiendum, non proprium nomē, ut Salathiel primus fuerit filiorum Iechonia, qui & alio nomine Phadaia dicatur. Habuit enim tam Salathiel quam Zorobabel plura nomina, pro more gentis & illius temporis, ut patet ex libro Præteritorum, & Esdra & Neemia. Hactenus autem omnes à Dauide usq; ad transmigracionem Babylonicam numerati reges fuerunt, quorum Sedechias ultimus fuit.

Salathiel autem genuit Zorobabel.

Is Zorobabel dux fuit transmigracionis uel captiuitatis, hoc est eorum qui capti fuerant in Babylone et translati, subq; Cyro redire permitti. Rediens autem fundauit templum secundum, & suo tandem perfecit tempore, Zacha. 4. cum Iesu filio Iosedech summo pontifice. Verisimillimum quoque est & eundem Zorobabilem plura habuisse nomina, hoc uero ex euentu inditum, quia Babylonis captiuitatem olim esset soluturus & dimissurus uel dispersurus istam confusionem ac collecturus.

Zorobabel autem genuit Abiud.

Primo Paral. 3. dicitur, Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam & Salomith sororem eorum: filius autem Hananiae inter reliquos fuit Sechanias, nepos autem Naarias, qui genuit Elioenai, cuius ultimus filius dictus Anani: à Iudaicis priscis commentatoribus stirps esse dicitur unde Messias generandus. Hucusque uero de catalogo Christi ex canonicis scripturis producere quicq; possumus, quæ uero desiderantur nunc, sine dubio penes Iudæos olim studiosissime creduntur obseruata stemmata, ut etiam secundum humanum studium euangelistæ ex catalogis Iudaicis certi aliquid assequi potuerint, quandoquidem & Iudæorum nullus unquam negare est ausus, Christum de semine Dauidis fuisse natum, quem non solum adulti cæci & leprosi adeoq; totus Iudæorum populus Dauidis prolem ausi sunt nominare passim in Iudæa, sed etiam pueri Hebræorum intra Hierosolymam, ad pharisæorum usq; inuidiam, Osanna quoq; filio Dauid conclamare impune & minime absterrendi potuerunt: quin & post urbem euersam Hierosolymam, Vespasianus perquisitionem egit eorum, qui de familia forte Dauidis adeoq; regali prosapia famati erant ex successuum registris, unde etiam pro hac causa grauissima Iudæis persecutio exorta est, ut dicit Eusebius Cæsariensis Ecclesiasticae historiae libro tertio, capite duodecimo.

Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch, Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit

genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph uirum Mariæ,

Quandoquidem scripturæ Canon hunc locum non explicat, quia præter nominata in libris Præteritorum, Esdræ & Neemiæ, nihil de huius catalogi nominibus legimus, cumq̃ constet de his certi nihil dici posse, ob priorum nominum uariationem nimiam pro personis & locis, quæ constat multipharîam immutata, ut ostendimus in locis prædictis: ideo quæ hic dici possunt de nominum uarietate, & de discrepantia loci huius cum Luca, quo ad nomina & personas, ad Lucæ explanationem differimus. Verum Abiud hic dicitur filius Zorobabel, cuius nominantur duo filij cap. 3. Paral. 1. Mosollam quem Græci Misciollam scribunt, et Hananiam. Vnde sunt qui unam personam duobus nominatam uocabulis arbitrentur, Abiud & Ananiam, quemadmodum Eliachim & Iehoiakim uel Ioakim eiusdem personæ sunt nomina in sacris. De quibus omnibus nominibus cum de re constet non nobis operosius uel curiosius decertandum, cum & Paulus moneat genealogias uitandas pijs, qui norunt Christum filium Dauid regnum habere in cœlestibus & in terra. Ioseph quoq̃ uir dicitur Mariæ Hebraico more, qui maritum eodem nomine enunciant, quia desponsatam sibi habuit uirginem affectu maritali, etiamsi matrimonij leges non compleuerint concumbendo, nutritius tamen fuit & curator tam matris quàm filij, quem de uirgine diuinitus natum edoctus credebatur diuinitus. Desponsata autem legaliter erat, quia de eadem Iudaica tribu, & Dauidica nihilominus familia, qualem immutare confundereq̃ non licebat.

de qua natus est Iesus, qui uocatur Christus.

Coniunx desponsata Iosepho Maria erat, homini de semine Dauid, cuius & propagatio recensetur, non quod ex Ioseph semine Christus prognatus sit, sed ex Mariâ perpetua uirgine, sine uirili semine, prout euangelista testatur hic & Lucas, obumbratione spiritus sancti in uirginē, uere filiam Dauidis stirpe generatam, & Iosepho iure debitam sponsam & eiusdem familia. Non ergo ex Ioseph, sed de Mariâ natus est Iesus saluator mundi: filius dei uiui, iuxta diuinitatis naturam & personam, et uirginis admirabilis filius secundū carnem, ex propagatione transfusam in uirginis personā, iuxta promissiones diuinas, per prophetarum & patriarcharū ora. Qui uocatur, hoc est certissime habetur & est Messias unctus & Christus. Hebraico em̃ more utitur apostolus & euangelista, quo uocari est esse: sicut & inueniri, habere est & assequi. Honoris em̃ & sanctimoniam nomen Christus est, Iesus autem proprium & officij à patre inuncti, ipse enim populum suum saluum faciet à peccatis eorum. Fuerant iam ante & semper Christi domini sacerdotes & reges, uni autem promisso saluatori mundi de semine Dauid et Abraham debebatur per antonomasiam unctionis & Christi nomen, qui à patre nobis datus rex & sacerdos, et pontifex æternus, cuius unctione gratuita paramur ad omne opus sanctum, ad mundi huius æstus ac tentationes ferendas, ad spiritus sancti operationes in nos suscipiendas, ut simus regale sacerdotium, & gens sancta secundum nomen, quo à Christo domino Christiani sumus quemadmodum nominamur.

Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad Dauid generationes quatuordecim: & à Dauid usque ad transmigrationem Babylo

nis generationes quatuordecim, & à transmigatione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim.

Siue huic numero patrum, quoniam hic spiritus sanctus uoluit esse ter quatuordecim, hoc est, quadragintaduo, adnumeret Mariam & Christum dominum, siue Dauidem & Iosiam bis recenseas, ut sint finis prioris quaterdena, et principium sequētis, inuenies concordare scripturam, etiamsi more omnium genealogiarum aliqui obmittantur, & nominum uarietate inuoluantur. Ad hoc enim didicimus in libris Neemiae, Esdrae, & Præteritorum, tam diligenter & prolixè conscripta nomina propria personarum, & alicubi per scripturas totas nomina locorum, ut intelligamus pro mutatione humanarum affectionum, & actionum instabilitate, hisce rebus non nimis teneri sollicitos nos, & de numeris & nominibus non anxie laborare. De mysterio autem huius numeri quadragintaduorum ueteres tradiderunt multa, quæ inuenies apud Origenem et Rhabanum, præcipue in admirabili poetica eius de laude sanctæ crucis, cæterisque ipsius commentarijs. Simpliciter autem intelligi datur, à principijs & fine harum tesserae decadarum, insignia quædam patrum facta secundum tempus indicari, Abrahamæ scilicet uocationem, & noui populi fidelis in ipso electionem, omnium uirtutum exemplaria & Christi promissiones, in Dauide regnum & renouatam promissionem, in Iosia pietatis restitutionem & impietatum subinde punitionem, in Ioseph autem nutritio Christi, & adeo in ipso Christo redemptionis initium & absolutionem.

Christi autem generatio sic erat:

Elegans præfatiuncula est, excitans animū auditoris, rem inauditam prius ac prodigiosam audituri, euangelium scilicet Christi domini tanto tempore expectati ortum, ac saluberrimam plenam gaudij spiritualis natiuitatem Messia, quem semper expectant Iudæi stolidi credentes semper futurum, qui promissus illis est semper perfidis, credentibus autem & electis dudum uenit. Hunc autem Christi tam admirabilem ortum uerbi dei æterni & adeo ipsius dei filij incarnationem & humanationem, uirginis partum, & diuinæ dignationis tantum sacramentum quis intelligere uel sperare potuisset, nisi diuinus spiritus per sacrum organum scripturæ sacræ retulisset, & clarius docuisset credentes, dicens, Sic erat & contigit uerbi dei incarnatio, Christi domini & saluatoris natiuitas?

Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in utero habens de spiritu sancto.

Quæ fuerat ab æterno mater Christi domini electa, nobilissima & dignissima dei genitrix, & uirgo paritura dei filium, hæc harum rerum, ut fit, prorsus ignara, & nihil supra humanum captum præsumens, exemplo omnium maiorum suorum, religioso uoto passa est se desponsari sancto uiro, non proposito perpetuæ uirginitatis, quod apud Israëliticam uniuersam gentem per se laudem non habuisse legitur, quibus benedictio erat numerosam genuisse prolem; nisi castitas huiusmodi uirginalis maioris alicuius boni causa, dei iussu & ordine fuisset assumpta. Alioqui sanctæ foeminae omnes, multæ fuerunt semper desiderio sanctæ prolis, ut fuerant iussæ ab initio conditionis humanæ. Ethnicis autem foeminis satanæ instinctu placuisse multifariam legitur cœlibatus, & nephandis idolorum cultoribus, qui sanctimoniam arbitrati sunt uxoribus caruisse; ut cunq; foedæ carnis furores & turpitudines experirentur, id quod

uniuersa

Virginitatis
uotum.

uniuersa dei lege obominandum deo decernitur & hominibus. Vocatio autem dei ad euangelizandi officium, & grauiam sustinendi pro ueritate, gratiam quoque continendi, administrabit deus, dum uiderit dignum. Nostro autem instituto praesumere, quod uires humanae non ferunt, & id uouere quod exhibere non possumus, temerariae stultitiae est, & fructus in ecclesia protulit perniciosissimos. Figmenta sunt ergo infeliciter continentium, quae de emisso uerbotenus uoto uirginitatis in sanctissima dei matre comminiscuntur. Semel autem sancto spiritu obumbrata & foecundata, felicissimo diuinoque donata partu, ut hominis congressum non petierit, ab homine sancto tanto mysterio agnito minime tentatam fuisse rationabile est & pium asserere, tanquam catholicum & sanctis semper commendatum, inuito Heluidio. Voluit ergo dominus desponsatam esse suam matrem, ad connubij sanctimoniam commendanda, qua non est alia castitas homini possibilis maior, & hominibus etiam sanctis utilior, nisi ubi, ut praedictum est, specialis dei gratia & uocatio locum habere certo scitur. Fugiendus potius docetur coelibatus, nisi ad commodius domino seruiendum & proximis a domino uocemur ad eundem: cum lex & institutio dei palam habeatur in contrarium, qua mares patres foecundas instituit esse debere matresfamilias, ut pericula grauiam uidentur, & hypocrisis non laudetur. Christus quidem coelebs uixit, & uirgo Maria seruata est, sed id salutis nostrae respectu ad eum est utiliter & sanctissime, & nostri causa, sicut & uerbi incarnatio. Desponsata ergo est, quae mater Christi futura & praedeterminata erat uiro Ioseph, de stirpe Dauid: sed non est maritalis copula consummata, quia antequam conuenirent, priusquam congrederentur, hoc est sine connubiali congressu, absque omni carnali copula, signis quibusdam deprehendit Iosephus Mariam uterum gerere, & filium concepisse, iam impregnatam & grauidam esse. Idcirco non dum Euangelista pronunciat miraculosum uirginemque fuisse conceptum, donec angelum id aperientem producit. Quis enim hominum suspicaretur mulierem esse spiritu coelesti concepisse foetum? Inuenta est ergo, hoc est, patentibus signis deprehensum a Ioseph, Mariam habere in utero, quod non quidem uiri ministerio contigerat, ut patebit, sed obumbratione, formatione, & opera sancti spiritus, miraculoque diuino. Christum oportuit nobis fieri gratiam & ueritatem, ideo a carne impura & infecto sanguine gigni non potuit: necesse ergo fuit suppleri uirilem hanc operam, occulta uirtute dei, & opera sancti spiritus corpus formari a domino in puella castissima, quae aequae erat de semine Dauid nata, & secundum carnalem propagationem filia Dauidis, ne quid hic Iudaei cauillari possint, ut solent. Vt sic ab omni peccato purus & sanctus, nos quoque purificare & sanctificare ualeret. Alia ergo fuit haec Christi domini generatio quam quae praescriptae nunc sunt. Fuit enim Christi mater uere & semper uirgo, & sponsa solum, & Ioseph solus sponsus eius & semper sponsus; nam uirgo & mater est, & semper innupta. Sic dum uirum audis & coniugem, intellige sponsum & sponsam. Nostra ergo causa oportuit uirginem Mariam seruari non sua, nec quod tanti sit uirginitas sola apud deum. Itaque si libet ac licet uirginem uiuere, uide ne tibi uiuas sed deo, Euangelio, ecclesiae, & proximo in gloriam dei.

Ioseph autem uir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere, trouit occulte dimittere eam.

Cum Ioseph esset uir pius, modestus, quietus animo & probus, uideretque

Sponsam secum habitantem grauidam, quam pro morum & pudicitiae ornatu odire non poterat, & eius mores non paterentur ut posset adulterium credere, celandum esse duxit quod admirabatur; noluitque eam statim traducere iracundus, hoc est, deformare famam, exemplum ponere per diuulgationem criminis, adere legum exemplar per eam, quam syncerius adamabat; & utique nullum adhuc audierat oraculum. Non igitur solum ab ultionis atrocitate, sed etiam ab accusationis seueritate aliena est iusti persona uiri, potiusque ducit suam remissionem accusari, quod non indicauerit, quam alienum crimen arguere. Non autem abhorret à sancti quoque persona timor & suspitio mali, quod odiat & optet uerum non esse, uel non prostitui fama ad exemplum, non puniendam pro flagitio, quod timendum erat etiam probò uiro, uidenti pregnantem eam quam sponsam non tetigerat. Dimittere ergo eam occulte consultat, hoc est, diuortium cum ea facere clanculum, quod palam non posset citra periculum famul & infamiam quam horrebat uxoris. Nec mirum, Ioseph quamuis iustum & tam altum ignorantem mysterium, hac de re fuisse turbatum, cum & ipsa quoque uirgo, quae illum probitate & gratia longe praecellebat, ob tantae rei nuncium turbata fuisse legatur apud Lucam.

Hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est:

Non est passa dei prouidentia & bonitas diu probum turbari, & rapi uariis ac periculosis cogitationibus, sed citius occurrit periclitanti iudicio, prohibens ne id faceret; idque cum primum certa quaedam indicia concepti naturaliaque conspiceret, quae negari non possent. Conceptus quidem est spiritu sancto supernaturalis fuit, quia sine uirili commixtione & semine: quae uero naturalislem consequuntur, huic non defuerunt uirgini, more matrum aliarum, quando & corpus assumpsit uerbum dei, per omnia nobis simile in fragilitate, absque tantum peccatis. Ut offendi non debeant uirginitatis ebuccinatores, à uerbis diui Augustini, qui hæc grauidarum signa adfuisse uirgini matri in quodam sermone prolixè commemorat. Per somnium ergo angelus domini loquitur sancto, priusquam admitteret, quod uel se indignum uel Mariæ incommodum esset. Diuinis namque percipiendis in somnis animus tanto aptior est, quanto à negotio corporis alienior est. Ita autem pijs domino curæ sunt, ut citius miraculo illos docturus sit, quam ut errare periculose permittat. Noli, inquit, timere, aut rei nouitate turbari, quo minus audeas eam sponsam accipere, & cum ea manere, ob diuinum quod in ea te latet sacramentum. Nam quod in ea conceptum uides uirgine, à spiritu sancto est, cuius uirtus est omnipotens, ut paritura sit filium quem uirgo concepit. Coniugis autem nomen quanquam parum competat in uirginem, tamen crebro tribuitur ei ab euangelistis, qui non uerentur Ioseph patrem uocare Iesu, quo & à principio celarent mysterium, & arcerent stupri suspensionem. Natum quod est in ea, hoc est genitum, sic enim appellat id quod conceptum est in utero, & nondum enatum, sed aliquo modo esse inceptum est, ut natum hic positum sit pro conceptum, ut non solum hæreticorum more dicamus Christum natum per uirginem, sed ex uirgine Maria, cum dicat Mattheus, Ioseph genuit Iacob uirum Mariæ, ex qua natus est Iesus, qui uocatur Christus: de spiritu sancto est, quod conceptum est, hoc est profectum & subornatum à spiritu sancto, uirtute diuina non commixtione humana. Ana

na. Angelus nunciauit, conciliator huius diuini complexus, pater obumbravit, spiritus sanctus preparauit uterum, dei filius impleuit. Noua sunt omnia, quia noua proles nascetur. Cœlo debetur quod pariet tua spōsa, castior etiam futura posteaquam pepererit.

pariet autem filiū, & uocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Filiū eum pariet, de quo dudum propheta dixit, Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, ad multiplicandum eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid & super regnum eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret &c. Isaie 9. Vide quæ ibi adnotauimus, unde & hic dicitur Non tibi, sed absolute Filius nascetur, quasi per antonomasiam. Tu uero manebis cum sponsa & filio, circumciditque curabis, illique nomen impones Iesus, quod est nomen super omne nomen, in quo cœlestia, terrestria ac inferna saluatur, quod non ab hominibus, sed à deo nominatum est, & per supernæ sublimitatis nuncium reuelatum. Cum enim Messias hic missus sit, ut sit salus mundi, & electis redemptio, recte à salute nomen accipit, ut *ישוע* nominetur, quod salutem et seruatorem significat, quo et Iosue filius Nun, & Iesus filius Iosedech nominati sunt inuitis Iudæis, qui nedum Græca non norunt, sed nec sua probe tenent. Cuius uocabuli rationem exponens angelus, inquit, Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Nulla alia creatura uel potestas humana aut intercessio, peccata remittit nostra. Christus autem populum suum saluaturus est, id est uniuersos omnium sæculorum fideles à peccatis redemit, quorum saluat animas, liberat à tyrannide peccati, à potestate antiqui serpentis, & ab inferorum poenis aternis. Hinc est quod Petrus & Ioannes Acto. 4. dicebant: Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, ut illud solum ex animo inuocemus, Iesu Christi nomen, qui iuxta prophetarum oracula liberaturus est populum à peccatis, non uictimis pecudum, sed suo ipsius uoluntarie effuso sanguine.

Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ecce uirgo in utero habebit & pariet filiū, et uocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum deus.

Cur hæc sic facta sint studiose monuit fideles Euangelista, oraculumque adducit Isaie, capite septimo, quod hoc in mysterio perfecte, ueraciter & digne deo impletum est, & toti mundo salubriter. Necessario enim implenda sunt omnia quæ dicta sunt à domino per prophetarum ora & scripta, quando apex non præteribit à lege, uel litera, eorum quæ de Christo dicta sunt, donec omnia fiant. Nos autem breuitatis studio huius loci explicationem legi malumus suo loco, quam prolixiora repetere. Nec sunt audiendi impij Iudæi, beatissima matris Mariæ perpetuam uirginitatem negantes, qui longe clariora de Christo domino testimonia intelligere nolunt, quem nondum uenisse contendunt, de quo tamen facile possunt conuinci, qui & non parum de eodem Messie aduentu hæsitant, propter peccata enim sua timent euacuatam prophetias, ut non uenturum Messiam suum opinentur, audeant quoque testari pro ipsorum more. Nos omnium prophetarum predicationes per Christum domi-

num nostrum impleta facile ostendemus, & illi alium aliquem, qui Messias fuisse putari possit nunquam nominabunt, unde & ad Christi doctrine & apostolorum ueritatem certissimam comprobendam facile procedemus, ostendendo longe illustriora nobis exhibita per Christum, et gloriosius esse regnum, quamque uel sibi optent per Messiam suum olim ad futura, uel temporali gloria cum suo rege Hierosolymis adsequenda. Quod ubi Christi domini nostri regnum, ueritas, doctrina, diuinitas, & uerbi dei incarnati gloria, scripturis esse conformia contra Iudæos declarabitur, facile persuadebimus sanctitatem, uirginitatem & gloriam matris suæ. Verum ut propterea ipsa adoretur, inuocetur, imaginibus colatur, circumgestetur, & ut diua omnipotens & regina cælorum prædicetur, & ut filio suo clementior deprecetur, & auxilium eius ueluti diuinum impleretur, id ut nullus unquam Iudæorum credere potuit, sic Christianorum piorum doctorum nemo olim docuit, nec à uere fidelibus poterit credi. Sed planè contra scripturas talia doceri, clarissimū est legenti scripturas utriusque testamenti. Huiusmodi immodicus noster honor sanctissimæ uirgini Mariæ delatus, semper inuidiam & inuincibile scandalum Iudæis sensatioribus mouit, ut eam magis oderint, & nos idololatrias, & uerbi dei negatores crediderint, tot diuorum imagines nobiscum cernentes, & adorationes corporis & sanguinis Christi, & miros abusus nostrorum sacramentorum, mercenarias quoque indulgentias cum scandalosa uita & doctrina religiosorum. Quæ omnia & his plura, si adimantur ab ecclesia Christi, facile disputando ex scripturis superabuntur, & credere poterunt, maxime si persuadeantur eò productos illos hactenus fuisse per Talmud suum, cui mordicus inhaerent, etiam contra sacras literas, quò nos peruenimus per theologiam scholasticam, & Aristotelicas disceptationes, canonesque eorum pontificum, qui sua quæsierunt, non quæ Christi. Similia enim nobis Christianis quæ & illis Iudæis contigerunt, postquam utriusque uerbi dei simplicem tractationē obmisimus, & traditiones humanas uerbo dei prætulimus.

Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus domini, & accepit coniugem suam.

Cum dominus cordibus loqui cœperit fidelium in somnis uel aliter, ut id fit multipliciter, quæ etiam humanæ menti impossibilia uidentur, non tantum absurda aut dubia, statim omnia credit, omnia sequitur, omnia amplectitur. Ita hic Iosephi animus, uim diuini responsi senserat, ut neque dubitare diuinitus sibi hoc immissum oraculum, quanquam omnem naturæ facultatem excederent quæ fiebant, neque grauaretur grauidam foeminam à se incognitam, ut uxorem fouere & nutrire, magisque iam seruuli & nutritoris quam mariti officium locumque amplecti. Is igitur qui somnum immiserat, qui apparebat, qui loquebatur, etiam assentire firmissimum dedit, ut expergefactus nihilo dubitaret angelum fuisse, qui loquutus est, & diuinum quod factum. In curam igitur accepit eam, quæ pro coniuge illi fuerat desponsata, diuinitus quoque iam grauidam dei filio, & expectatissimo omnibus sanctis Messia, cuius natiuitatem summo desyderio operiebatur, & matrem à deo dignam electam omni honore prosequiebatur.

Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum, & uocauit nomen eius Iesum.

Sunt

Sunt qui hoc non cognoscere exponant de Ioseph, nondum cognoscente qualis & quanta esset, quod mater Messie & dei genitrix, donec peperit filium primogenitum, quia ex tunc angelis & pastoribus nunciantibus patuerit qualis esset illa uirgo. Verum scripturae stilus habet frequenter cognoscere mulierem pro opere conjugali, à quo planè uir sanctus abstinuit facile, sancto foetu coelitusq; grauidam sciens, nò solum autè hoc, sed nec post natū filiū eam legitur uel creditur cognouisse. Sed nec primogeniti nomen arguit posterius Iesu fratres ex Maria hac uirgine natos: quando in scripturis sacris primogenitus dicitur ante quem nullus alius ab eisdem parentibus aditus est, etiam si nullus post eum unquam adatur. Est enim absq; dubio Christus dominus matri suae sanctissimæ non solum primogenitus, sed & unigenitus. Fratrum autem nomen quomodo accipitur, notius est in scripturis, quàm ut multis declaratur. Proinde facestant huiusmodi disceptationes, de quaestionibus nihil ad Christi fidem, gloriam & doctrinam pertinentibus. Christus sufficiat, qui est nostra redemptio, amor & desyderium, quo sic repleamur, ut diuorum quorumcunq; meritis & redemptione minime egeamus, & sanctorum gloriam zelumq; pro domino interturbare quantum in nobis est minime contendamus.

CAPVT II.

Cum ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente uenerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? uidimus enim stellam eius in Oriente, & uenimus adorare eum.

Post Christi domini conceptionem in uirgine Maria descriptam, & Davidis in Christi humanitatem per uirginem genealogiam nobilissimã, nunc quaedam infantiae sacrae mysteria euangelizat Matthæus. Apparuerat suo modo Ioanni baptistæ nondum nato, sed semestri tempus habens in utero, ex acclamatione Elizabet. Deinde iam nascens ex uirgine pastoribus in Iudæa innotuit saluatoris natiuitas, quæ per spiritū sanctum ordinate descripta sunt, dum illi placuit per Lucam Euangelistam. Hic epiphania Christi gentibus facta describitur, incertum quanto tempore post partum uirgineum à Luca conscriptū. Relatio est enim fabulosa de dierum numero, quando & dies natalitius olim quibusdam uisus est is, qui hodie dicitur Epiphaniae. Sed hæc ad rem nihil facientia consulto obmisit diuinus Euangelistarum spiritus. In Bethleem natus est Christus, ex inclyta uirgine matre. Quia uero non una est Bethleem, in ea regione quæ Iudæa dicitur post Esdræ tempora, complectens quicquid olim ad tribus decem cis Iordanem pertinuit, quæ & alicubi Iuda dicitur ex principali tribu, & regno diutius durãte. In qua Iudæa Bethleem duplex est. Vna in Galilæa sita in tribu Zabulon, Ios. 19. Alia in Iudæa proprie dicta sita est, alio nomine Ephrata dicta, in sorte tribus Iudæ: dicta alicubi ciuitas David, quæ Hieronymo teste abest ab Aelia, quæ & Ierusalem, sex milia passuū ad plagam Meridianam, aliarum ciuitatum comparatione uiculus dicta. Diebus autem Herodis Christus natus scribitur, quãdo iam iuxta prophetiã Iacob sceptrum de Iuda ablatum, alienigena obtinuit Herodes, patre Idumæo natus, & matre Arabe, quem & Iudæi dicunt Asmoneorum seruum fuisse, hoc est Machabæorum, & accepta puella ex eodem genere, cæteros sustulisse. Iosephus nominat

Magi. hunc Herodem Antipatris filium, de familia populari, genere privato, & regibus subiecto. Qui & dicitur à Iudæis sustulisse doctores legis, quia dixerant eum non posse Iudæorum regem constitui, qui Israëlita non esset. His igitur tunc diebus constat sceptrum Iuda ad alienigenam translatum, sub quo natus est Christus dominus. Id hic Euangelista subindicat. Magi uero hic nominantur nō malefici, & magicis imbuti artibus, sed sapientes, sōphi, philosophi, quales in Perside doctiores & aliorū moderatores dicuntur, nō ut nostri sunt multarū regionū ac urbū reges. Proficiscuntur autē ab Oriente, ductu nouæ stellæ, à qua parte Iudææ Orientalis est Persia & Arabia; sicut Chaldæa eidem sæpe Aquilonaris dicitur à prophetis, Aegyptus autem Australis. Accipi autem potest ortus solis, non tantum Aequinoctialis, sed & Borealis & Australis Oriens, haud parum distans, ne quid hic incommodi admittatur, si Sabæorum regio proxima Persidi Orientalis dicatur Hierosolymæ collata. Ad commendationem autem miraculi dicitur, eos peregre ab Oriente uenisse, ad quod usus est aduerbio excitandi, præmittens Ecce. Venerunt autem eadem uia, quæ stella præeunte ducebantur studiosi astrorum, & à domini sp̄ritu excitati, in typum gentilitatis, Christi regnum olim agnoscituræ: de qua Christus Matth. 8. Dico uobis, quod multi ab Oriente & Occidente ueniēt, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum, filij autem regni eiciantur in tenebras exteriores. Hierosolymam autem uenientes Magi, metropolim Iudæi ei regni olim et gentis totius adeoq; tunc quoq; ob eruditionem famatā, dicūt: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Hæc illi dicentes, nihil prorsus dubitare uidentur de reuelatione sibi facta ad agnitam stellam, neq; ipsum Herodis aut Cæsaris formidare potentiam. Iudæorum enim rex tunc Herodes erat alienigena, ex ambitione & pecuniarum pollicitatione suffectus à Romanis, magnoq; fauore multorum nomen sibi regium usurpauerat. Indicant quoque regem istum non electum, uel suffectum humano arbitrio, sed prouidentia dei natum regem. Vbi, inquit, est, qui natus est rex Iudæorum? quomodo & Christus Pilato dixit. Deniq; ut aliquanto significarent eum homine maiorem esse, & fermè deo equalem addunt: Vidimus enim stellam eius in Oriente. Stella designari natum ut adoretur, diuinum planè erat, & dominum aliquem ostendebat gentilibus sōphis, quod nemini regum contigerat. Soli Christo nato regi, filio dei & uirginis hic honor debebatur: ut qui maior erat omnibus, & hominibus & supremis quibusque potestatibus, stella monstraretur, cuius regnum non esset de hoc mundo, nō ex hominibus, sed supra homines, diuinus non humanus, in quo prophetia impleretur, olim eadē fermè in gente famata: Orietur stella ex Iacob, & consurget uirga de Israël &c. Stellam eius sibi dicūt uisam, nō quæ natiuitatis huius causa extiterit, uel sub cuius influentia ordinata fuerit uitæ & mortis Christi dispositio, uel quæ dominiū exerceat in ipsum, sed quæ per miraculum noua apparuisset in æthere, nouo cursu & opera ad nouiter natum indicandum. Apparuerat hæc stella ipsis obseruatoribus astrorum diebus aliquot, & sollicitabat animos studiosorum, donec collatis cogitationibus decernerent otiosum non esse, quod tam insolitum ipsis uidebatur. Sciebant aliarum stellarum ortus, altitudines, occasus, & situs, simul & magnitudinum differentias. Hanc longe aliter sitam & motam cernebant, quæ & proximior, mota iter hominibus monstrare, & ueluti præeundo ductitare poterat. Quam sequentes ductricem, & Hierosolymam regiam diuertentes, eadem aliquandiu intra Iudæam non apparente, percunctantur, ubi sit nouus

rex natus, pro quo adorando iam uenerint per tanti itineris molestiam. Doet nos hæc noua per miraculum stella oborta, non nisi cœlesti ductu Christum cœlorum & astrorum regem inueniri & adorari posse, nihil hic proficit naturalis ratio & humana industria, sed impedit magis. Diuina bonitate & gratia electis reuelatur Christus, contra opinionem carnis & sanguinis. Vtrum uero stella orta sit in Oriente, an ipsi ibi positi ad Occidentem natam uiderint stellam, ambiguum est. De qua tamen dicitur, quod eos præcesserit, & sic loco mota ab Oriente ad Ierusalem Magos perduxerit. Dominicæ natiuitatis nuncia, nunquam prius apparuit, sed eam tunc puer creauit, & Magis præuiam deputauit, quæ & mox pacto officio esse desiit. Ne hinc astrologi uanitatis suæ commenta audeant asseuerando inducere.

Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum eo.

Herodem turbatum alienigenam, regem Iudæorum, mirum non est: male enim fidei possessor & tyrannus erat, & pijs omnibus inuisus. Vnde & audiens alium à se regem Iudæorum Hierosolymis quæri, qui legitimus uolebat haberi, turbatus est, sciens se indignum; Iudæi autem, & tota Hierosolyma fide carentes scripturarum, turbantur, de promissis dei ingrati admodum & increduli, quos oportuerat magis gaudere de eo quod à Persicis Magis adeoq; prophetis peritissimis rerum multarum iam quæreretur Messias, & prædicaretur natus, qui sub illud tempus sapientum quoque testimonio expectabatur uenturus. Multa saepe clade Herodes urbem & regnum affecerat, qui nunc Iudæorum nouo rege irritatus, timebatur atrocius sæuiturus. Tota ciuitas turbatur, id est multa fautorum ac ambitiosorum turba, qui scripturas sacras uel ignorabant uel non credebant, nempe primores & rectores urbis. Nato itaq; rege cœli, rex terræ turbatus est, quia nimium terrena altitudo confunditur, dicente Gregorio, cum cœlestis altitudo prædicatur. Deniq; saepe populus insensatus, ut solet, plus fauet & iniuste eis quos sustinet crudeliores. Vnde & Salomon dicit: Rex iniustus omnes ministros impios habet. Pij uero ad Christi domini regnum & euangelium capita leuent, fideliter sperent, appropinquantem redemptionem excipiant, Christi imperium antichristo præponant, pacificum regem ecclesia agnoscat & ueneretur.

Et congregans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

Vt cunq; Idumæus esset Herodes, quia tamen Iudæorū regnū iam diu tenuerat, & sese non nihil, quamuis tyrannus, attemperare Iudæis studebat, ideo legem domini & prophetas reuereri se fingebat. De uenturo quoque Messia non nihil à Iudæis didicerat, sicut & Agrippa. Vnde & regem audiens nominari & natum, suspicatur Messiam esse, cuius aduentus à Iudæis omnibus propediem expectabatur, prædictus multipliciter à prophetis, quos contemnere non ualebat. Primores ergo conuocat sacerdotum, hoc est summos pontifices, & quotquot docti erant in achademia Hierosolymitana, ex pharisæis quoque & sectis alijs, in quibus scribæ erant, hoc est legisperiti, & in sacris literis eruditi. Ab his cupiebat scire quæ de Messia prodiderant oracula prophetæ priores. Celebris enim tunc fama erat ex posteritate Dauid Messiam oriturum. Inquir ergo ut potuit impius rex, ut si inueniat natum, agat quod furia illum po-

scia coegit efficere: sin aliter, saltem excusatus sit Romanis, Discens interim, si qui Iudæorum gratulabundi audirent nouum regem adfuturum, & odium quorundam in se, qui quia tyrannice preerat multis inuisus erat, Singularem autem dispensationem dei interrogantur illi, ut ueritate confessa, quam agnouerunt, grauius damnentur ipsum postea crucifixuri.

Mich. 5. 4
Ioan. 7. f

At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ: sic enim scriptum est per prophetam, Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iudæ: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.

Non imperite uel infideliter responderunt, Consentiunt usque hodie filium David Messiam natiuitatis suæ ortum ex Bethleem habiturum, De quo uide locum eundem Micheæ 5. uersu 2. De uarietate autem allegatæ sententiæ quo ad uerba, ubi tamen sententia satis constat ad propositum Euangelistæ, non mirandum, quandoquidem Christi temporibus iam Iudæi Hebraica scriptura prophetica non utebantur, nam rari tunc erant eius linguæ periti. Vulgata iam erat translatio Syriaca alicuius, uel Ionathæ uel alterius, multi enim fuerunt, sicut & Græce eadem scriptura tunc uarie legebatur: eam enim Græcam linguam tunc docti ferè omnes callebant, Euangelistæ autem de sensu certi, ex Græcis uel Syriacis Biblijs proferebant testimonia non semper ad literam consonantia. Constat & Christum dominum magis omnia Syriace dixisse, etiam moriens, quam Hebraice. Erat igitur sensus quem adferebant hi scribæ ex propheta, Et tu Bethleem in terra uel regione Ephrata, quæ sita est in tribu Iuda, quasi aliquis comitatus sub oppido Bethleem habens multas filias, & si sis paruus uiculus, comparatus ciuitatibus cæteris tribus Iudæ, ubi tanta sunt milia, tamen non es minima, aut nunquid poteris minima reputari: quia ex te egredietur Messias, dux magnus &c. Hæc autem latius uide suo loco, satis clara & certa minimeque dissona ab Euangelista, qui aliud non spectauit, quam ostendere prædictum scripturis fuisse Messiam de familia Davidis ex Bethleem nasciturum non latuisse Iudæorum scribas. Vulgatis ergo tunc testimonijs usus est, ne uulgus ecclesiæ nouis uocabulis turbaretur, aliud non intendens, quam dicere Bethleem exiguam esse ædificijs & multitudine ciuium, ortu autem Christi maximam fore & gloriosam præ alijs.

Tunc Herodes clam uocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis,

Sceleratam conscientiam suam latere uoluit Iudæos et Magos, cum dei prouidentiam nec latere nec impedire ualeret, ideo perquisiuit exacte tempus, quo stella apparuisset Magis, ut iuxta tempus quo stella apparuisset, sciret in ignotam sibi ætatem. Pessimè Herodes meritis de Iudæis tyrannorum more omnia metuebat, ex insana cupiditate regnandi, noluit ergo diffamari passim Iudæis natum alium regem. Non mouetur nec cœlitus apparente stella, nec oraculo prophetico, non uulgata Messia opinione proximo uenturi: sed post hæc omnia tanto uehementius furit, & nititur extinguere inuito deo regem natum more omnium impiorum, contra stimulum calcitrantium, & ira exagitatorum contra ueritatem infallibilis uerbi dei. Diligens est ad excogitandum artes nocendi ad malum & contra deum, sed omnia frustra, quod non sit consilium contra dominum. De quo pulchre Leo papa: Quam felix foret si Magorum imitaretur

imitaretur fidem, & conuerteret ad religionem, quod disponebat ad fraudem. O cæca, ait, stultæ æmulationis impietas, quæ perturbandū putas diuinum tuo furore consilium, dominus mundi temporale non quarit regnum, qui prestat æternum. Quid incommutabilem dispositarum rerum ordinem uertere, & aliorum facinus præoccupare conaris? Mors Christi non est temporis tui. Ante condendum est Euangelium, ante prædicandum est regnum dei, ante sanitates donandæ, ante sunt facienda miracula. Cur quod alieni futurum est operis, tui uis esse criminis, & non habiturus effectum sceleris? In solum reatum te præcipitas uoluntatis? Nihil hac molitione proficis, nihil peragis. Qui uoluntate natus est, arbitrij sui potestate morietur.

& mittens eos in Bethleem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de B puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniens adorem eum.

Herodes deuotionem promittit, sed gladium acuit, malitiam cordis depingens colore humilitatis. Finxit se uultu & uerbis adorare eum, quem inuidamente cogitabat occidere. Cuius personam representant hypocritæ, qui dum sicte deum quarunt inuenire nunquam merentur, de quo Gregorius: Cognita regis natiuitate Herodes ad callida argumenta conuertitur, & ne terreno regno priuaretur, renunciari sibi ubi puer inueniretur postulat, adorare se eum uelle simulat, ut quasi hunc, si inuenire possit, extinguat. Sed quanta est humana malitia contra diuinitatis consilium? Præmisit igitur Magos, & dominus qui nihil non uidet, siue in aperto siue in occulto moliantur quicquam homines, stultum eius & insanum confundit & irritum facit consilium,

Qui cum audissent regem, abierunt, & ecce stella quam uiderant in oriente, antecedebat eos, usq; dum ueniens staret supra ubi erat puer.

Tentata plurimum est Magorum solida fides, dum in regia urbe, non tantum non inueniunt quod quarunt, sed ad nomen eius regis cernunt omnes etiam Iudæorum primores perterritos. Poterant se delusos cogitare, dum Iudæorum saluatorem intelligunt à Iudæis parum appretiari. Sed fidelis dominus facit cum tentatione prouentum, ut sustineri possit. Mox enim ut regem reliquerant, ecce stella quam uiderant dum adhuc essent in sua terra, illos iam denuo præcedebat Hierosolymam exeuntes: non sine miraculo illos præuia ducit, recta ad Bethleem, & ad domum in qua paruulus recens natus à uirgine latitabat adhuc totum orbem. Sic dum electis dei bonitas ut lux præclara affulget, ita se animis illarum insinuat, ut omnia posthabeant, omnia relinquunt, quo Christum dei sapientiam & iustitiam præsentem inueniant, crucis scandalo nihil offensi, præsentemq; hoc est plene cognitum adorent, & sese illi ac omnia offerant.

Videtes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno ualde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum,

Sideris quidem spectaculo Magi gauisi sunt in Oriente, sed multo magis nunc ad locum desyderatum perducti in Bethleem, dum adhuc factum tam ingens cunctos lateret Bethleemitas, ad salutem infantis, ne quis improbo regi proderet pergeret recognitum regem mundi et fidelium. Stella igitur locum indicat, non quisquam mortalium. Statim autem significato puero conspecto &

inuento, signum stellæ disparuit. Ingrediuntur igitur Magi tale palatium, eo satellitio munitum, ea pompa suspiciendum, ut humana ratio ne regis quidem minimum seruulum agnouisset, nulla siquidem instructum suppellectili, humanis copijs & rebus familiaribus ex omni parte priuatum. Animo autem religioso puraq; mente & fide firmi, ex signo suscepto coelitus, & scripturæ testimonio roborati non perturbantur, non scandalizantur, nihil dignum aspicientes regiae maiestati. Cum autem regem inquirerent Iudæorum, puerum infantem inueniunt cum paupere matre, pannis inuolutum, & reclinatum in præsepio. Inuenerunt, inquit, puerum cum matre, à qua non aspectum auertunt. Iuuentulam attendunt morum grauitate grandæuam, sapientem, pauperem, uerecundam apte, & in ipsa sua paupertate gaudentem. Ioseph nō hic inuentus describitur ut à pastoribus. Procidentes autem adorauerunt eum, quem primo illa quæ genuit adorauerat, euangelizauerant angeli, pastores agnouerant, nunc eum Magi procidentes adorant, & omnis mundi sapientia ante Christi simplicitatem incuruanda ostenditur. Adorare autem, est corporis prostratione uel incuruatione regem regum & Christum dominum agnoscere, uenerari, & contestari. De hac adoratione Leo papa: Consumant Magi desiderium suum, & ad puerum dominum Iesum Christum eadem stella præeunte perueniunt: adorant in carne uerbum, in infantia sapientiam, in infirmitate uirtutem, & in hominis ueritate dominum maiestatis.

Psal. 71. b

& apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurū, thus, & myrrhā.

Vt (inquit Leo omnium Romanorum episcoporum doctissimus & disertissimus) sacramentum fidei suæ intelligentiæq; manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus deo, myrrham homini, aurum offerunt regi, scilicet humanam diuinamq; naturam in unitate uenerantes, quia quod erat in substantijs proprium, non erat in persona diuersum. Hæc autem adoratio, oblatio, & protestatio soli regi regum, & filio regis æterni merito debebantur, quibus fidei suæ synceritatem testabantur, & de melioribus quæ habebant munera deferrebant, ad matris pauperculæ sustentationem, quæ & dona regia erant è prouintia Sabeorum proxima Persidi. Verum ex natura munerum & mysterio rerum oblatarum à Magis non probare conabimur Christi diuinitatem sacerdotium & mortalitatem, sed ex alijs locis prophetiis multis. Admiranda potius dei gratia, quæ immeritos hos Magos tanta filij sui cognitione & fide donauit, eiusdem quoq; iudicium, qui Hierosolymę primores Iudeos, quibus Christus promissus fuerat, postponit Ethnicis, quos ad fidem illis obmissis benigne uocat.

Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam.

Magorum animus dolum Herodis præsentiscere nequibat, ut simplex semper est pietas, atq; ex se alios quoq; metitur. Adest ergo oraculum, quod periculo eximat, tutoq; faciat redire ad suos. Id autem in somnis reuelatione peculiari factū est, cum simplici id ductu spiritus agere dominus potuisset. Verum discimus nostri curā habere dominū, à quo pendemus, qui simpliciter illi confisi destitui non possumus, nec deferri in periculis: quando & angelis suis mandauit, ut fideles custodiant in omnibus uijs suis. Non sponderant Herodi de inuentis renunciandis, quæ et si promississent, tamen à superiore domino absoluntur, maxime cum in fraudem fuerit facta postulatio. Alia uia reuersi sunt,

non

non qua uenerant per Hierosolymā, sed & uenerant fide signi, redeunt autem consolati signato. Venerant mathematici, reuersi sunt in fide catholici. Et hæc etiā tunc angelico gerebantur ministerio, tam quæ magis ad Christū uenientibus & abeuntibus facta sunt, quàm quæ etiam Ioseph, relicta Nazareth, profisciscens in Aegyptum erat factururus. Erat enim non solum hominum, sed & angelorum rex cœlestiumq; omnium potestatem habens, quod consequenter scribitur:

Qui cum recessissent, ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. C

Cuiusmodi uitam Christo suo dilectissimo filio dominus ordinauerit statim ab infantia, plenam nempe periculis & ærumnis, hic discimus, ut mox docuerit regnum eius de hoc mundo non esse, nosq; animaret ad similem uitæ nostræ sortem, si cum Christo regnare optamus. Fuga Christum seruari oportuit, qui uerbo potuisset Herodem cum omni sua potentia perdere. In Aegyptum autem mittitur, famosæ impietatis gentem, sed non tam ingratham, ut ludæorum natio infelicissima: declarans regnum dei transferendum ad gentes, iuxta prædicationem omnium prophetarum, seq; uenisse ostenderet quærere & saluum facere quod perierat. Videmus interim quam ob causam permiserit deus desponsari uirginem, ut diligentem eius curam Ioseph gereret. Nō dixit autem accipe uxorem tuam, sed matrem eius. Nam quoniam suspicio soluta fuit, & iustus per tot magnifica sibiq; nota miracula in tempore partus probauit ex spiritu sancto esse omnia, non ultra uxorem eius illam nominat uel habuit. Duo quoq; sunt regna malorum, Babylonæ regnum & Aegyptiorum. Babylonem per magos suscepit adorantes, Aegyptum autē sua præsentia sanctificauit, & per Apostolos conuertit ad pietatem. Esto illic donec tibi dixerō, donec iussus fueris à deo. Oportet enim nihil facere præter domini uoluntatem. Pulchre autem magorum donarijs communitus est Ioseph ad hoc matris filijq; tam diuturnum exilium, ut temperare semper solet dominus tentationes fidelium, ut ferre possint, ut minime desperetur. Prædicatur autem periculum pueri, & malitia tyranni, quæ tamen & ipsa ex domini prouidentia pendens, nutu unico finiri potuerat: sed sic domino placuit agere cum unico & dilecto filio, ne nos facile miracula à domino postulare pergamus, sed simpliciter ipsius sanctæ uoluntati & iussibus resignati obtemperemus. Stultus alioquin Herodes laborans domini uoluntatem uincere. Nam si quidem ex deo non est regnum Christi, quid timet: si ex deo, impedire & puerum perdere non poterit. His autem rebus parabatur exemplum, quid essent ab impijs passuri principibus qui credituri essent Euangelio, quid profecturi qui fidem Euangelicam teneram adhuc & impiorum animis gliscentem crudelitate sua conarentur extinguere.

Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum. Et erat ibi usq; ad obitum Herodis, ut impleretur quod dictum est à domino per prophetam dicentem, Ex Aegypto uocaui filium meum. *Osce 11.4*

Nocte fugit, cum simpliciter iubetur fugere, in quo diligentiam præ se tulit

parendi oraculo, docuitque hoc factum, ut dum de domini uoluntate constat, omnis intendenda sit ratio, & uires omnes, ut quod probari domino cognouerimus, commodissime perficiamus, quibus sic domini uoluntati studentibus, non deerit consilij spiritus, auxiliumque diuinum. Vt cunque uero uarijs potuerint fidei tentationibus impeti, scientes diuinum infantulum Herodis furiam posse uincere, simpliciter tamen utriusque Maria et Ioseph, diuino parent oraculo, omnia boni consulentes, etiam quorum rationem inire non poterant. Ita ubi de uerbo domini constat, ut cunque rationi absurda, obsequendum simpliciter est. Quod autem Osee dictum cap. 11. de populo Israëlitico ex Aegypto educto dictum est ad literam, ubi exprobrat illis reditum in Aegyptum ex malitia contra legem, ubi et sint disperdendi per Assyrios, hic dicitur completum in Christo. Id sicut et in alijs locis multis accipiendum est, ut quadrans huic quoque Christi negotio, in quem æque hoc dictum competere certum sit. Cum enim uere & primogenitus dei filius Christus sit, & per angelum domini ex Aegypto reuocatus, utique & in populum uerba illa prophetae competere, uereque posse dominum dicere, Ex Aegypto uocaui filium meum, nihilo plus & Euangelistam hic uoluisse adferere. Sine autem præiudicio locorum multorum, ubi ad literam prophetae loquuntur tantum de Christo, ut patuit in cap. hoc secundo ex Michæa. Verum de hac re tractatum idoneum & ueracem lege hoc loco in Martini nostri Bucerii enarrationibus doctissimis & amplioribus, & in libro Hieronymi ad Pammachium de optimo genere interpretandi.

Tunc Herodes uidens quoniam illusus esset à Magis, iratus est ualde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis.

In hunc finem patet Herodem tam diligenter interrogasse de nato rege. Non fuerat illusus, sed ex decreto diuinitus delapso alia uia redierant à Bethleem Iuda ad suam patriam. Manserat autem ad minus quadraginta diebus in Bethleem puerpera uirgo, in quorum dierum posterioribus Magi aduenerant & adorauerant, redierantque ad sua: interim beatissima uirgo purificationis termino Hierosolymam adiit, satisfactura exempli gratia & deuotione legis, gratiarumque actionis causa, par turturis oblatura, aut duos pullos columbarum. Qua in urbe satisfacto legi, uidetur Iosepho reuelatum fuisse ab angelo in somnis, propediem exarsuram iram Herodis, utque aufugiat cum matre & puero in Aegyptum, quod & fecisse scriptum est. Post que tempora non adeo longa, dum de nuncio noui regis sese Herodes recolligeret, & aduerteret processisse tempus, nec Magos rediisse, intra quod tempus dei prouidentia Ioseph cum infantulo & matre aufugernat, sic diuina prouidentia omnia subordinare, tunc impius tyrannus colophonem suis crudelitibus impositurus iratus est, spreto se arbitratus, ex qua statim ira præcipit infantes occidi omnes à bimatu & infra, quo minus aliquo pacto euaderet quem quærebat inaniter. Nec autem tantum in Bethleem contentus est saeuisse, quin & in finibus eius in tota Ephratea regione, & in uiculis, id est filiabus Bethleem perquiri tyrannice iussit infantes masculos, ut alter quispiam Pharaos. Potuit & aliquanto tempore post purificationis exactum sacrificium iuxta Lucam redisse in Galilaam, & ibi de fuga accepisse angelicam commonitionem. Potuit de Aegypto post septennium rediens, & in Ierusalem domino gratias agens, à Luca dictus, transisse in

isse in Galilæam: ut nō anxīa scripturæ conciliatio necessaria sit, quæ uterq; à nobis intelligatur, falsum continere nō potest. Laborant studiosi pro locis conciliandis, cum causæ totius finis & status clamet nihil dubitandum, & ad conciliandum auctores temporis, locorum & actuum conditiones facile persuadeant omnia conuenire posse, si legitime à fidelibus omnia conferantur. Maxime cum bimatus infantium obseruatus sit, sub quod tempus multa committi & obmitti ualuerint.

Tunc adimpletum est quod dictū est per Hieremiam prophetam **D** dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel ierem. 31. 6 plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

Iterum hoc testimonium Ieremiæ 31. non proprie scriptum tunc est de infantibus ab Herode occidendis, sed de filijs Iuda & Benjamin, in captiuitatem Babylonicam auferendis, quos deflet mater Rachel, sepulta apud Bethleem, mater Beniamitarum & Ephraimitarum, hoc est totius Iudaicæ nationis, quæ iuxta prerogatiuam Ephraim filij Ioseph, sæpe Ephraim dicitur: sed & Benjamin tribus coniuncta fuit tribui Iudæ, sicut & Simeonis & Leui. Scribitur igitur Rachel defleuisse Israëlitarum & Iudaici regni exitium & exilium, planxisse quàm maxime & altissima uoce, uel pro Rama destructa urbe in Benjamin: consolationemq; accepisse per prophetam à domino, futuram mercedem operi suo, hoc est rursus reuersuros Israëlitas ab exilio, quos pia mater putasset extinctos. Quia igitur nunc isti regioni Bethleemitiçæ similis clades acciderat, non sine causa, euangelistarum etiam aliorum more, hoc Ieremiæ dictum aptatur. Quorum omnium sensum & uerba uide proprio in loco.

Defuncto autem Herode, ecce angelus domini apparet in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & uade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animā pueri.

Tandem impius Herodes multis modis malus & crudelis, trigesimo septimo regni sui anno, periit amara morte, febrī & dysenteria, scabie & podagra, putredine quoq; uerendorum, & pro generatione uermium, spirandi difficultate, tremore & contractione membrorum infeliciter absoluit animam. Christus autem dominus noster regnat in æternum. Indulgentia autem optimi patris, & eius qui Christi humanitatem deitati uerbi & filij unitam negligere nō potest, excellentissima charitate ab exilio iam puellum reuocat cum matre & nutritio. Monet quoq; ut non in Iudæam ubi Archelaus regnabat Herodis filius concederet, ne in regiam Bethleem diuerteret, iustam quidem patriam et incunabula felicia, sed Galilæam suadet & imperat accedendam, ubi cōceptus fuerat diuinitus, ubi angelus Gabriel uirginē salutauerat, de quo fidelis Euangelista prosequitur, Archelaus autem ab Herode institutus successor in Iudæa, ob insolentiam eius accusantibus Iudæis, iudicioq; senatus apud Viennam, quæ Galliarum urbs est, exilio relegatus uitam finiuit.

Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius, & uenit in terram Israel.

Fidelissimus Ioseph nutritius & sacratissimus Mariæ sponfus, nihil cunctatur omnes complecti sollicitudines & labores, siue in Aegypto exulans, siue denuo rediens ad sua, statim præsto est ad uerbum domini, ad reuelationem angelicam, cui iam assueuerat assentiri, & nullatenus dubitare. Puerum, dicit, ac-

cepit non filium: matrem quoque Christi domini, non uxorem suam, hoc est Iosephi, Terra autem Israël dicitur, quia duodecim olim tribubus sorte diuisa, cuius Septentrionalior & Orientalior pars nobilis erat Galilæa superior, iuxta lacum Tyberiadis, non ea quæ dicitur aliàs Galilæa gentium, illi contigua.

Zach. 6.
Isaie 4.
Ierem. 23.

Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire; & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et ueniens habitauit in ciuitate quæ uocatur Nazareth, ut impleretur quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaræus uocabitur.

Huius loci difficultates quasdam satis simpliciter Erasmus declarasse uideatur his uerbis, quæ & satisfacere possunt studioso Lectori. Sic autem explicauit: Ut uero patriæ fines ingressus est Ioseph, atque illic certo rumore cognouisset, quod Archelaus Herodis defuncti filius, paterni regni dimidium assequutus, uice patris regnaret in Iudæa, ueritus ne filius ut in regnū ita & in crudelitatem paternam successisset, timuit eò proficisci, ac rursus oraculo angeli confirmatus, unde iam totus pendebat, secessit in partes Galilææ, quæ pars obuenerat Herodii tettrarchæ, fratri regis defuncti. Hic tuta omnia pollicente angelo, inuitauit etiam patriæ charitas, simul hoc agente consilio diuino, ut per occasiones uarias Christus multis diuideretur, qui nulli non uenerat. Bethleem huius partu gloriatur. Hierosolymæ oblatu est, & purificata mater, prædicauit & passus est, ac resurrexit. Aegyptus tanto hospite felix erat. Habet Nazareth quod de tanto alumno gloriatur: nam hic erat parentis patria, in qua filium conceperat, uiculus humilis & obscurus, Galilææ contemptæ apud Iudæos regionis, sed hoc magis oportuna latebra puero aduersus Archelai sæuitiam. Et illud interim nos re ipsa docente deo, in his quæ diuina uoluntate geruntur, nihil opus esse mundi præsidij, opibus, potentia, factionibus, generis claritudine, imò hæc adiuncta obscurant apud homines gloriam dei. Nam ne hoc quidem accidisse fortuito satis arguit, quod prophetia iam olim futurum prædixerat, quod Messias ille Nazaræus appellaretur, quod & factum esse, uel ipse titulus indicat, quem Pilatus ignarus prophetiæ cruci affigi iussit, Iesus Nazaræus rex Iudæorum. Et hodie qui Christum profitentur, ab eo Nazaræi dicuntur à plebisque. Neque uocabulū ipsum mysterio uacat, Nazareth Hebræis à flore nomen habet, quod hic è uirgine conceptus sit purissimus ille flosculus, omnis uirginitatis consecrator, quemadmodum Bethleem domum panis sonat Hebræis, ubi proditus est ille panis cœlestis, quem qui ederit, uiuet in æternum. Hic igitur annos aliquot uixit, uelut ignotus cum matre & nutritio suo, cuius filius ab omnibus existimabatur, donec ad ætatem adultam progressus, iam ipse sese doctrina, miraculis, morte & resurrectione in mundo proderet. Nulla interim re insignis aut inter ceteros mortales eminens, nisi quod omni probitatis genere donisque cœlestibus sic indies proficiebat, ut nemo non magnum aliquid ab eo puero expectaret. Legis etiam interim obseruatissimus, ne quam ansam daret maleuolis obtrectandi, sed per omnia satisfaceret omnibus. Maluit ad tempus obseruata lege ad perfectiora adducere Iudæos, quam ea spreta animos illorum ab sese alienare. Semel dumtaxat specimen sui præbuit Hierosolymis, annos natos duodecim, quum clam relictiis parentibus, repertus est in templo in medio doctorum sedens, audiens illos, ac uicissim sic interrogans ut omnibus esset admirationi. Iam tum uidelicet gestiebat indoles ad ea quorum gratia missus erat in mundum. Sed ut hoc erat animi prompti laus, ita moderationis & obedientiæ

obedientiæ erat exemplum, expectare tempus à patre præscriptum. Hæc apposite dicta ab Erasmo non piguit Lectori nostrorum proponere, quæ tamen à Stapulensi & Bucero paulò aliter tractantur.

CAPVT III.

IN diebus autem illis uenit Ioannes Baptista prædicans in deserto ludææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.

A
Marc. 1. 4
Luce 3. 1
Isa. 40. 3. 5. 6
45. 1
Zach. 1. 4

Tiberij Cæsaris anno quintodecimo, factum est uerbum domini super Ioannem in deserto, ut prædicaret baptismum pœnitentiæ. Circa quæ tempora dominus quoque trigessimus ætatis agebat annum. Totum autem à reditu ex Aegypto tempus, decem & octo ferme annorum, Euangelista silentio præterit, sicut & Lucas à duodecimo anno. Hic uero narrare incipit, quomodo Ioannis prædicatione hominibus sit proditus, & in baptismo patris uoce humano generi commendatus, & inauguratus iuxta hominem in officium docendi homines, ac redimendi. De huius autem Ioannis Baptista ortu mirabili, et prædicatione Lucas 1. plenius narrat, quæ ordinata ad hoc fuit, ut Christus dominus orbi expectatissimus ardentiori desiderio susciperetur. Desertum autem Iudææ intelligitur regio montana, ubi domus intelligitur fuisse Zachariæ patris, non locus aliquis omnino incultus, sed ad Iordanis fluentia non longe à lingua maris mortui uel ostio Iordanis in obscuriore aliquo loco erat: ubi ob sanctitatis famam à puero, tum cœpit dei prouidentia à populo deum timente frequentari, & pro uitæ & doctrinæ reformatione inquiri. De cuius Ioannis ortu, infantia, conuersatione, suo loco Euangelistæ testantur, ubi & tractabuntur ea sufficientius, nempe de prophetia, cibo, uestibus, usu uiuendi uniuerso, sine tamen hypocrisis & inimitabili aliqua ratione uiuendi, more nostrorum eremitarum delicatolorum. Caro quidem castiganda est, ut spiritui subijciatur, sed citra insolentem in externis rerum nouitatem, deum magis quam homines in testimonium exhibentem. Possimus sanè si in deserto agimus cum Ioanne, & si in cultiore regione cum Christo, consuetis uti: nihilo tamen minus ueram modestiam ac abstinentiã præstare. Parum fuisset desertum incolere, sed illic proficere in dei gloriam & proximorum ædificationem, id uerè sanctum ac religiosum erat. Prædicabat ergo hic eremita & Christum, non se prædicabat, non traditiones pharisaicas, sed initium melioris uitæ, respicientiã à priore mala conuersatione, quæ dicitur uerè pœnitentiã, & Christum dominum per quem mundus consequuturus erat regnum cœlorum. Duos ergo scopos uniuersæ prædicationis indicat Euangelista, Pœnitentiã & Christum, id quod non aliter quam ex scripturis sacris, ex uerbo dei, & ex prophetarum oraculis. Sic quoque Christus & Apostoli prædicationes suas exorsi sunt, prioris uitæ ut pœniteat, eatenus, ut deponatur, noua quæ meliore mutetur. Id si fiat, accessurum propediem diutissime expectatum regnum dei, regnum spiritus, & solidæ pietatis. Aduenturus sit enim qui iustitiam ueram uerè donet ac doceat, qui promissus est dandus in fœdus populorum electorum. Quis uero is Ioannes fuerit, breuiter oraculo prophetico prænunciatum declarat Euangelista, dicens:

Hic est enim de quo dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Vox clamantis in deserto, Parate uiam domini, rectas facite semitas eius.

Isaia 40. 4
Ioan. 1. 9
Marci 1. 4
Luce 3. 4

Isaia 40. hic locus legitur, & quadrat peculiariter hæcenus in Ioannem, quod uocem hanc Euangelicam, de qua illic propheta uaticinatus est primus extu-

lit. Omnino enim illic propheta de prædicatione Euangelij, quæ auspicanda quidem erat per Ioannem, at nno absoluenda. Nam per electos dei ad finem usq; mundi ea perducenda est prædication, sub typo liberationis factæ per Cyrum, qui etiam secundum Hebræos figura fuit Christi, & ob id ibidem scripta referunt ad tempora Messia. Vt consolentur populi dei, & tota Hierosolyma incitetur ad laudes & gratiarum actiones, propter infinita mala & iniquitates deletas, & duplicata omnia bona. Vnde & subditur, Vox clamantis in deserto, Parate uiam domini &c. Quorum omnium sententiam & explicationem suo loco requiras. Huius prædicationis primus præco Ioannes esse debuit, eamq; auspicari. Ideo & ipse, ut est apud Ioannem, se hanc uocem in deserto esse dixit in deserto clamantem. Idem Euangelistæ de eo testati sunt, Christusq; dominus postea per se primum, mox per Apostolos, inde per reliquos. Verè enim Ioannes Baptista uox fuit domini dei sui, per quam deus ad pœnitentiam conuocauit electos, per quem & parauit uiam Euangelicæ prædicationi, per Christum & Apostolos subsequituræ quantotius. Via autem domini est, iuxta fidem ueram conuersatio pia, & legis obseruantia perfecta ex charitate, utq; sciatur à quo & per quem homini uera contingat salus & redemptio.

Ipse autem Ioannes habebat uestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat, locustæ & mel syluestre.

Utebatur Ioannes, pœnitentiæ speculum & præco futurus, omnino incul-
 tioribus, uilioribus, asperioribusq; uestibus, quæ iuxta regionum uarietates
 æstimantur. Vnde in Palæstina de pilis camelorum dicuntur confici uestes ru-
 des & asperæ, ut apud alias regiones ex pellibus luporum & urforum. Et erat
 illi circa lumbos zona pellicea, non serica uel argentea. Sicut & pius Francis-
 scus ad damnandum facto insolentiam & pretium zonarum de auro & pretio-
 sissimis rebus, funem rudem elegit, nulla curiositate notabilem, ipso facto ex-
 tremi uulgi uestitum eligens, diuitum superbiam sugillare cupiebat, humilita-
 tem docere, damnare diuitiarum abusum, & auaritiam tam laicorum quàm
 cleri, quæ eo suo tempore enormiter creuerat. Cibus quoq; Ioannis dicitur fuis-
 se locusta, cum melle agresti, quod Ericæum uocat Plinius. Estq; id uile, & mi-
 nime inter genera mellis probatum. Conuehiturq; post primos autumnii im-
 bres, cum Erica frutex sola floret in syluis, ob hoc arenoso simile. Tali autem,
 ut quod minus ad uoluptatem pertineret, utebatur pœnitentiæ magister Ioan-
 nes & doctor. Vestitus ille humilis & cibus simplicissimus mundi contemptum
 docebat, & suimetipsius, fugam deliciarum quæ eneruant uirtutes. Pellicea
 zona arctam continentia custodiã, adeoq; omnimodam sobrietatē. Tales sint
 pœnitentes, & regnum cœlorum intrare cupientes, ut uoluptates mundi non
 querant, nihil aliud spirent quàm res deo acceptas, & uerbo dei conformes.
 Hæc autem admirabilis Ioannis sanctimonia sic hominum animos obstupefa-
 ciebat, ut pleriq; suspicarentur hunc esse Christum, præsertim cum multis esset
 persuasum, alterum illum qui Messias putabatur in turba Bethleemitarum
 infantium perijisse.

B Tunc exhibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio
 circa Iordanem: & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes pec-
 cata sua.

Metropolis tunc gentis totius Hierosolyma erat, cuius ciues religiosiores
 fama

fama magni illius uiri per moti exhibant, uitæ suæ rationem audituri, sancti uiri exemplum consideraturi, & doctrina imbuendi. Ad uerbi huius exemplar tota se Iudæa attemperabat, præsertim autem hi qui finitima Iordanis inhabitabant. Quorum omnium deuotioni & uoluntati sese prophetarum eximius attemperabat, & quod in eremo spiritus sancti inspiratione didicerat, hoc confluentibus turbis prædicabat. Docebat autem poenitentiam, & prioris uitæ emendationem ac resipiscentiam, qua se futuro propediem Messia, qui tunc ab omnibus expectabatur, præpararent, & saluatori Christo se facile præberent sanabiles. Sanabilis autem est, qui morbum suum agnoscit & odit, & se meliora monenti humiliter assentiendo accommodat. Baptizabantur autem, in typum mox abolendarum animi sordium, id est in flumine Iordanis, damnantes ipsi uitam priorem, ac palam agnoscentes sua commissa. Sic enim uisum est sapientiæ diuinæ, ut Ioannes qui erat confinium Mosaicæ legis, & Euangelicæ gratiæ iam aduentantis, hoc signo præluderet, non ad abolenda peccata, quod proprie Christo seruabatur, sed ad præparandos hominum animos, quo capatiores essent beneficii mox sequuturi. De baptismatis autem Ioannis & Christi differentia, uide hoc loco dicta Bucerii, similiter & de confessione locis communibus.

Videns autem multos pharisæorum & Sadducæorum uenientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies uiperarum, quis demonstrauit uobis fugere à uentura ira? Luce 3. b

Iudæorum status eo tempore diuisus erat, non tantum secundum dominia, sed etiam per doctrinas, & morum multiplices hæreses. Pontius Pilatus procurabat Iudæam sub Tiberio Cæsare, annum iam decimum quintum moderante. Herodes tetrarcha Galilææ, in qua morabatur Christus. Huius frater Philippus, Iturææ tetrarcha & Trachonitidis regionis. Lisaniæ Abilenæ tetrarcha. Sacerdotium quoque bipertitum in Annam & Caipham. Sic scribarum & religiosorum sectas pulchre describit secundum sua enarrata diligentissimus Iacobus Stapulensis post Iosephum de bello Iudaico libro 2. cap. 7. & de antiquitate libro 18. cap. 2. nempe Essenorum, Phariseorum, Sadducæorum, & Galileorum, à Iuda Gaulonite. Præcipue autem erant Phariseorum & Sadducæorum sectæ in populo, de quibus Euangelia meminerunt. Plurimum quidem dissidentes mutuum; uerum contra Christum ac solidam pietatem semper concordauerunt. Hos hic Ioannes dure increpat, quia hi sunt filij diuisionis & uiolentiæ, sese meliores è plebe putantes, & sanctimoniam prærogatiua uenditantes ex habitu & nomine. Hos nominat in summa progeniem uiperarum, non quidem humano affectu uel odio, sed spiritus diuini quo plenus erat instinctu. Volebat illos metu diuini iudicij perterrefacere, & ad resipiscentiam permouere. Negotium enim illi erat sicut & prophetis quibusdam, cum superciliosis ueritatis contemptoribus uel contradictoribus: quales erant & hi Pharisei & Sadducæi. Qui igitur in loco Ioannis fuerit & missus, ut uice dei ad poenitentiam adhortetur, iure increpandi saeueritatem adhibebit. Sed uidendum etiam atque etiam illi est, ne quid ex affectu carnis agat, et ut purum se spiritui organum exhibeat, hoc est ut sit Ioannes, Petrus, Paulus. Sic actò à spiritu dabitur in loco se uero esse, eo quod cum fructu: alioqui si se sibi permittat, non ineptus modo, sed & nocens etiam erit sua dicendi uehementia, mentes potius exasperabit et indurabit, quam ad resipiscentiam permouebit. Vos, inquit, progenies uiperarum

rum, qui uobis iustitiam arrogantes, nulla resipiscencia uos indigere putatis, quid ad baptismum meum accurritis? quo tantum peccatores tinguntur, & ad poenitentiam, ut Christum saluatorem suscipere possint. Non illi cum iustis negotium erit, sed dumtaxat cum peccatoribus, quos solos a uentura ira liberabit, quae hanc manet gentem, excidium gentis Iudaicae propter peccata uestra, qui poenitentiam nullam proponitis.

C Facite ergo fructum dignum poenitentia. Et ne uelitis dicere intra uos, Patrem habemus Abraham. Dico enim uobis quoniam potens est deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

Non patrum merita, neque legis obseruatio liberat ab æterno supplicio, sed sua quemque in fide sinceritas, & pro peccatis humilitas commendat deo. Si igitur uos poenitet uitae prioris, sic posthac fructificate pijs affectibus & factis, qui testentur uos uere resipuisse. Haecenus ob crassitudinem hominum non nihil indultum est figuris & umbris, ut his cancellis circumsepta mortalium ad mala procliuitas coerceretur, ne posset in deteriora prolabi. Haecenus dilatatis phylacterijs, in longum productis precibus, lotionibus, crebra mentione, patris Abrahæ sanctissimi patriarchæ, extruendis monumentis prophetarum, quorum posterius uultis uideri, parastis uobis apud homines aliquam sanctimoniam speciem: posthac quoniam ad lucem Euangelicam euanescent umbræ, ueris agendum erit ad salutem æternam. Pro pristinis peccatis non exigitur a uobis holocaustum aut sanguis pecudis, tantum adsit poenitentia non fucata, culpam ille gratis condonabit. Porro qui sint fructus uerae poenitentiae, Messias ipse uos docebit, si dociles repperit. Interim ponite uanam fiduciam, neque sic uobisipsis blandiamini, ut dicatis, Sancti sumus, et sancto patre prognati Abraham. Abraham iustus nihil proderit ex se prognatis, nisi laudatam illius fidem & obedientiam filij imitentur. Abrahæ promissa est benedictio, quae nunc instat. Sed ad hanc obtinendam non satis est generis quamlibet arcta propinquitas. Quicumque diffisi deo, mundi huius praesidijs nituntur, exciderunt a cognatione Abrahæ. Et posthac Abrahæ posterius non est sanguinis affinitate, sed est fidei sinceritate censentur. Nec ideo desiderabit deus posteritatem Abrahæ cui promissam benedictionem persoluat, si uos ab Abrahæ moribus descueritis. Imò illud habere certum, si uos neglexeritis oblatam gratiam, deum uel ex hisce lapidibus posse suscitare filios suos, amico Abrahæ longe uobis potiores. Adeo non est opus uos seruari, si perdi usque mereamini. Commode ergo carnis hanc fiduciam Iudas Ioannes aufert, & ad solidam poenitentiam hortatur, ut ab ira seruentur futura.

Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quae non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur.

Quemadmodum in frugiferis solet arboribus fieri, ut ne solum frustra occupent, excindantur & comburantur, ita uos improbos & degeneres Israelitas, & sanctimoniam tantum ostentatores, cum sitis impij, eiectiones a terra benedicta, quam frustra haecenus incoluistis, tam ingrati deo, ignis irae dei absumet. Ergo resipiscite, dum tempus habetis, & credite Christo, quem praedico, is unus poterit uos malis quae superuenient uestrae genti eximere. Porro similitudo arboris, non in Euangelio tantum, sed in omni quoque scriptura est admodum frequens. Nulla ergo bona arbor, nisi homo fidelis, qui opera fidei agit & spiritus.

Spiritus. In arbore naturali longum ac difficillimum est mutare succum, unde foetus saporē ducat. Hic sola uoluntate sancta res peragitur. Sed ut accelerantibus communis est salus, ita cessantibus commune periculum. Neminē neque opes, neque generis nobilitas, neque sapientia liberabit posthac: Omnis arbor que nō attulerit fructum insigniter bonum & dignum, regno cœlorum exciditur, & in ignem conijcitur.

Ego quidem baptizo uos in aqua in poenitentiam: qui autem post me uenturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare, ipse uos baptizabit in spiritu sancto & igne.

Iram imminentem perfidis comminatus fuerat, nūc Christum saluatorem annunciat. A me, inquit, frustra salutem expectabitis, qui aqua tantum abluo, quæ certè peccata auferre non potest, quæ animam inficiunt & coinquinant. Quare si uerè peccata uestra agnoscitis, & ab illis purgari optatis, à Christo id erit petendum, qui igne baptizat & spiritu. Is post me ueniet, adnunciaturus regnū dei mira docendi autoritate, & inauditis diuinisq; miraculis, cum ipse iam munere meo fuero defunctus. Is ante me factus est, multo me prior, nimirum qui uenit è supernis, æternum patris uerbum, unigenitus dei, quem diligunt pater, per quem fecit & sæcula, & cui spiritum opulentissime & omnia dedit in manus, ut qui in hunc filium suum & uerbum incarnatum credit, habeat uitam æternam. Hic stetit in medio uestrū modo, iam inter uos adest, ut munus suum obeat, ut orbis se saluatorem declaret. Hunc, quamlibet uobis incognitum, oportet crescere, me uero minui. Non mihi sed illi plebem paraturus adueni. Non in meum nomen uel honorem baptizauit, sed illius gratiam & salutem prædicauit. Hunc ergo suscipiatis oportet, in hunc credere uos necesse erit, huiusq; fieri discipulos, qui uenit saluum facere populum suum à peccatis eorum. In quem qui credit, habet uitam æternam, qui non credit iam iudicatus est ad iram dei. Is multo plura quàm ego potest & faciet, cui non dignus sum sordidissimum abiectionis seruuli officium facere, calciamenta scilicet soluere uel portare. Ille & potentiore uos baptismo tinget, si ex suo grege uere fueritis, nimirum non tantum aqua & ad poenitentiam, sed igni & ad spiritus sancti gratiam, quo ueteris hominis sordes exurantur, & noui cœlestesq; reddamini. Is spiritus sanctus ignis fide purificabit corda, deoq; consecrabit: parat enim uasa gloriæ, ut quæ corde crediderint animose contiteantur, & uirtutes dei summo studio deprædicent, hoc est Euangelium, quod de Christo domino fidelis Ioannes Baptista prædicauit, ut legimus Marci 1. Lucae 3. Ioan. 1. & 5. Dicitur autem afflatus is diuinus aliquādo aqua, quia steriles mentes fructificat, id est, nouæ uirtutis adspiratione fecundat, quo nouæ mentis dono electi germinant. Ignis quoque dicitur ob uehementiam inflammandi & immutandi affectum, sordescq; exurendi uigorē, zelumq; seruientem promouendæ gloriæ dei, quem & uentus ac spiritus designat pariter cum igne in die Pentecostes cōcurrens, dum uirtute induerentur ex alto. Id quod nunc hic Ioannes prædicit & promittit in Christo futurum, eius scilicet spiritu.

Cuius uentilabrum in manu sua, & permundabit aream suam: & congregabit triticum in horreum suum, paleam autem comburet igni inextinguibili.

Ventilabrum, hoc est euangelij uerbum, Christi doctrina, lex noua, & gratia & uita, quo primū ludæos deinde reliquos populos excussurus erat. Arca

mentes hominū sunt, mundatio, iustificatio. Horreum ecclesia est, & tandem celestis mansio æternorumq; gaudiorum paradysus. Triticum animæ fideles & electæ, Palea infideles & reprobæ mentes. Ignis inextinguibilis infernus est et gehenna, inferorumq; cruciatus æternus. Aut igitur toto pectore conādum est ad summam uirtutem, ut mereamini recipi ad regnum æternum, aut si dei bonitatem quæ nunc offertur aspernati fueritis, hoc ipso pessimi sitis, quod tantam salutem ultro delatam resicitis, meritoq; uestro pro celesti præmio æternæ gehennæ incendijs addicamini. His ergo Ioannes uerbis peccatores obiurgat, pœnitentiã suadet, Christum prædicat saluatorem credentium illi, quos baptizaturus sit igni & spiritu sancto, tandem iudicaturus rebelles, supplicio non finiendo, apostolico ordine prædicandi.

D Tunc uenit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem: ut baptizaretur ab eo. Ioannes autē prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me?

Marci 1.6

Luce 3.4

Incipit Euangelista Christum iam orbis saluatorem, ex suis ipsius dictis & factis declarare. Tunc, inquit, cum præfinitum delitescendi tempus à patre finitum esset, iamq; Ioannis testimonio esset annunciatus, uenit à Galilæa, ubi priusquam ad peculiare munus prædicandi uocaretur à patre, in communi mortalium uocatione, labore suo corporali, ut uerisimile est, sibi forte & matri uictum quæritās perdurauerat. Nam faber & fabri filius à suis gentilibus habebatur. Certè literis uacasse eum dici non potest, cum legamus miratos Iudæos dixisse Ioan. 7. Quomodo hic scit literas, cum non didicerit? multo minus otio indulsisse. Antequam autem regnum dei euangelizare inciperet, uoluit baptizari, hoc est commune fidelium & piorum signum amplecti, quomodo & fuerat circumcisus, & sic in nouum populum, qui à Ioanne cœperat iam colligi ad regnum cœlorum, & signo baptismi secerni ab alijs, atq; in hoc fratribus assimilari, quibus in nullo nisi solo peccato uoluit esse dissimilis. Inscribi autem in pœnitentium ordinem Christus tam non nunc horruit, quàm nō prius circumcidi, inq; eorum ordinem recipi quos oportebat uita & conuersatione religiosa innouari, cum pœnitentia illi nulla opus fuerit, sicut nec renouatione aliqua. Licet enim princeps populi dei esset, humilitatis tamen suæ tempore sic factus est in similitudinem hominum. Figura quoq; hoc est uita & conuersatione uoluit reperiri ut homo. Eadem quoq; uia ad uitam ingreditur immortalem, qua membra sua oportebat peruenire. Hoc uero Christi exemplum se nobis per omnia assimilantis mire condemnat plurimos, qui reliquo Christi populo tantopere præstare uolunt, ut agre se ferant in ordinem redigi. Ioannes autem prohibebat illum. Dixerat aliàs, Ego nesciebam eum, hoc est non uideram personam, sed qui me misit ut baptizarem in aqua, ille mihi dixit, Super quem uideris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto, & ego uidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius dei. Reuelatione ergo patris, & spiritus sancti inspiratione, ad primū aspectū nouit Christū dominū esse. Ideo dicere cogebatur, Mihi opus est, ut à te baptizer, qui solus sine peccato es, cui soli non est opus saluatore: à te solo rege sanctorū in regnum tuum recipiar, ut tuo baptismo spiritus baptizer, & tu uenis ad me, ut aqua perfundaris ad pœnitentiã? Qui enim plenus spiritu sancto erat, facile de Iesu præsentate ab inhabitatore spiritu admoneri potuit hunc illū esse, quem se fortiorem affuturum prædicasset.

Respon-

Respondens autem Iesus, dixit ei: Sine modo; Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimittit eum.

Tempus humiliationis nunc est, ideo omitte nunc aduersari; sicut enim in cæteris nunc me gero ut hominem, ita in hac quoque ceremonia hominem dei me profiteri, & adnumerari me pœnitentibus sine, qui peccatum futurus sum pro omnibus, & maledictum, hoc est sacrificiũ pro peccato totius mundi. Leuis per se momenti est aqua ablui, at cum à patre tu in hoc missus es, ut isto ritu regno cœlorum, quod meum est, ciues ascribas, placuit & patri, ut excepto peccato, per omnia me similem fratribus exhibeam. Accipitur iustitia sapius in scripturis pro implementatione legis et ceremoniarum. Ideo baptizari quoque dum sic dominus instituisse, iustitiæ portio quædã dici potuit. Non ergo nostra quoque sacramenta, & si res externas, contemnamus, institutas diuinitus, sed debemus illis libenter uti & reuerenter, siquidem dei institutis. Porro Ioannes simul atque Christi uoluntatem accepit, contentus agnouisse suam tenuitatem et ipsius dignitatem, dominum suum baptizauit, magis spectans quid diuina requireret autoritas, quàm quo digna esset sua humilitas. Sic ubi nobis de uerbo dei constat, totis est uiribus incumbendum ut obsequamur quamlibet ineptis. Ad quæ enim uocari nos dominus, ad ea pares nos & idoneos facile reddet, siquidem ipse omnia operatur in omnibus.

Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua: & ecce aperti sunt ei cœli: & uidit spiritum dei descendentem sicut columbam, & uenientem super eum. Et ecce uox de cœlis, dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.

Mox ut baptizato Iesu è Iordane uterque Ioannes & dominus ascendissent, cœli aperti fuerunt ipsi Ioanni. Non enim Christus indignuit, sed Ioannes & assistens populus: & spiritum sanctum quoque uidit super Iesum in signo patefactum atque conspectum. Apertio autem cœlorum uisio fuit aperientis se, & coram exhibentis maiestatis diuinæ: sicut & Ezechieli & Stephano. Ut enim cœli cunctis creaturis corporalibus modis omnibus præstant, ita cœperunt spiritualia per ea significari, & ipsi deo sedes haberi & dici. Ita patrem in cœlis inuocamus, in cœlis & nostram conuersationem & domum non manufactam habere gloriamur. Vnde & saluatorẽ nostrum expectamus, hoc est in supernis & spiritualibus rebus, in quibus lux diuinitatis reuelatius relucet, & deus præsentius uidetur. Ita autem deus in cœlis habitat, ut nullis omnino rebus possit contineri: ipse autem omnia contineat & impleat. Sic cœlum, de quo Christus Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo, quid aliud est, quàm apertior dei cognitio, & plenior diuinitatis perfructio? Nec aliud est tertium illud cœlum, in quo Paulus archana uerba audiuit. Aperti sunt ergo Ioanni cœli, quando lux aliqua admirabilis è supernis irradiauit, diuinusque splendor uisus est ei: unde & spiritus sanctus prodijisse, patrisque uox insonuisse dicitur, quia supra nature ordinem diuina hominibus apparuerunt. Columba autem specie spiritus sanctus uisus est ad designandum maxime tam columbinam in Christo simplicitatẽ, quàm pro suis etiam curam atque sollicitudinem, qua pro suis mortem oppetit, & in omni uita sua incomparabile studium amoremque per omnia præ se tulit. Vnde autem columba uenerat oculis conspicua, inde uenit & uox paterna auribus omnium insonas præ-

sentium populorū, Hic, inquit, est ille filius meus unice dilectus, delictum animi mei, in quo mihi singulariter placeo, ipsum audite meæ mentis interpretem & meæ bonitatis erga uos dispensatorem. Quoniam autem Iesus id temporis adhuc ignotus erat multitudini, quæ de Ioanne magnifice sentiebat, ne uox quæ è sublimi missa, neminē certo designans, sensibus putaretur ad Ioannem pertinere, idcirco additum est cœlestis columbæ uisibile signum, quæ capiti insidens ceu digito demonstraret omnibus ad quem pertineret hæc uox. Quod uero dicitur, In quo mihi complacui, intelligitur propensus animus ac præcipuus aliquis affectus. Quasi dicas, In quo bonam de me ipso habeo opinionem: & ut ita loquar, ipse mihi placeo, siue in quo mihi complacitum est. Theophilactus exposuit, In quo requiescam, in quo placabor. Primogenitus est enim omnium filiorum dei, per quem solum habent omnes electi ut sint filij dei dilecti & grati, Ephes. 2.

CAPVT IIII.

A **I**n Iesu ductus est in desertū à spiritu, ut tētaret à diabolo. Licet cœlitus autoritate tradita, non tamen statim profilit ad prædicandum, sed subito à turbarum oculis subducit sese in solitudinē, quod secessus à populi commertio & auget autoritatē, & acuit desyderium. Eos autē potissimum aggreditur spiritus ille instigator malorum, qui relictis mundi cupiditatibus, puram ac cœlestem uitam meditantur. Hoc igitur tacite nos docens dominus, solitudinem petit, id quod facit non hortatu cuiusquam, sed suo ipsius spiritu. Nam qui baptizatus est homo fidelis iam exiit affectus carnales, & factus regeneratione spiritualis, spiritus sancti ducitur & agitur arbitrio. Non meminit Bethleem, non repetit Nazareth, non redit ad matrem aut nutritium, sed impetu raptusque spiritus, ueterum prophetarum exemplo, nemorum deserta petit. Vegetat animū tyronis Christiani secessus: & aliquoties tutius est se feris cōmittere quàm hominibus. Baptismus quidem aufert omnia delicta uitæ superioris, sed ob hoc nemo tutus est ab insidijs satanæ, qui socorditer agit, alioqui prauæ cupiditates meditantur repullulascere, præsertim in rudibus, & nuper Christo initiatis: & improbus ille satanas tam inuidus humanæ salutis quàm Christus est auidus, miris cuniculis & insidijs sollicitat ad defectionem, ut maiore tyrannide possideat relapsum, quàm ante possederat suum.

Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.

Hoc ieiunio satisfecit Christus omni intemperantiæ primorum parentum & posteritatis eius, ad salutem eorum qui resipiscunt, & sequuntur uestigia eius, quique beneficium eius agnoscunt, & amoris perfecta fide uices rependunt. Hoc ieiunio sanctificauit omne tum ueteris tum nouæ legis uerū et legitimum ieiunium, & omnem in sancto mentis otio uiuentium contemplationem. Simul & eius nos commonefacit Christus, neminē idoneum ad Euangelicā prædicationem, nisi qui iam sui periculo facto, firmus sit & ualidus aduersus omnes mundanas cupiditates, luxum, & huius comites libidinē, ambitionem, auaritiam, & his consimiles, quibus hostis simplicium animos uelut arietibus pulsant quatiunt. Cum igitur Christus in ediam ad quadragesimum usque diem produxisset, Daniele, Heliam, ac Mosen referens, quod sic erat supra humanas uires, ut tamē auxilio dei & dispensatione aliquo id pacto per miraculum potuerint:

potuerint: tandem ut manifestam humanæ imbecillitatis speciem daret, uerus homo quanquam deitati unitus, non dissimulauit se famis sentire molestiam. Siquidem iuxta communem humani corporis naturam, humorum inopia stomachum molesto sensu cruciabat. Inconsulte uero ad Christi imitationem quadragenarium ieiuniū introductum est: inconsultius quoque postea tam seuerè præceptum. In quibus ipsum sequi debemus clare docuit suo loco, ut mites simus & humiles corde, ut abnegata nostra uoluntate totos nos consecremus uoluntati diuinæ, benemerendo de omnibus, præcipue de fidei domesticis, non in quadragenario ieiunio. Leuiticula est huius exempli imitatio, non cœnare quadraginta diebus, uesci piscium non quadrupedum carnibus, uel butyro, uel ouis: quis uero docuit hunc delectum? An fabas edere ieiunare putatur, uel rapas? Ieiunandum nobis est, sed nostro more, parce uiuere, ad necessitatem uti creaturis dei, id autem semper, & modestia quadam nunquam intermittenda, ad sanitatem, ut sit semper mens sana in corpore sano. Attente & deuote humiliterque precibus incumbere, delictis abstinere, semper decet Christianos. Nunquam licentius genio indulgendum, id multo minus in die paschæ & sequentibus diebus quibuscumque. Non competit cuique ratio ieiunandi eadē, nec sub idem tempus.

Et accedens tentator, dixit ei: Si filius dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

Ut fiducia in deum certaque persuasio uerbi eius nostra uita est & salus, ita hanc in primis satan petit, in his præcipue, qui in alijs uitijs non facile uincuntur. Ita primis parentibus potissimum laborabat extorquere fidem uerborum dei, quem arguebat mendacii & perfidiæ, inobedientiamque suadebat & promissionum incredulitatē. Voracitatis uitium in alijs fructibus poterat admisisse. Hac tentatione deiecit Moysen & Aaronem, faciens subdubitare eos apud aquas contradictionis. Sic agebat hic quoque satan, non ut uoracem redderet: quis enim luxus si panibus ex lapidibus factis esuriē sedasset? sed uoluit fidem uerborum dei subuertere, quæ dixerat cœlitus: Hic est filius meus dilectus: uisus tamen occasione esuriei, sicut erga primos parētes usus fuit illicibitate arboris scientiæ boni & mali. Quasi dixisset: Falsum est te filiū dei esse dilectum, quem nunc esurire sinit, nec dat uirtutem tibi parandī cibum, quam si habes, ut uerus dei filius & apprime dilectus, iube ut mutato lapide in panem, citò habeas famis tantæ solatiū. Id tanto tibi dei filio, quantus tu tibi falsò uideris, non potest non esse facillimum. Vel ergo panes confice ex istis lapidibus, uel plane agnoscas te uoce cœlesti illusum.

Qui respondens dixit: Scriptum est, Nō in solo pane uiuet homo, Deut. 8. 4 sed in omni uerbo quod procedit de ore dei.

Hæc Christi domini responsio desumpta est iuxta simplicitatem sententiæ, non adnumeratis literis & uerbis ex Deuteronomij 8. cap. Vbi lege quæ ad eius pertinent explicationem. Quo uerbo patris sui Christus fortiter nititur, quasi dicendo: Et si esuriam, potens tamen est is qui dixit mihi, Filius meus es, seruare diutius, qui & tanto me hæcenus tempore tenuit absque omni cibo, ut non sit opus faciendī ex lapidibus panes. Quin qui me ex sua uirtute solum in aremo refecit, is ad homines reuersuro mandato ipsius, abunde humanum uictum suppeditabit. Non est opus miraculo pro conseruanda uita. Vbiq; præsens est dominus uirtute sua, quæ æque absque creaturarum omnium ministris

rio seruari potest, atq; dum omnia adsunt abunde. Noluit Christus operari miraculum, sine spe promouendę fidei, qua dæmon capax non erat. Nō tribuenda deo sunt frustranea miracula, uel occulta cunctis. Vult deus ut consuetis utamur legitime, dum adsunt, tum miracula certo expectaturi, dum eo perduxerit fides & charitas dei ut consuetis uti nō liceat. Piorum miracula non probantur accersendis periculis, sed depellendis, quæ aliunde acciderint. Apud Herodem cupidum harum rerum ne loqui quidem dignatus est Iesus, tantum abest, ut in gratiam satanæ uirtutis diuinæ specimen ædere uoluerit. Instruimur quoq; non tam ad hanc terrenam caducamq; uitam respiciendum esse, quàm ad eam quam ex adimplerione diuinæ uoluntatis, diuinorumq; mandatorum expectamus, & nulla necessitate corporea ad hoc adduci debere, ut unquam maligni tentationi pareamus, aut prauę uoluntati. Victus ergo dæmon, sed quasi subdolus luctator à prostratu resurgens, secunda tentatione aggreditur dominum.

Tunc assumit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dicit ei: Si filius dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.

Psalms. 90.

Horrendū pijs mentibus solum audire, tantum potestatis fuisse uel ad horam datum satanæ, ut Christum dominū transferre potuerit, uel ausus fuerit, præter totius sacrę scripturę simile. Credendum tamen erat & hoc, si id hic scripturæ locus explicasset manifeste. Nunc uero cum ad fidei & morum ædificationem, ad Christi gloriã, & ad scripturarum morem æque intelligi possit, hoc factum uisione imaginaria, & ad idem pertinere, satis rationabiliter Bucerus homo pius & doctus, ausus est cordis sui scrupulum explicare, qui & mihi per quàm diu inhæsit, permissione diuinitatis in Christo talem potuisse uisionem adferre satanã Christo domino, ut uel translatus uideretur homini Christo in hoc pinnaculum templi, uel dum fortè illuc peruenisset, ibidem illi apparuisse, dixissetq; Christo, ut sese filium dei facto portentoso ac inusitato ostenderet cum ceteris, ad iactantiam quam dæmon amat, uel ad perfidiam, qui non crederet se posse conseruari à domino, cuius tamen se filium iam cœlitus certificatus credebatur. Dicebat autem: Si omnino credis filium te dei esse, crede etiam te saluum dum incolumē, & habere uirtutem descendendi de altissimo templi pinnaculo deorsum; si id non agis, patet non te id posse credere, sicut & falsam esse scripturam, quæ de te dicitur, Vt angelis suis deus mandauerit, ut te manibus tollentes pro uoto tuo, non te patiantur decidere, & præcipitandum ad exitialem casum. Vt sic appareat falsum, uel quod Dauid de te protulit, uel quod cœlitus ad te dictum audisti. Desce ergo te deorsum & uideamus, si tam dilectus deo filius habearis, cuius angeli te seruent cadentem, ne ad lapidem offendas pedem tuum. Quanquam & ego nolim contentiosum funem trahere, si quis omnino Christum ex humilitate assumptum dicat à satana, sicut & passim à Iudæis male tractatus probatur credendum ex scriptura.

B Ait illi Iesus rursus: Scriptum est, Non tentabis dominum deum tuum.

Deut. 6. 8.

Credo, ait dominus, angelorum me manibus ad salutem & incolumitatem posse gestari hinc deorsum, satis noui quod Psalmo 90. dicitur de iustis in dei providentia

prouidentia constitutis, & in angelica custodia, sed eam fidem omni experientia certiore nolo tuo firmiter experiri, absque causa & inuincibili necessitate dominum deum meum tentando, in tam temeraria precipitatione me ipsius. Nolo similis fieri incredulis in solitudine, qui uerbo domini non credentes, miraculis experiri uolebant an in medio ipsorum dominus esset, unde & ipsum grauiter exacerbarunt. Proinde ut homo sum, rebus utar humanis, non tentabo dominum deum. Est enim tentare dominum, uelle experimentum sumere de ueritate uerborum dei, & de ipsius per omnia bonitate & promissis obmittere media quae ad negotium exoptatum ut oportuna à domino sunt ordinata: ut uiuere sine labore, expectare scientiam sine studio scripturarum, coelibatum uouere, dum nondum certior factus est de gratia perpetuo continendi accepta, & alia huiusmodi. Nos potius nostris uis insistamus secundum dei uerbum, & dignam uocationem: si quando autem dominus aliò uocarit, tunc non dubitemus auxilium ipsius affuturum nobis, ut ad id quò nos uocat pares esse possimus. Denique ex hoc loco discimus, exemplo satanae solis scripturae elementis non haerendum esse, sed ad collationem locorum similium exponendam.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum ualde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dicit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

Iam quo suos doceret Christus, ne post unam aut alteram uictoriam securitati se traderent, diabolus iterum, ut est uero similis, imaginaria aliqua uisione abduxit in montem uehementer aditum, unde liber undique & late patens prospectus subijceret oculis omnia regna mundi, & admirandam cuiusque gloriam strepitemque: dixitque eidem fallaciter mendacij pater, & promittit se ei daturum haec omnia, quae tamen neque sua erant neque sua intererat ea dare, sed illius qui dixit, Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae. Cupiebat autem satanas pellicere ad se diligentius obseruandum à Christo, quam eum qui dixerat, Filius meus es tu dilectus &c. Quasi uolens dicere, obmitte eum patronum, nugas linque, sectare mea, quae tibi promitto, & me adora, agnosce me rerum principem, & omnia tua erunt, orbis tibi seruiet: sic enim uerborum dei fidem irritare conatur, ut sic tandem ad carnalia pertrahat, pietatem perdat. Talia & adhuc satanae avaris & ambitiosis loquitur, ut se adorantes, omnia haec habeant, & à satana habeant, qui uult dominus mundi haberi & esse, adorari ut deus, & creatoris gloriam sibi usurpare, unde & idololatriam excogitauit, fouet, defendit, & ad hoc etiam uerbo dei abutitur, falsificat, & inuertit, quo solo bene intellecto superatur atque confunditur.

Tunc dicit ei Iesus: Vade satana: scriptum est enim, Dominum deum tuum adorabis: & illi soli seruiet. Deut. 6. c. 10. d
Luce 4. d

Tantam iniuriam dominus, & in deum blasphemiam non ferens, digne increpat & acerbius à se repellit, manifestans se nosse quod satanas sit, aduersarius dei, & sanctimoniae totiusque pietatis & religionis: ut qui transgredi suadeat primum dei mandatum de domino timendo, reuerendo, colendo, adorando, & eo solo. Abi, inquit, satana, longe aliud scriptura docet diuina, quam tu suades. Illa ait Deut. 9. Dominum deum tuum reuerberis & adorabis, & illi soli seruiet: hoc est, honorem corporis prostratione uel manuum osculo deferens, ex animo, solum ut uniuersalem deum & dominum agnoscens colere, timere,

& per omnia complacere sanctissimo patri, eidem nihil prorsus præponere, in omnibus cogitationibus dictis & factis eum intendere, & fautorem habere cupiens: cuius respectu paratus esse desyderes relinquere omnia, & soli illius uoluntati per omnia obsequi: hoc est deum reuereri & digne colere, fide, spe & charitate eidem deuotissimum esse & perseverare. Disce ergo ad quid nobis prosint scripturæ, & ad quid datæ, ut armamentarium sint in tentatione & prælio contra dæmonem, & hunc mundum: si tamen bene intelligantur, & apte applicentur. Quandoquidem uidemus & satanam illis pro sua abuti malitia: sic quoque eiusdem discipuli faciunt, non credentes scripturæ, & tamen ad suam ambitionem & luxum propugnanda abutentes.

Marci. 1. b

Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Verbo domini credenti, innitenti, & sese in tentationibus roboranti, satan præualere non potest, pater mendacii uim ueritatis ferre nequit, bis hic frustratus expectato. Primum quod sensit insuperabilem: deinde cum expiscatum uenisset num esset filius dei, aliquanto incertior dimitteretur quam uenerat. Relinquit Christum diabolus superatus: sic si fortiter restiterimus diabolo recedet à nobis. Fide autem uerborum dei protecti insuperabiles dæmoni erimus, qui ut perfidiæ mendacique pater, ueritatis uerbum sustinere non potest: aufugit autem, & locum dat sanctis angelis, accedentibus & ministrantibus Christo & sanctis dei. Semper quidem angeli Christo ministrant, sed tum agitante satana benedictam humanitatem, quæ uelamen erat diuinitatis latentis sub fragilitatis humanæ prætextu, angeli uisi fuerant aliquantum abfuisse, dum eorum ministerio non frueretur. Discedente uero & confuso satana, dicuntur quasi de nouo accessisse necessaria ministrando uictus, qui interim famem pertulerat: gloriose tamen tyrannum uicerat etiam ut homo, suis relinquens exemplum uincendi dæmones, & mundi improbam potestatem. Vicit enim Christus, ut nobis ostenderet uinci posse, & uincendi docuit rationem. Denique nobis uicit non sibi, per nos eundem uicturus, si modo promerebimur syncera fide illum nobis habere præsentem. Audiet & à Christo per nos, Abi satana: famulosque metuet eius à quo uictus est. Aspera tentationum & tristium compensabit lætitiâ uictoriarum, qua animum sic fulciamus, ut bonitate dei omnia moderentur, et fortitudo fidelium comprobetur: quo fit, ut nec sæuiente fortuna deiciantur animo, nec rebus prosperis insolescant.

Marci 1. c

Luce 4. c

Ioan. 4. f

Cum autem audisset Iesus quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam:

Euangelicæ historie ordo sic capiendus uidetur. A Baptismo Christus agitur in desertum tentandus, in Galilæam regreditur, deligitque sibi discipulos, Andream, Petrum, Philippum, et Nathanaëlem, Ioan. 1. Paulo post aquam mutat in uinum ad nuptias in Cana Galilææ: inde cum matre & fratribus commigrat Capernaum, donec ad proximum Pascha ascendens Hierosolymis in templo eiecit uendentes, Ioan. 2. Tum cum Nicodemo loquitur, deinde Iudæam perambulat, ministerio discipulorum baptizans, nondum Ioanne misso in carcerem, qui & discipulorum suorum preposterum studium reprimit, egre ferentium Christi discipulos baptizare, Ioan. 3. donec fama Christi perturbauit Phariseos, qui se solos populi magistros haberi cupiebant. Propter quod & declinans Iesus ante tempus illorum inuidiam, rediit Galilæam per Sychar, ubi si-

dem re-

dem regni caelorum mulierculæ prædicauit & urbi, perueniens Capernaum, sanatoq; filio reguli, altero festo appetente rediit Hierosolymam, Ioan. 5. Vnde Galilæam reuersus audit Ioannem coniectū ab Herode in uincula, à quo tempore reliqui Euangelistæ historiam prædicationis Christi ordiuntur & miraculorum, qua mundo persuadeant Christum saluatorem. Cessit autē dominus furori Herodis, quia nondum uenerat eius hora, & gloriam dei diutius uolebat clarificari. Sic fugere licebit, ut gloriæ domini commodius inseruias, nihil tui quærens, tuæ te horæ seruans, exemplo Christi & Pauli & Petri. Qui quo spiri tu primū fugerunt ad dei gloriam, eodem postea sese ultro persecutoribus pro Christi gloria obtulerunt.

& relicta ciuitate Nazareth, uenit & habitauit in ciuitate Capharnaū **C** maritima, in finibus Zabulon & Neptalim, ut impleretur quod dictū est per Isaiam prophetam, * Terra Zabulon & terra Neptalim, uia maris trans Iordanem Galilææ gentium, populus qui ambulabat in tenebris uidebit lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

Marci 1.6
Luce 4. e
* Isai 9. 1

Ioannes nullum ædiderat miraculum, sola pœnitentiæ & in Christum fiducia prædicatione contentus. Christus illo prædicante siluit, ne quid dissidij nasceretur inter utriusq; discipulos, ut adhuc erant rudes, & carnem sapientes humanis affectibus obnoxij. Porro boni doctoris est sese ad captum eorū quos instituit demittere. Veruntamen demum aggreditur docendi negotium, ubi rumor uulgasset Ioannem ab Herode tetrarcha fuisse coniectū in uincula, nimis mirum ferens præmium quod solent qui apud huius mundi principes audent liberius admonere, maluntq; salutaria dicere q̄ iucunda. Admonuerat enim tetrarchā de incesto coniugio, quo sibi Philippi fratris uxorem adiunctam habebat. Hoc igitur quum audisset Iesus, non quod metueret ipse, qui futura præsciebat omnia, sed uti doceret suos, non esse ultro accersendum periculum, si liceat uitare commode, sed quoties obrepit fortiter esse negligendum. Relicta Nazareth secessit in Galilæam gentium, in qua Salomon uiginti quinque ciuitates donauit Hiræ regi Tyriorum. Prædicauerat iam ante in Nazareth se Christum ex propheta Isaiā: uerū illi, cum indignitatem & ingratitude ipsorum eis obproblasset, eductum in supercilij collis præcipitare conati sunt: sed ipse transiens per medium illorum transierat. Indignos ergo se regno dei facientes deseruit, & ad gentium Galilæam transiuit. Sicut & tandem tota Iudæorum gens deserta fuit, cui tamen primum Euangelium ut domesticis offerri oportuit. Habitant autem & in eadem gentium Galilæa Israëlita ut propria possessione sub Salomone accepta: fuerat autem Tyriorum regis gentilis, in qua erat & Capernaū prope mare Galilææ, insignior urbium regionis illius, quam tamen miraculis & doctrinis reddit nobiliorem, sicut et Hierosolymam, ut ubi delictum abundat ut plurimum, ibi quoq; Christi gratia uberius agnoscat: crudelius castigandæ ubi fuerint ingratiore. Huius uero loci, quem Euangelista inducit, intelligentiam, suo loco requirens intelligas ad hoc institutum adduci, ut sicut primum his hic nominatis in locis cœpit Israëlitarum exitium per reges Assyriorum semel & secundo: sic hic per Christi Euangelium & apostolos salus mundi primo innotuit prædicata. Vnde allusio hæc pulchre indicata est propter nomina ciuitatum, & quia populo Galilææ ambulanti in tene-

bris traditionum Phariſaicarum, primum hic apparere cœpit lux Euangelicæ doctrinæ. Hic ſunt electi apoſtoli: hinc peruasit Iudæam & Hieroſolymam, unde in totum terrarum orbem lux mundo illuxit, poſtquam nil niſi umbra mortis fuerat in toto mundo ſcientia dei deſtituto & erroribus impleto.

Marci 1.6

Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.

Eiſdem uerbis Ioannes prædicare incœperat, & infra quoq; diſcipuli ſimiliter, quia omnes eodem ſpiritu loquebantur. Summa certe eſt totius Euangelicæ prædicationis. Annunciatur enim hiſ uerbis regnum gratiæ & reconciliationis adueniſſe: hiſ nempe qui ſibi ipſis diſplicant, qui ſeſe peccatores agnoſcunt, qui lege dei terrentur, qui ſibi meliora proponunt, quibus dei uoluntas plus ſolito placere incipit, qui peccatorum uiam abominari & iuſtitia uias amplecti incipiunt, quod eſt agere pœnitentiam, & cum ingenti gaudio gratiam oblatam arripere uelle. Vel nunc, ait, tandē redite in uiam, praua ueſtra relinquite ſtudia, adeſt iam gratiæ regnum, Chriſtus adeſt, qui peccatores uocet, ut filij dei fiant, & hæredes regni cœlorum, ut poſthac in crimina quæ nunc diſplicant relabi nec liceat omnino, nec libeat: quin quæ præterita memoramur admiſiſſe dolet, tam pium patrē offendiſſe pœnitet, à quo poſthac ſibi ſummoſcere cauere inſtituitur, ne tam beneficum patrem denuo irritari cōtingat, qui redeuntē à regione diſſimilitudinis ad fiduciam paternæ indulgentiæ tam gratioſe ſuſcipit, ſed emendatos ex animo. Quid hac philoſophia ſimplicius? Sua cuiq; mala diſpliceant: de dei gratia fideles certi ſint per fidem; & gratis ad ſunt omnibus bona cœleſtia.

Ambulans autem Ieſus iuxta mare Galilææ uidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, erāt enim piſcatores, & ait illis: Venite poſt me, & faciam uoſ piſcatores hominum. At illi continuo relictis retibus, ſecuti ſunt eum.

Mare iſtud Galilææ ex influxu Iordanis ab Aquilonari parte conficitur. Sedecim milia paſſuum longitudinis, ſex milium latitudinis, amœnis circumſeptum oppidis. Superius ab Oriente Iulide dicta, aliàs Bethſaida, Inferius Tiberias eſt. Supra quoq; ad Occaſum Capernaum, uarie ſecundum tempus & perſonas mutatis nominibus. Vnde & dicitur mare Tiberiadis, ſtagnum Genefareth, uel Cinereth. Circa hunc lacum in confinio utriuſq; Galilææ ſitum cum dominus ambularet, conſpexit duos fratres Ioannis cuiuſdam filios, quorum alteri nomen erat Simon, qui & Ioannis dicitur, alteri nomen Andreas. Hi prius audito Ioanne Baptiſta, eiſdem hortatu ſequi cœperant Ieſum, ſed utroq; relicto ad artem redierant, qua ſoliti erant ſibi parare cibum. Iamq; ſatagebant in ſuo negotio mittentes rete in lacum. Ominis erat boni. Primo iuuentus diſcipulorum, nouæ doctrinæ capatior; deinde fratrum concordia ſeſe mutuo ſtudio iuuantiū, ad hæc ars innoxia è publico lacu tenuem uictum parans: deniq; piſcatio ipſa nouæ piſcationis admonebat, non quæ lineis textis captaret piſces in cibos uentris, ſed quæ reti ſermonis Euangelici captaret homines immerſos terrenis curis, ad deſyderium uitæ cœleſtis. Itaq; corporis neceſſitati intentos Ieſus interpellans, Me, inquit, ſequamini: à me diſcetiſ artem meliorem quam à patre didiciſtiſ. Nec artem tamen deſeretiſ ueſtram, ſed in melius

melius commutabitis. Siquidē efficiam posthac, ut sitis piscatores hominum, ut qui nunc pisciculis insidiamini in perniciem, homines capiatis in salutem æternam. Agnouerunt uocem eius, cui aliquando, ut ex Luca patet, crediderant ob miraculum, & cuius humanitatem domestico colloquio fuerant experiti, iam addita uoci energia perfecit, ut protinus ad uocem uocantis, non solum obliuiscerentur piscium, uerum etiam retia ut erant illic relinquerent. Humiles discipulos Christus eligit, ut sibi omnia feramus accepta, non hominibus, quanquam & lege eruditos non recusauerit; docuit autem suo spiritu, ne semper rudes apostoli permanerent, nobis animum addit discendi ex literis diuinis, & margaritam diuini sensus uenditis omnibus acquirendi. Dona dei, eruditio sacra, linguarum peritia, in scripturis exercitatio, quærenda sunt & magnificanda, sed nequaquam illis uel fidendum uel superbiendum. Christus et apostoli labore manuum se aluerunt, donec ad alia deputarentur à domino: id quod animi pij facile intelligent, ardore concepto ad gloriam dei propagandum, & ad proximis utiliter inseruiendum.

Et procedens inde, uidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius in nauis cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & uocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.

Virtutis erat in fratribus iuuare patrem, obsequi illius institutis & artibus, donec uirax et certus dei spiritus grandiora imperet. Cū duobus iam sequentibus discipulis Andrea & Petro progrediēs circa littus lacus, uidet alios quoque non absimiles, pios, simplices, & diuini spiritus apta uascula, ad magna parata opera ab uniuersorum domino. Cum patre duo fratres ob penuriam, & ad indiciū tenuitatis sartiebant retia, non habentes unde compararent sibi noua. Idonei sunt ut plurimum magis ad Christi sequelam pauperes quàm numosi, quanquam diuino spiritui ne diuites quidem reluctari possunt. Vocauit eorū dem dominus instinctu benignitatis diuinæ, quæ ut Hercules lapis ferrum attrahit; sic nunc Christi uirtus & electio post se trahit hos discipulos. Nam uocati, continuo relictis retibus & ipso proprio patre, secuti sunt dominum; ad idem profecto quod duo priores, ut piscarentur homines. Id quàm feliciter egerint testatur Asia, Europa, & Aphrica, illorum uerbo & instituto instructæ per fidem in pietate uera, & unius dei cultu. Sic igitur & nos uocati domino pareamus, relinquendo retia quæ in mundo retinent, terrenarum opum nunquam satis congestarum cupiditates, affectus mundanos omnes, terrenumque patrem; hoc est carnem & sanguinem; sequamur autem uocantem spiritum, qui nos faciat instrumenta saluandarum animarum, tum uitæ exemplo, tum diuini uerbi spiritali indulto. Non sunt autem deserenda tibi quæ dominus dedit, propter id quod uel tibi arridet, uel alijs quibuscunq; non omnes ad apostolatū idonei, non uulgare est Euangelistam agere. Non est apostolicum cucullam induere, uota emittere, peragendi ea quæ dominus non commisit, quorum uires à domino non accepisti. Aliud est à Christo ad apostolatū uocari, aliud ab otiosis ad delicias, uel à superstiosis ad ceremonialem dei cultum, obmissio interim quod deus iniunxit, & charitas docet, & præcipit minime negliendum.

Marci 3.4
Luce 4.6
Ioh. 6.4

Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni: & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.

Videtis exordia nostræ hoc est Christianæ philosophiæ, per quã uisum est deo seruare genus humanũ uniuersum. Videtis pompam & strepitum Euangelicæ scholæ. Pauculis hæc piscatoribus idiotis plebeis & pauperibus comitatus pauper ipse Iesus obambulabat per totam Galilæam, non iam in angulis aut in deserto, sed in frequentibus illorum synagogis prædicans, & annunciãans adesse iam olim promissum regnum cœlorum, non territans metu gehennæ, quemadmodum fecerat Ioannes, sed beneficijs gratuitis inuitans & alliciãens omnes. Etenim quocunq; sese conferebat, gratis & citra discrimen infirmitatum medebatur omnibus omnium morbis, neq; repellens quenquam, quamlibet humilem & plebeum, & eadem facilitate profligans omnem morbum, quantumuis insanabilem, quo simul & miraculis potentiam suam declararet humana maiorem, & beneficentia gratuita sibi conciliaret amorem omnium. Libentius enim illi credimus quem amamus. Porro beneficijs conciliantur & feræ. Nullum autem beneficiũ diuinius quàm restituta sanitatis, Euangelium uerò regni quid aliud est quàm præconium regis cœlestis in æternum iustificantis & saluantis omnes in se credentes? Et regnum Christi quid aliud est quàm quod prophete prædixerunt: Ierem. 23. cap. Ecce ueniunt dies, dicit dominus, & statuam Dauidi &c. Et Zacharias 9. Exulta ualde Sion. Micheas 4. & Isaias 2. ad longum ac multis, quæ diligenter inquirantur in proprijs locis. Vide hoc quoque loco Bucerum.

Et abiit opinio eius in totam Syriam: & obtulerunt ei omnes male habentes, uarijs & languoribus & tormentis comprehensos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos:

His miraculosis sanitarum beneficijs, quæ à Christo domino exhibebantur in Galilæa utraq; factum est, ut rumore per omnem illis proximam Syriam adiacentem sparso, plures etiam è longinquo deportarent suos, uarijs morbis & cruciatibus obnoxios, ut celeberrimus dominus fieret, cui neminem illi poterant homines conferre ex omnibus quos unquam habuerant: odisse tamen & atrocius persequi potuerunt Iudæi, & inter ipsos primi. Obtulerunt ei omnes male habentes, carnalia beneficia expetebãt ab eo, qui pro spiritualibus largientis aduenerat: uulgus ut carnalia curat, sic petunt à Christo carnalia, non tamen cessat benefacere quibuslibet, uel corporalia beneficia conferens ijs, qui spiritualia non petebant. Docemur benefici ut simus etiam in imperfectos, ut perfecti simus sicut & pater noster perfectus est. Recenset autem grauiores & ferme incurabiles morbos, quo diuinitatem Christi magis declaret, & fidem in ipsum fortius confirmet. Agebãtur quidã à dæmonibus. Theophilaetus lunaticos dicit esse dæmoniacos. Dæmon em̄ uolēs hominibus persuadere stellas esse maleficas, lunam obseruat quum integra est, & tunc insidiatur, ut uideatur luna passionis & morbi causa, ut infametur opificium dei, quemadmodum & Manichei errant. Alij uolūt lunaticos morbo commiciali affectos, eo quod qui interlunio nati sunt, hunc morbum ferre eos compertum est. Paralytici sunt gutta non toti sed in parte aliqua corporis percussi, unde neruorum secuta est solutio.

solutio. Apoplectici autem sunt quibus gutta totum corpus infestauit. De quibus uiderint medici. Sicut de Syriae situ, de regione Decapoleos situ, Iudææ & Hierosolymæ uiderint Cosmographi. Habent egregium tractatorem Iac. Zieglerum, qui ex professo Syriam descripsit, cum reliquis quibusdam diligentissime.

& secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & Hierosolymis, & Iudæa, & de trans Iordanem.

Ad beneficium affluunt omnes quum est opus: nouitatis admiratione plerique ducuntur. Nonnullos trahebat liuor et insidiandi libido. Omnes, quod quidem in ipso est, attrahit Iesus, sed pauci sunt idonei cœlesti philosophiæ, cuius tradendæ gratia potissimum uenerat.

CAPVT V.



Idens autem Iesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, A

Luce 6. d

De concilianda historia euangelica secundū priora facta dictaque uel posterius, qui solliciti sunt, habent quos legāt idoneos authores multos. Habent etiam in hac difficultate Euangelistæ aliquid, unde credi debeant & possint eodem sancto spiritu inspirati simili quoque studio scripsisse quo Moses & omnes prophetæ, qui omnes non tam ordini rei gestæ & dicte summam nauarunt operā, quàm quid quo à domino & sanctis actum esset & dictum. Unde & Hebræi hac parte non male sentiunt, non requirendum esse nimis anxie ordinem in lege & prophetis, in quibus aiunt esse nec prius nec posterius. Hoc in capite Matthæus scribere pergit doctrinam Christi, & Euangelicam illam regulam totius legis & prophetarum explanationem breuissimam, nempe institutionem Christianæ, hoc est perfectæ uitæ, quam primum quidem apostolos & discipulos suos docuit, deinde & populis ac turbis sese sequentibus non semel proposuit, sed sapius inculcare studuit, quam & discipulos prædicare iussit ut summam Euangelicæ doctrinæ. In qua non tam uerborum ordinem & sententiarum singularum adnumerationē tenuit semper, quàm doctrinarum summam & substantiam dogmatum. Haud aliter quàm & Moses decem decalogi breuissima uerba, non omnino eisdem literis & uerbis, licet substantia sententiarum minime mutata uel mutilata, conscripsit in Exodi libro, sicut in Deuteronomio. Quo minus & in his Euangelicis scriptis curiosiores esse uelimus, in peruestigando exactius singulorum tam gestorum quàm dictorum ordine, quàm ipse Euangelistarum spiritus. Igitur quo tempore dominus in montem ascenderit, quando iterum in campestria descenderit, si eadem omnino illic & hic dixerit, quæ & omnino eadem Euangelistæ scripserint, disputent qui talibus sollicitantur. Nos quid nos docere Christus uoluerit, quid à nobis exigat, quid attulerit gratiæ & salutis, diligentius inuestigemus, uerba expendentes Christi & sententias, ad quoscunque tandem ea uel quancumque uel ubicumque locorum protulerit. Videbat Iesus populi magni concursum, turbasque beneficis & doctrina post se traxit, suo sanctissimo spiritu & influxu quos uoluit, bonos nimirum & malos, omnes quidem auditores uerborum munerum quoque perceptores: sed non omnibus ad salutem, non omnes profecerunt, non omnes perstiterunt in fide uerborum Christi, sicut nec omnes duodecim apostoli perseverarunt in sua uocatione. Turbas autem uidet, non principes populi,

non sacerdotum summos, nec scribas cum Phariseis uel Sadduceis, non diuites & auaros quoscunq; , sed ex plebe promiscua multitudinem pauperum, etiam pane nonnunquam egentium: non eos qui quæ huius mundi sunt diligunt magis quàm ueram sapientiam, qui sectantur honores, diuitias, uoluptates, qui capaces non sunt doctrinæ Christi, quos dominus non uocat uel eligit, sed huius mundi minimos & abiectos, auidos tamen ueræ sapientiæ, pertractos malignitatum quæ uidentur in hoc mundo, & eorum quæ agebantur & docebantur à fastuosis principibus & doctoribus plebis. Quorum iam uniuersa doctrina & studia non ad aliud ordinata uidebantur, quàm ad fastum, quæstum, & luxum, ad proprium commodum, qui & in hoc sæculo ceteris sese feliciores sanctioresq; & deo chariores gerebant, & à simplicioribus poterant iudicari, cum re uera prauis essent & impij. Ideo Christus ueriora sanctioraq; docturus, & discipulos in orbem missurus ad emendationem fidei & morum, in montem ascendit, ipsa loci altitudine declarans, se nihil plebeiũ aut suspectum traditurum, sed ardua & coelestia omnia. Simul Mosi exemplum referens in monte legem suscipientis, & Isaia uaticinium implens, dicentis: Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion: utq; ostenderet fastigia uirtutum contingere debere eum qui docet iustitiam, pariter & qui audit. Qui docet, uerborum suorum sit ipse exemplar, ut magis opere doceat quàm sermone. Ne quis in ualle consistens alta loquatur, sed apostolorum uita & conuersatio in cælis sit. Docet igitur præsens locus, ut tam doctor quàm populus super montem sanctitatis ascendat. Sedens autem docet quod pertinet ad dignitatem magistri. Et accedunt ad eum discipuli eius, ut audiendis illis uerbis hi essent etiam corpore uiciniores, qui præceptis implendis animo propinquabant. Discipuli, inquam, non tantũ duodecim, sed multo plures, & copiosa turba desyderantium audire uerba ueritatis & uitæ, eum qui cum autoritate loquebatur, & factis ostendebat se ueritatis magistrum, & fidelem plebium consolatorem atque simplicium.

Luce 8. d

& aperiens os suum docebat eos, dicēs: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Ista circumlocutio qua scribitur Et aperiens os suum, fortassis ipsa mora commendat aliquanto longiorem futurum esse sermonem. Nisi forte non uacet, quod nunc eum dictum est aperuisse os suum, quod ipse in lege ueteri aperire soleret ora prophetarum. Scribis quoq; & Phariseis quæ sua tantum erant quærentibus & tacentibus, conscientia retracti scelerum uel de populo docendo negligentes, & officium suum non agentes, uel perperam, ipse iam Christus, qui tam diu tacuerat, hora à patre constituta aperuit os suum, & docebat longe uerius & fidelius, quàm sacerdotes & scribæ: interim cõsolando turbam pauperem, & parum de se præsumentem, seseq; putantem infelicissimum, comparatione magnorum in populo diuitem & potentem. Sic ergo locuturus ad discipulos se sequentes, exorditur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Quasi dicere uoluerit, Pusilanimes uos facit & scandalizat in hoc mundo mea & uestra paupertas, quæ omnibus ut molesta est, ita & multis inuisa, putaturq; felix qui sic diues est, ut nullius egeat, qui habet unde sibi amicos conciliet, unde laudetur, colatur, & ametur in hoc sæculo, uitamq; promereatur æternam beneficijs collatis in alios de abundantia sua. Ego potius

tius contrarium dico & doceo, in primis beatos esse, qui pauperes sunt, qui omnium anxietatum & curarum molestia, diuitijs & diuitiarum amore carerent, uictum autem cum amictu habentes contenti sunt, ut plura non ambiant artibus non bonis. Nec tamen id tantum, sed si spiritu quoque pauperes sint, hoc est humiles corde, non magnifica praesumentes uel alta sapientes. De quibus alibi: Nisi conuersi fueritis sicut puer iste, non intrabitis in regnum caelorum. Pauperes ergo spiritu sunt, qui ante deum sese humiliant, nihil sibi prorsus tribuentes, sed omnia referentes in deum, cuius haec sunt bona. Quae secundum carnis dispensationem maxima fuit in Christo paupertas, qui dicebat: Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Sicut igitur initium omnis peccati superbia est, sic initium sapientiae timor domini. Et ut qui diuites in hoc mundo fieri uolunt, implicant se in multas angustias, ut sint miseri supra modum: sic sunt in primis beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Quanto enim modestius agunt et sentiunt in mundo, tanto aptiores sunt ad felicitatem amplectendam ueram, quam affero & caelestem: tales expeditius uerbum Euangelij & ueritatis ueraeque sapientiae & felicitatis doctrinam percipient: unde & uberius consolantur, & caelestium spe fruuntur.

Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.

Mites sunt qui nulli uim faciunt, qui laesi facile condonant iniuriam, qui malunt rem perdere quam contendere, qui pluris faciunt concordiam & animi tranquillitatem quam latifundium, quibus optabilior est laeta paupertas quam rixosa diuitia. Sed hoc hominum genus solet suis agris deturbari, tantumque abest ut aliena sibi parent, ut auitis etiam possessionibus pellantur. Verum noua haec est dilatandae possessionis ratio, ut plus impetret ab ultero largientibus mansuetudo, quam per fas nefasque paret aliorum rapacitas. Qui sic placidus est, ut malit sua cedere quam pro his digladiari, is tot locis fundum possidet, quor locis repperit amantes Euangelicae mansuetudinis. Inuisa est omnibus peruicacia, mansuetudini fauent & Ethnici. Magno cum lucro uendidit fundum, qui uitauit tumultum, animique seruaui quietem. Tantoque illi certior est caelestis terrae possessio, unde depelli non poterit. Euangelico uiro totus mundus est possessio, pijs caelum certissima domus est, patriaque securissima.

Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

Luce 6. d

Lugentes aut flentes sunt, qui calamitate pressi propria uel aliorum, mundi miseriae & corruptelas, bonorum terrenorum & spiritualium iacturas, animarum scandala & peccata, crudelia bella, ueritatis odium, antichristianorum regnum plangunt: qui tamen lugentes pro talibus, simul atque Christo fidem habuerint, per eum gratiam patris promittentem, magnifice consolantur, qui temporarium luctum inestimabili mentis gaudio pensabit, interim mox ad aeterna gaudia transferendis. Spiritus ille Christi, consolator uerus, sic intus exhilarat animum sibi bene conscium, de quo futurae uitae praemijs certum, ut in atrocissimis etiam corporum afflictionibus sibi gratulentur in domino.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. *Luce 6. d*

Leuiter appetenda sunt quibus alitur & fouetur corpus, in quorum cura uulgius tam misere torquetur: & expletos nonnunquam magis exeruciat saturitas quam fames, & mox a saturitate recurrit sitis & fames subinde sartienda. Ista uero pijs paruo contentis ubiuis adsunt, eo suppeditante, qui pascit passer

culos. Felices autem qui esuriunt iustitiam, qui secundum iustitiam dei desyderant conuersari, quod est recti cordis: qui sitiunt scientiam ex studio scripturarum, qui Euangelicam cupiunt iustitiam, quibus hoc ipsum beatitudinis pars est esurire panem illum animi, de quo qui ederet uiuet in æternum, sitire aquam illam uiuam, de qua qui biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Saturabuntur ergo largitate remunerationis diuinæ: quoniam maiora erunt præmia dei, quàm quæcunq; desyderia auara sanctorum.

Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Misericordes Christus pronunciat, qui pro charitate fraterna alienam miseriam suam esse ducunt, qui proximi malis indolescent, qui calamitatibus aliorum illachrymant, qui de suo pascunt egentem, uestiunt nudum, monent errantem, docent ignorantem, condonant peccanti. Breuiter qui quicquid habent dotis id alijs subleuandis ac refocillandis impendunt. Non enim is sumptum facit, sed lucrum. Condonasti proximo delictum aliquod leuiusculum, tibi deus condonauit omnia peccata. Remisisti fratri uindictam temporariam, tibi deus remittet pœnam æternam. Subleuasti tua pecunia fratris inopiam, tibi reddet deus opes suas cœlestes. Misericordia quoque præstanda est ad inimicos, secundum quod scriptum est: Diligite inimicos uestros, & benefacite eis qui uos oderunt. Nam & deus non solum super gratos pluuiam dat, & solem oriri iubet, sed etiam super ingratos. Vnde & dicit, Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est.

Beati mundo corde: quoniam ipsi deum uidebunt.

Mundi corde habentur deo, qui simplices sunt & integri, nihil aliud corde uolentes quàm quod uerbis & externa specie præ se ferunt. Ex puro autem & simplici corde in gloriam dei & salutem proximorum instituunt sua omnia, nusquam sua quærentes. Huiusmodi certe deum uidebunt, ascendent in montem domini, & stabunt in loco sancto eius, accipientq; benedictionem à domino. Qui sic simplici puroq; corde fuerit, is cognoscat de Christi doctrina, tantum quærens ut se deo probet, is spiritu donabitur, ut ueritatem clarius intueatur, & deum per Christum sibi experiatur propitium patrem. Qui autem suam magis quàm patris uoluntatem facere studuerit, eoq; impuro est corde, ut carnalis existat, is nihil dei nosse poterit; tam abest ut ipsum deum uisurus sit. Quod enim sol est puris oculis, hoc deus est puris mentibus. Quod pituita aut squamæ sunt oculis, hoc peccata sunt animis.

Beati pacifici: quoniam filij dei uocabuntur.

Pacifici sunt qui pacem & salutem student adferre omnibus, & inimicos quos norunt reconciliant, quin & ipsi quoq; immemores sunt malorum, ipsi diligunt pacem. Qui uero libenter conciliant inimicos, ipsi uero inimicis suis nunquam ex corde reconciliantur, isti pacis illusores sunt non amatores. Pax beata in cordibus posita est, non in uerbis. Cupiditatum omnium rebellionem comprimere, & dissidentes ad concordiam trahere, ultroq; inuitare ad pacem à quibus offensi sunt, pacifici est hominis & Christiani. Quod si cui uideatur durum, audiat præmium: Quoniam tales filij dei uocabuntur. Quid honorabilius hoc elogio: quid beatius? ut qui filius sit idem & hæres sit. Nothum autem arguit morū dissimilitudo. Non agnoscat deus pro filijs, nisi qui tales se præbuerint ad

rint ad fratres suos, qualem ipse se præbuit ad uniuersos. Ne dicas, Ille mihi prius fecit iniuriam, prius me debet rogare. Gloriosior es tu, si offensus pacem petieris, quam si uindictam desyderes. Quære ergo pacem, ut præmium pacis inuenias.

Beati qui persecutionē patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Nō solum qui à gentilibus propter idola, & ab hæreticis propter Christum & ueritatem, sed etiam qui à potentibus qui Christiani censentur, forsitan propter peccata sua correptis, aduersa patiuntur, beati sunt, ut Ioannes Baptista beatus est ab Herode occisus, & propheta olim sancti ab iniquis regibus & populis interfecti. Ideo non posuit scriptura personas persequentium, sed solas causas persecutionum. Si quis ob rem priuatam te molester, non propter dei causam rem tuam auferens, ille quidem reus, tu autem beatus non es. Si uero uolueris in bono uincere malum, et percutienti maxillam contemplatione uerbi dei contra naturam præbere aliam, tunc uerè beatus es, quanquam ab initio non causa dei passus sis, postea tamen iniuriam passus es propter deum. Dicitur autem aliquis, Quis posset amare tales, qui propter beneficiū repēdunt odium & maleficia? Ardua ut res est, sic ingens est præmium, regnum nempe cœlorum. Cuius nobis exemplum præstitit, qui omnia passus est propter iustitiam, propter uoluntatem patris implendam, & ad probrosissimam crucis mortem obediens.

Beati estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersum uos mentientes, propter me, gaudete & exultate: quoniam merces uestra copiosa est in cœlis: sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante uos. Luce 6. d

Sermonem ad discipulos uertit. Ad uos, inquit, hæc potissimum pertinent, uos ego extrudam, ut pacem annuncietis orbi, pro quo incomparabili beneficio uos nihil nisi persecutiones referetis: sed fidite, non uos hoc deterreat ab Euangelio prædicando, quum enim omnium malorum genere uos torserint, idē mentientes, probris & criminibus non uestra culpa, sed odio mei uos lapidabunt, siquidem summa criminum erit esse Christianum, ne tunc nimium a pud uos affligamini, intrepide tamen munus uestrum obite, & ob hoc ipsum ingratitude probrum potius gaudete & exultate: accumulabitur enim inde & accrescet uobis præmium à patre repositum in cœlis, illorum malum dominus uobis uertet in bonum, ignominiam illorum in gloriam uestram, crimina probraque ab illis falso intentata, uertet in titulos pietatis, execrationem in laudes & gratulationes, ad deum & homines. Nam ab impijs ob pietatem uituperari laudari est, ab osoribus dei cruciari coronari est. Ponderate ergo confusione terrenam cum gloria cœlesti, & uidete, si non leuius est quod patimini super terram, quam quod expectatis in cœlo. An non propheta sancti cum in uis uis agerent omni malorum genere sunt persecuti, quibus & uos persequetur quorum hodie tamē memoria etiam in terris sanctissima est, & uenerabilis plurimum in cœlestibus gloria sempiterna. Istos persecuti sunt odio patris, uos persequentur odio mei. At ego à uobis exigo, ut ob hæc mala uobis beati uideamini, ut cæcis persecutoribus misereamini magis quam indignemini, ut male precantibus bene precemini, ut pernitiē uobis molientibus offeratis salutem æter-

nam. Hanc sublimen uirtutem non præstabitis nisi huc per gradus quos antea proposui perueneritis.

B Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum ualet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Marci 9.2

Lucæ 14.2

Ostendere uolens dominus ad discipulos suos hæc præcipue omnia fuisse se locutum, addit, Vos estis sal terræ. Omnibus enim prædictis uirtutibus orbis & populorum doctor debet esse ornatus. Spiritu paupere sit, ut & auaritiã libera uoce castiget, & ab omni arrogantia nota sit alienus. Lugeat sua ac aliena delicta, ut confundat peccantes, ut alter Esdras. Mundum non diligat hunc impium, sed ut periculosum fidelibus detestetur. Iustitiã fidei & morum zelat, ut uerbo dei fiducialiter increpet ac doceat transgressores, magis autem exemplo suo quàm uoce. Tantæ mansuetudinis sit, ut magis prudenter indulgendo quàm se uere uindicando regat ecclesiam, magis ametur quàm timeatur. Alijs sit misericors, sibi autem austerus. Graue sibi iustitiæ pondus imponat, leue alijs. Mundus sic corde sit, ut non se immisceat negotijs sæcularibus, mundi gloriam non quarat, quo diuinæ contemplationi sit aptior. Pacificus eatenus sit, ut tota eius ecclesia quasi una sit anima, ut concordium preces expeditius exaudiantur, cum nec oblatio suscipiatur à deo ubi discordia dominatur. Paratus ad passiones sit, non uana desyderia martyrij habens, sed constantiam fidei martyribus dignam. Omnibus tandem sit ornatus uirtutibus, ut optimum sal sit, quo totus populus fidelium condiatur, æque uidendo illum ut audiendo. Prima doctrina est, uidere bonum; Secunda autem, audire. Non opus est multo sale, sed efficaci, ut quicquid contigerit afficiat, & ex insipido reddat sapidum. Alioqui si solida uestra fide per dilectionem efficaciter operante opera uerè bona, non salieritis & nõ imbueritis homines, eritis ut sal insulsum ac infatuatum, ad nihil utile, nisi ut ab illis confundamini, spretique & conculcati sitis, quos uestro studio salire debuistis. Attendite igitur his quæ prædixi, ut non modo ipsi patris gustui approbemini, sed innumeros quoque alios uerbo uestro ita saliat, quo & ipsi patris gustui grati esse possint.

Marci 4.6

Lucæ 8.6.11.6

Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

Luci & salii sunt apostoli comparati & ecclesiæ prælati. Sale seruantur coram populo ne mutantur in deterius, ad meliora ducere non potest. Lucis opus est dispellere tenebras & illustrare. Sic apostolici uiri sal quidem sunt in ecclesia iam deum cognoscente, seruantes eam in dei agnitione & sanctitate. Lux autem sunt gentium, perducentes ad scientiæ lumen, & ad operum sanctimoniam fidei dignam. Sacerdotis conuersatio exemplo suo sanctos tenet in officio, sed ad fidei institutionem perducere nõ potest sine uerbo & scientia. Sed & uerbum quidem adducere potest ad scientiam ueritatis, etiam sine conuersatione sancta, tenere autem in fide non potest, magis autem scandalizat. Ergo sal sint ob conuersationem bonam; lux autem ob ueritatis doctrinam. Prioris loci est seruare quod habes, secundi autem bonum commendare etiam quod non habes. Prius est bene uiuere, secundum bene docere. Per uitam bonam ascenditur ad scientiam, non sic à scientia ad ueritates. Scientes sine timore dei multos uidemus, timentes autem dominum sine scientia nullum uidemus. Aptiora his autem inuenies apud Erasmum, quanquam & hæc non inepte dicta iudicabis.

Quem

Quemadmodum quoque oppidum in monte situm abscondi non potest, & lucerna in hoc accenditur ut luceat in domo uersantibus: ita uestri quoque sermones ac mores uita & doctrina latere non poterunt. In ædificato loco constituti estis, conspicui eritis toti mundo. Date igitur operam, ut in uobis homines uideant, quæ illos cum salute libeat imitari. Non sinit Euangelica doctrina sui professores latere. Cur autem abscondatur quod in hoc ipsum paratum est, ut ex æquo proficit omnibus qui in domo uersantur? Et ideo non condunt lucernam accensam sub modio, sed imponunt candelabro, quo lumē eius magis ad omnia pueniat. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in caelis est.

Sic doctrina uestra, quæ tamen & mea est, potius docete homines, ut non uerba tantum uestra audiant, sed & opera bona uideant, ut quos per uerbum illuminaueritis, per uirtutum & operum exempla condiciatis. Ille enim solum uere docet, qui facit quod docet. Qui enim docet quod non facit, seipsum condemnat. Vnde melius est facere & non docere, quam docere & non facere. Taceat exemplo corrigere potest, docens autem & non faciens multos scandalizat, & blasphemare facit dei nomen. Non potest dominus bonam habere famam qui sustinet improbam familiam. Gentiles autem si uiderint bene docere sacerdotes & melius uiuere, dominum benedicunt, qui tales habeat ministros. Philosophi, inquit, nostri magna loquuntur, & nec modica operantur. Non autem tantum dixit Vt uideant bona opera uestra, sed addit Et glorificent patrem uestrum qui in caelis est, ut hoc ipsum quod homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem constituat, ut hominibus placeat, sed referat ad laudem dei, et propterea placeat hominibus, ut in ipso glorificetur deus. Hoc enim laudantibus expedit, ut non hominem sed deum honorent. Sicut & in ipso homine quem portabant sanandum dominus ostendit, ubi admiratae sunt turbae, & glorificauerunt deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Nolite putare quoniam ueni soluere legem aut prophetas: non ueni soluere, sed adimplere.

Postquam exhortatus est audientes, ut se præpararent ad omnia sustinenda pro ueritate & iustitia, & ut non absconderent bonum quod accepturi erant, sed ea beneuolentia discerent ut ceteros docerent, non ad laudem suam, sed ad gloriam dei bona sua opera referentes, incipit eos iam informare & docere quid doceant, legem scilicet et prophetas. Quasi dicat, tam abest ut sim abrogaturus ea quæ lex & prophetae docent, ut in hoc uenerim ut omnia tandem ibi scripta digne & utiliter impleantur & perficiantur. Quare per doctrinam meam illa recte demum explicabo, atque à tenebris quas eis Pharisei suis traditionibus offuderunt, uindicabo, tum uirtutem meis suppeditabo per spiritum meum omnia perficiendi, quæ ibidem docentur. Nam nihil omnino eorum quæ per prophetas suos deus in scripturis locutus est poterit infectum relinqui. Quod si luce prodita cedunt umbræ, si iam factis ipsis præsto, quod prophetae futurum prædixerunt, nihil scripturis derogatur. Ceremonijs & præceptis carnalibus lex ipsa ceu cancellis quibusdam circumsepsit hominum cupiditates, ne impuræ ne laberentur in omne flagitium, quo capaciores essent Euangelicæ doctrinæ: nunc quod perfectum est expromitur, nunc gratia datur absque ceremonijs illis quæ peccata diluat: quod illa promisit nunc exhibetur, quod prædixit geritur, quod adumbravit omnium oculis exponitur.

C Amē quippe dico uobis, donec transeat coelum & terra, iota unum
Luce 16. d aut unus apex non praeteribit à lege, donec omnia fiant.

Mysteria quæ à mundi initio usq; ad finem prophetata sunt, omnia deo nota sunt, & præscripta in lege & prophetis, quæ non minus necessario implebuntur, quam mundus ille totus subsistit. Ingenuus homo si uel in uili deprehendatur mendacio, erubescit, & quomodo deus quod promissit in lege non faciat, aut aliter faciat? Punit deus hominem, si quod alium docet ipse nō fecerit, quomodo Christus quod locutus est in prophetis nō opere implet? Nostri quoq; officij est incumbere nos totos legi perfecte implendæ, quod fide & charitate poterimus, gratia domini adiuuandi, non ut iusti simus per omnia, sed ut pro iniustitia nostra dolentes, sciamus unde nobis iustitia uera petenda sit, & unde adueniat obseruantia perfecta uerborum dei. Sic ergo per Christum lex est impleta, & à sanctis impletur, ut ne minima litera quæ unico ductu perficitur, etiã à pueris, aut etiã apex, hoc est summa aliqua literæ protractio uel particula aut adiectum punctum nō excidat: quando constat opus esse diuini spiritus, quod per prophetas suos confecit. Omnia tandem fient quæ futura prædicta sunt, ut stulti Iudæi gratis semper implenda credāt, nunquam impleta gaudeant. Cum prophetarum multas prædictiones factæ impletas senserint in reditu à Babylone, & in uicinarum gentium & sua euerfione. Quare ergo non uelut clare impleta suscipiunt, quæ illis in bonum dudum promissa fuerant, & impleta iam dudum conspiciuntur, quæ sub Christi aduentum futura prædicta sunt à patribus & prophetis. Omnia, inquam, prædicta in lege & prophetis perfecta sunt de uniuersis Christi domini mysterijs, à conceptione eius usq; ad sessionem ipsius ad patris dexteram in regno uniuersali, perpetuo & spiritali in cordibus fidelium illi per spiritum subditorum plena obedientia hic incepta, finienda autem & perficienda in coelestibus. Ex quibus intelligimus quæ restant implenda.

Qui ergo soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines; minimus uocabitur in regno coelorum:

Hortatur ad studium pietatis eos, qui eam docere iubentur et student. Qui, inquit, soluerit quamlibet dei legem, etiam quæ minima uideatur, & ita quoq; docuerit alios, is in regno coelorum minimus erit: hoc est, abiectus et nullius loci in populo dei, qui regnum sunt coelorum, habendus est: cum contra magnus et præcipuo loco sit futurus, qui & ipse studiose omnem legem implere conatur, & alios studiose docet. Quis autem ferat in ecclesia dei, & inter coeli ciues reiectus haberi? Vnice ergo studeamus diuinæ uoluntati per omnia, nihil paruum leueq; putantes quod dominus iussit & approbat: nihil contemnendum quod illi placere ex uerbis suis didicimus. Minima quidem possunt uideri quædam legis mandata ceremonialia & iudicialia, indicant tamen fidem & charitatem, quam sic à nobis deus exquirat, ut sine eis illi placere non possimus nec saluari. Sunt qui minima mandata exponunt, ea quorum non sit damnosa transgressio, eorum quæ difficile à nobis obseruari possunt, ut non irasci, non concupiscere, malum rependendum bono, quæ in obseruando quidem magna sunt, in peccando autem minima. Abstinerere autem ab homicidio aut adulterio facile est, quia criminis magnitudo uoluntatem faciendi deterret: peccare autem multo grauissimum, quando non est labor abstinendi ab illis. Verum certius & simplicius uidetur quod primo dictum est. Regnum autem coelorum præter statutum omnium bonorum in coelis aggregatione perfectum, frequenter à Christo

Christo usurpatur pro regno Christi saluifico in suos credentes per spiritum sanctum, & pro ipsa sanctorum in hac etiam uita republica. Habet autem in hoc mundo hoc regnum semper sibi admixtos hypocritas, ut patet ex Christi parabolis. Lex uero solui non potest unquam, quo ad ea quae ad pie concorditer uiuendum homines docet: Nempe ut domino perfecte fidamus, ipsum ex animo timeamus & amemus ex fide ipsa: deinde proximum perinde ac nos ipsos diligamus, utque dei donis ac beneficijs grati continenter & cum decore utamur ad necessitatem. De quibus omnibus uide suo loco quomodo sint obseruanda.

qui autem fecerit & docuerit: hic magnus uocabitur in regno caelorum.

Quisquis docuerit haec, quae minuta uidentur Christi mandata non negligenda, quae procul arcet ab his quae lex uetat, & ipse quod docet praestiterit: is demum admirandus & magnus habebitur. Et tamen in synagoga summates habentur & principes, qui haec animi uicia ut parua negligunt, cum sint exordia magnorum & occasiones grauium scelerum: satis esse putantes, si nihil horum committat quae lex iubet puniri, interim tamen in prauis animi cupiditatibus sibi ignoscant, cum dominus cor quoque aspiciat, & mundum esse uelit. Haec uellicet est eorum iustitia, quos poenae tantum metus deterret a maleficijs. Ceterum quos charitas & in deum fides, spiritusque caelestis ad perfectiora impellit, procul & ultro se submouent ab omni confinio maleficiorum, & adeo non laedunt quenquam, ut nec male uelint cuiquam.

Dico autem uobis, Quia nisi abundauerit iustitia uestra plus quam scribarum & pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.

Dixi me non uenisse ut legem soluerem, sed ut implem, minimumque fore in regno meo qui soluerit & soluendam docuerit. Id adeo uerum est, ut certo affirmem, nisi abundantiorum & pleniorum iustitiam, ea qua se scribae & Pharisaei uenditant, qui tamen omnium iustissimi habentur in populo, consecuti fueritis, municipatus regni caelorum uos nequaquam fore participes. Adeo integram & absolutam iustitiam & requiro & doceo, tamque falsi sunt, qui uel apicem legis me autumant soluturum. Illi legis cortice contenti sunt, putantque si externo opere contra legem non fecerint, legem se impleuisse, & perfectam iustitiam consecutos: id quod longe aliter habet. Me ergo audite legis medullam proferentem, et mea explicatione implentem ac perficientem. Agedum, quo magis perspicuum fiat quantum adijciam iustitiae Pharisaeae, quamque mea non pugnent cum legis praecipis, sed indicent perfectiorem intentionem & sententiam legis, rem exemplis aliquot conferamus, unde reliqua possint intelligi in tota lege & prophetis.

Audistis quia dictum est antiquis, Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit consilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennae ignis.

Exodi 20. c
Deut. 5. b

Rudibus turbis & ex media plebe electis discipulis dominus loquitur, ideo magis ut uulgo iactata apud maiores praecipia dei acceperant quam ut legabatur in scripturis, suscipiebat ea explicanda, et uero sensu illustranda. Quod igitur additur, Qui occiderit, reus erit iudicio, explicatio eius uidetur esse,

quod passim in lege huic præcepto additur, Sanguines ei erunt: quod aliud non est quam id quod hic Christus dicit, Reus erit iudicio, hoc est de sanguine quoque illius effundendo concilium erit, uel reus homicidij accusabitur, aut iudici sistetur, habenti potestatem iudicandi de uita auferenda accusato. In quo iudicio de homicida explorabatur an sciens uel nescius, data opera & ex insidijs uel per casum proximum occidisset. De quo in Exodo & Deuteronomio. Ego autem dico uobis, per asseuerationē loquitur: sic enim decebat ipsum, qui iam per tot tantaque miracula insignem sibi auctoritatem comparauerat, et sic populo proderat rudi, qui breuia præcepta facilius capiebat, & iam Christo credebatur. Vulgo credebatur, & à Phariseis docebatur, satis abesse ab homicidio & à transgressione eius præcepti de non occidendo, si quis neminem peremisset, quod secus habebat. Sunt enim huiusmodi præcepta pertinentia ad doctrinam de dilectione proximi, quæ sola in omnibus huiusmodi mandatis potissimum queritur, quam si quis habeat, quomodo fratri irascetur? hæc si exciderit animo, sicut fratri male uis, sic potiore in parte huius mandati iam es transgressor, etiamsi manum non admoueas, iam mente peccasti. Qualem Christus parem in culpa facit ei qui occiderit coram deo, ut sit reus iudicio. Qui uero animi sui iram malumque motum significatione aliqua uocali protulerit, non iudicio tantum sed concilio quoque obnoxium esse pronuntiat. Racha autem Interiectio intelligitur fuisse animi indignantis. Quasi dicatur רַחַם malum tibi scilicet eueniat, dispereas, uel iniquus es: aut Syriace רַחַם. Est enim gradatio quædam ex animi maleuolentia ad uerborum signa, & ad eruptionem linguæ secundum mentem exibili. Loquitur autem Christus hic de ira mala, non de zelo iustitiæ, ut non fuerit necesse addi apud Græcos uel Latinos, temere, uel sine causa. Porro si rebellis animi motus huc proruperit, ut fratrem suum manifeste iam certoque conuictio percutiat, ut fatuum appellet, iam grauissimæ pœnæ erit obnoxius, nimirum gehennæ. Hoc multi durum putant, sed non est. Nam qui fratrem suum ratione & prudentia priuat, facitque ut à nulla differat bestia, quomodo non dignus est iste gehenna? Etenim qui scommatis & contumelijs persequitur, charitatem destruit: qua destructa simul omnes tolluntur uirtutes, sicut omnes conseruantur ea salua. Dissoluit igitur uirtutes omnes, qui contumelia proximum afficit, dum charitatem dilacerat. Itaque lex euangelica quæ punit etiam iracundum, non aduersatur legi damnanti homicidij, sed longius submouet, id quod lex iubet puniri. Tutior est ab homicidio quisquis iram & odium animo penitus exemit. Odij extrema linea est occidere: charitatis autem bene uelle occidendi.

Si ergo offeras munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade, prius reconciliare fratri tuo: & tunc ueniens offer munus tuum.

Charitatem uigere uult in suis Christus ante omnia, ut sint alieni ab omni ira amaroque affectu, ita ut si sentiant alios contra se motos, ante omnia curent eos sibi placatos, studeantque quoad ipsorum fuerit cum omnibus hominibus pacem habere. Eo uero quod iubet munus ante aram relinqui, & priusquam illud offeratur fratri reconciliari, declarauit deo nihil gratius concordia, gratiaque fratrum, ut quam malis præ sacrificijs. Neque quod ait, Tunc ueniens offer munus tuum, aliud uult quam reconciliationem. Eo siquidem adhuc tempore
templum

templum stabat, & sacrificia deferebantur iuxta legem, qui & colendi deum ritus habebatur prestantissimus. Nobis nullum aliud hostiarum genus relictum est, quam gratiarum actionis de unico pro nobis exhibito & accepto sacrificio, Christi crucifixi pro peccatis omnium, & ut nostra omnia deo nobis propitiato in Christo, in obsequium deuoueamus & in commodum proximorum. Quod si dixeris, Ego nihil commerui, prior ille redeat mecum in gratiam, unde nata est offensa, non audiet dominus. Qui enim iubetur & inimicum diligere, non grauabitur sarcire gratiam, licet aliena culpa rescissam. Vltro condona noxam, & fratrem hoc moerore subleua, qui te sibi putat iratum. Non experieris deum tibi propitium, nisi proximus sentiat te sibi placatum. Deus non uult esse amicus fidelium, quando ipsi inter se fuerint inimici. De modo reconciliandi fratrem in opere imperfecto, sic docet summatim Chrysostomus. Qualis, inquit, processit offensus, talis sequatur reconciliatio. Si cogitatu offendisti, cogitatu poeniteas, recogita bene quod cogitaueras male, & poenituisse, dicente Dauid: Quae dicitis in cordibus uestris & in cubilibus uestris compungimini. Si uerbis laesisti fratrem, uerbis satisfac ei, & de toto corde poenituisse, dicente Aaron ad fratrem: Rogo domine, ne inferas in nos peccatum hoc, quia ignorauimus, quod peccauimus in te. Si operibus quempiam offendisti, redde quae abstulisti & poenituisse, iuxta illud Zachaei: Domine, quaecumque fraude abstuli, reddo in quadruplo. Si aliquem affecisti iniuria, dona ei aliquid pro iniuria dignum, iuxta legem, Si percusseris fratrem tuum, & fregeris illi dentem, dimitte eum liberum. Alioqui nisi quem factis laesisti factis placaueris, sine causa oras ad dominum, sine causa elemosynas facis de rebus quibus alios expoliasti. Quid prodest tibi si alter pro te oret ad dominum, alter aduersus a te fraudatus ingemiscat ad deum. Scripsit hic doctissimus & sanctus author antequam auricularis confessio ab aliquo fuisset uel audita, uel commendata, ne dicam praepcepta.

Esto consentiens aduersario tuo cito dum es cum eo in uia: ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Lucæ 12, 2

Hic dissentiunt illi duo Chrysostomi, iam citatus author in opere imperfecto, & alter ille archiepiscopus homilia 16. in hunc locum, cui & Erasmus merito & eleganter adstipulatur, ut hic locus uerbis & sententijs melius & simplicius explicari non posse uideatur. Bucerii explicationem uti breuiorem & germanam similiter hic adduco. Si, inquit, creditor te in ius uocasset, iamque cum illo ires ad iudicem, quid quæso cõsultius posses agere, quam ut ipse mox cum illo conuenires? Nam si iudicium etiam uelles experiri, quando debitum inferciari non posses, quid expectares aliud, quam ut pro officio suo te iudex traderet ministro? sic conijceret in carcerem, e quo profecto egredi tum nisi omnibus usque ad extremum quadrantem persolutis, haudquaquam liceret. Hac parabola Christus docere uoluit reconciliationem festinam dissentientium, quæ deo omnibus sit sacrificijs gratior, & quæ neglecta exitialis sit eatenus, ut qui cum fratre concordare nolit, dei quoque iram ferre cogatur. Nihil hic de purgatorio carere, quem gentilitas prodidit, non sacrae literæ alicubi docuerunt; sed, ut qui offendit fratrem, omni alio negotio præponat redire cum eo in gratiam, cui ille se facilem quoque præstare debet, remittendo centum denarios, qui

ipse à deo remissionem sperat decem millium talentorum.

Exodi 20. c
Deut. 5. b

Audistis quia dictum est antiquis, Non moechaberis. Ego autem dico uobis, quia omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.

Alterum hoc est mandatum & minimum apud Iudæos, qui non tam cordis desyderia quam operis prosecutionem existimabant prohibitam. Omne adulterium ex concupiscentia nascitur, quomodo ergo tolletur adulterium secundum legis mandatum, nisi præcisa fuerit concupiscentia secundum Christi spiritum? Sicut ergo ira mater est homicidij, sic concupiscentia adulterij. Sic qui fratri irascitur, corde illum occidit, non minus ab opere absterritus timore uindictæ aut impotentia, iam apud deum est homicidij reus, qui non magis opus considerat quam affectum. Sic qui concupiscit mulierem alienam, iam moechatus est eam in corde suo: & si non habuerit eam causa aliqua obstante, adulter tamen est apud deum, qui magis uoluntatem aspicit quam opus. Non quidem maritus habet cur te ad pœnam adulterij corde impudicum uocet, sed habet deus cur te damnet adulterij, apud quem commisit flagitium qui uoluit. Quod igitur in homicidijs est irasci, hoc in adulterijs est concupiscere, oculos pascere, & horum illecebris alienæ coniugis animum ad impudicitiam sollicitare. Non possum, inquiet aliquis, oculos claudere, & concupiscentias præuenire. Dicit Christus:

Matthæi 18. b
Marcii 9. g

E Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.

Fugite ergo occasionem concupiscentiarum & irarum, & quo propensiores ad hoc malum uos deprehenderitis, tanto diligentius corporis uestri sensus custodite. Adeoq; cauete uobis ab omni eo quod in huiusmodi peccatum aut in quodcunq; aliud uos pertracturum timetis, ut si id uobis tam charum & necessarium esset, quam sunt oculi, manus & pedes, imò dexter & potior oculi, refecare tamen & abijcere nihil cunctemini, quantumlibet id inferat doloris aut incommodi. Quid nam esse potest, quod retinere eligamus potius quam uitam amittamus æternam, & abijciamur in gehennæ plagas perpetuas? Hæc planè sibi uolunt hyperbolica ista Christi uerba, quæ hoc modo accepta uidentur multum habere cõformitatis & consequentiæ cum prædictis, utcunq; non ubiq; facile Christi dogmata per sententiarum ordinem coherere inueniatur, quando id Euangelistis curæ non fuit, qui rhapsodias magis scripserunt, quam ordinem exactum dictorum eius atq; factorum: frustra itaq; sudabit, qui connectere uelit omnia, non minus quam in lege, prophetis & Salomonicis libris. Vbi igitur secundum prædicta totus homo de capite periclitabitur, præstabilius est unius membri iactura totius reliqui corporis salutem redimere. Optabilius est luscum agere uitam, quam occidi neutro oculorum effosso. Gehennæ autem nomen tardius quidem, sed tamen ante Christi tempora coeptum est accipi à Iudæis, ut patet ex Commentarijs priscis & usu Rabinorum, pro loco suppliciorum sumendorum de impijs in futuro sæculo: occasione accepta à ualle filiorum Hinnom, quæ propter idololatriam abominandissimam uersa est in clauerum abiectionem: ubi olim timpana audiebantur & chori, ibi gehennæ cuiusdam

iusdam horror & foetor accidit, iuxta prophetarū dicta. De quo Hieronymus super Ieremiam & in Matthæum commentarijs, Accipitur ergo gehennæ nomen pro omnium maxima & dirissima afflictione, cruciatuq; inestimabili, qui est à uermi æterno atq; igne inextinguibili omnium damnatorum.

Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proijce abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.

Secundum prædicta, ut nullum membrum charius aut ad plures usus magis necessarium quam dextera manus, ea tamen si remoretur ad hæc ardua proferantem, unde pendet totius hominis salus, amputa remoratricem dextram, & abiecto onere expeditius eo quo cœperas propera. In hoc discrimine conducibilius est unius membri quamuis chari fecisse iacturam, quam toto corpore ruere in gehennæ exitium. Hoc si probant homines quum non aliud est periculum quam corporis, quanto magis id faciendum, quoties animi simul & corporis discrimen uertitur: Verum hæc docendi gratia per similitudinem dicuntur, ne quisquam sibi ipsi membrū aliquod corporis amputet. Neq; enim membrorum natura mala est, sed abusus damnandus est. Animorum affectus membra sunt ipsius, ut ira, libido, ambitio, auaritia, & quidem noxia, ob id quoque diligenter & strenue amputanda. Sunt quoq; affectus alij non quidem mali, qui tamen per occasionem aliquoties abducunt ab eo quod est optimum. Quod genus sunt amor patriæ, uxoris, liberorum, parentumq; & amicorum. Hæc si subserviunt ad perfectā, non est cur amputes. Porro si quando huiusmodi affectus per occasionē te remorentur à studio pietatis Euangelicæ, & ad mundum retrahant, amputa noxiam pietatem.

Dictum est autem, Quicumq; dimiserit uxorem suā, det ei libellum repudiij. Ego autē dico uobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.

Deut. 24. 1

Matthæi 19. 6

Marci 10. 6

Lucæ 16. 4

1. Corinth. 7. 6

Nolite ob dicta de adulterio cordis, & de uitando scandalo, cogitare quoq; de facilitate repudiij, ut si qua inamabilior sit, amandare eam uelit, ne à fastidio eius in concupiscentiam alienæ animus labatur, quæ est iniqua cogitatio, & cum dilectione pugnans. Quanquam enim Moses recte præceperit dare libellum repudiij mulieri quam quis repudiauit, repudiare tamē non præcepit, neq; iustum & deo gratum censuit: mala autem Iudæorum cupiditas id sibi licere ex iusta lege Moysis non probe collegit. Non hoc modo offendiculum cauendum est, ut in aliud grauius incidatis. Debetis quidē nihil habere tam charum, nihil uobis ducere adeo necessarium, quod non reijcere parati sitis, si sit occasio uel iniqui tantum erga proximū cogitatus, eo quod in dilectione proximī omnia compleantur, & sine ea nihil sitis: sed quia studio dilectionis tuendæ quæ offendunt abijcere oportet, non poteritis inter hæc numerare inamabilem uxorem, quam nisi cum summæ charitatis iactura non potestis abijcere. Ideo, quicumq; excepta fornicationis causa uxorem suam repudiarit, non tantum remouet offendiculi quantum ponit & facit. Efficat enim, ut quæ repudiat, adultera fiat, & adulter fiat qui eandem duxerit: qui em̄ eidem nubet, non suæ nubet, & ipsa non suo, & absq; nuptijs uiuere non erit fortasse illi integrū:

ideo grauiter peccat contra dilectionem suę uxoris, & eius qui illam ducturus sit. Iubet dari Moses libellū repudiij, non quia bonum erat, sed quia remedium erat peioris mali, ne dum facere malum uetatur facerent peius, et homicidium perpetrarent. Lex ergo huiusmodi homicidium compescuit nō peccatum. Hactenus ergo declarauit dominus præcepta duo Mosaica, de homicidio & adulterio, nunc de periurio dicit Christus.

F Iterum audistis quia dictum est antiquis, Nō periurabis: reddes autem domino iuramenta tua. Ego autem dico uobis non iurare omnino: neque per coelum, quia thronus dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo uester, est, est, non, non, quod autem his abundantius est, à malo est.

Leuitici 19. c
Exodi 20. b
Deut. 5. b
Iacobi 5. c

Apud Iudæos non punitur nisi periurium: ceterum qui non interposito iuramento fallit proximum, impunitus est. At hunc condemnat lex euangelica, quæ quo tutiores sitis à periurio, prorsus damnat omne iusiurandū, ut iam fas non sit iurare, neque per deum, neque per ea quę uulgo uidentur habere minus religionis, hoc est neque per coelū, quod utique thronus dei est, terra scabellū pedum eius, quo in mensam & incomprehensibilem magnitudinem suam utcunque hominibus cogitandam proponit. Et Ierusalem ciuitas est regis magni, ciuitas ueritatis, & mons domini exercituum, mons sancti & regis regum, ubi & post passionem et spiritus sancti missionem regnum Christi gloriose cœpit. Neque quem admodū Barbari iurant temerarie falsoque iures per caput, in quod tibi nullum est ius, sed deo sacrum est, qui ut uoluit condidit omnia, quum tu nec unum pilum queas ex nigro facere album, aut ex albo nigrum. Ex quo id planè colligimus, nullam omnino creaturā tam paruo nobis aestimari debere, ut ipsam uano iuramento polluamus. Quare præmisit, At ego dico uobis, ne iuretis omnino. Quid enim opus est ullo iuramento inter eos, inter quos nec pro sua simplicitate diffidat quisque, nec pro sua sinceritate fallere cupiat quisque, etiam si liceat impune, præsertim in rebus his, quarum contemptum profitentur? Inter uos igitur sanctior & firmiter esse debet sermo simplex, quam apud Iudæos quamlibet religiosum iusiurandum. Apud uos animo synceros & ueraces in uerbo, non opus est in contractibus admiscere iusiurandum, aut execrationes, aut aliud simile, quod & promittentem obstringat metu, & stipulanti fidem faciat. Abunde satis sunt duę uoces, Non & Etiā, ut neges te facturum quod non polliceris, & præstes quod simplici sermone te præstaturum receperas. Aut enim parum bene sentit qui iurat de eo cui iurat, aut diffidit is qui iusiurandum exigit. Itaque cum in totum uetem iurare, non abrogo legem, quę uetat periurium, sed legem reddo pleniorē, ac longius ab eo submoueo quod punit lex. Volo potius homines inter sese optima fide cuncta loqui & agere, procul ab omni dolo, fraude, mendacio, non iurare omnino: siue id affectu contingat, ut faciunt perturbati: aut imitatione, ut paruuli: siue consuetudine, ut scelerati: siue ficitia, ut faciunt deceptores. Viri uere Christiani non iurare debent, etiam in re seria: ueraces enim sunt, ueracibus autem uerax fidem facere sufficit. Quod si apud incredulos malosque homines sermo etiam de re seria & necessaria habeatur, cur iurabit ob eorum malitiam, ut illis fidem inferat? Quin & non

et non caret periculo, dum in iudicijs iuramētum exigitur, ne exigens peccet. Nam si constat reum uere esse bonum & uerum, fat erit ei dicere, Etiam, aut, Non. Si id non constet, aut malum esse constat, periurij tu illi causam dedisti, qui iurare cōpellis. Admonendus ergo es, ne aliquando hominem iurare compellas. Siue enim existimas eum bene iuraturum, & recede ab eo; siue male, magis ab eo recede, quia & si ille bene iurauit, tu quantum ad conscientiam tuam periurij illius factus es causa, quia hoc proposito eum iurare compellis, nō ut iuret, sed ut periuret. Si autem bene eum iuraturum putares, nec iurare compelleres. Sed uult Christus discipulos suos ea inter se fide & dilectione esse præditos, ut nulli omnino iuramēto apud eos locus relinquatur, quippe unoquoq; de alio etiā iniurato optime & sentiente & sperante, Agnoscimus igitur omnia hic iuramenta prohibita, quæ cum fide fratrum & dilectione pugnant, nullam adferunt utilitatem, quæq; nulla causa in quotidiano sermone leuiter profunduntur. Verum quoniam propter malos, qui bonis numero longe plures sunt, hodie non minus quàm olim legibus usucq; gladij opus est, si magistratus, ut ex lege domini potest, iuramentum exigat, idq; pro re quam cum deo prestare possumus, peccabimus certe nisi id præstiterimus. Christus certe damnare nec uoluit nec potuit quod pater instituit; iam in externa republica iurare instituit, quam dominus non mutauit, habens cum solis electis negotium.

Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Exodi 21. c
Deut. 19. d
Leuitici 24. d

Ego autem dico uobis non resistere malo:

In ueteri populo secundū Mosaicam legem illi attemperato, retaliationem licebat prosequi & expetere, si quis læsus fuisset in corpore uel rebus, ut patet Exod. 21. Leuit. 24. & Deut. 19. Oculum, inquit, pro oculo, Lex repetendum indidit Dentem pro dente: erant enim auidi ultionum, & duræ ceruicis, quoad hactenus libidinem ulciscendi lex coercuit, ut ex iudicium arbitrio delictum talione pensaretur, oculumq; amitteret, qui oculum excussisset, & similia: propterea, quia si iniuriæ uindicta permissa fuisset animo læsi, frequenter occideret, ut pro dente excusso uitam adimeret. Lex igitur hoc agebat, ne longius æquo procederet ultio. At ego legem nō abrogo, sed confirmo. Doceo enim pro quamlibet atrocibus iniurijs, nullam omnino uindictam esse reposcendam, nec ullum maledictum maledicto, uel damnum damno, nec iniuriam iniuriā taliendam, adeo ut si quis alapam impegerit in maxillam, quæ quidem contumelia uulgo uidetur intolerabilis, tantum absit ut illi regeras alapam, ut alteram potius maxillam illi cadendam præbeas, malisq; duplicatam iniuriam perpeti, quàm referre talionem. Illud idem etiā intendebat spiritus legis, qui & Christi in sanctis & uere deo fidelibus cultoribus. Nam ad idem præscripsit, Leuit. 19. Non petas ultionem cōtra filios populi tui: acceptę iniuriæ memoriam non retinebis, sed diliges proximum tuum sicut teipsum. Et Exod. 23. Cum occurreris boui inimici tui, aut asino eius erranti &c. Sed hæc deprauata erāt per Iudaicos præceptores secundum tempus, & lapsum fidei. Nec igitur huic mandati interdicitur, ne iniuriam ciuium suorum uindictet, in hoc enim gerit gladius, id lege dei iubetur, priuatis tantum se ulcisci non liceat. Concordat igitur lex Christi cum Mosaicā secundum spiritum, quo Pharisei carebant, qui docet malum bono esse uincendum, quod plus est quàm malo non resistendum,

multo minus crudelium more mala reddenda pro bonis,

sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te angariauerit mille passus, uade cum illo & alia duo.

Diabolus non tantum gaudet de uulnere inflictio in alium, quam delectatur in uulnere animæ tuæ. Ideo excitat eum qui te percutit, ut excitatus tu quoque pecces, & uno ictu uulneret ambos. Scit citò sanandum uulnus corporis, mentis iacturā uix multo labore, in quibusdā nunquam sanatur. Ideo quæ si repercussis eum, uideris quidem uicisse illum, re uera autem uictus es à malo. Si non repercussis, uictor mali euasisti cum gloria apud deum. Quin & iuxta carnalem sensum, nunquid repercutiendo illum compescuisti? imò magis incitasti, ut adhuc iracundior te repercutiat. Nam iracundia per iracundiam non compescitur sed irritatur, ut ignis igni coniunctus flammam excitat ampliolem. Si non repercussis confundetur uictus in animo, si sapit: si autem nō sapit, satiatus desinet irritari. Si id non fiat, nunquid potes tu te amplius uindicare, quam deo uindicanum relinquere, uel pro eo dominum orare ut emendetur? Quæ uero de pallio & miliario hic dicuntur, per hyperbolen docent, ut simus non solum omnis iniuriæ tolerantés, sed parati etiam iniurias compensare beneficijs, adeo alieni simus ab eo, ut illas cuperemus retaliare. Tolerantiam ergo Christus docuit hisce uerbis, qua ab ultione petenda adeo abhorreat animus, ut plura etiam ferre non grauetur. Pertulit autem Christus ministri alapam tanta animi tolerantia, qua utique alteram ab illo alapam accipere maluisset, quam acceptam retaliare. Quem animum abunde etiam declarauit, cum adeo æquanimitè extremos pertulit cruciatus, & cum omnium innocentissimus maledictis incesseretur, maledicta nequaquam regeffit, cumque malis afficeretur, nihil est minatus. Sic discimus exemplis huiusmodi animis parati esse plura pati & agere, quam quicquam ultionis ob acceptam iniuriam meditari, aut quicquam beneuolentiæ uel beneficentiæ irritati remittere. Vulgo locutus est Christus, eoque uulgari sermone usus est, qui metaphoris scatet & hyperbolis. Quibus hic docuit omnem uitā in demerendis proximis quamlibet ingratiss & malis insumere, certi omnia in bonum nobis ab optimo patre immitti.

Luce 6. e

Qui autem petit à te, da ei: & uolenti mutuare à te, ne auertaris.

Prædicta in pauperis personam magis competunt quam diuitis: hic autem quomodo & iste iustitiam impleat docetur. Lex quidem est, quæ alterius sunt non tollere, Christus docet tuum dandum egentibus. Qui de suis libenter dat, multo magis alterius bona non tollit. Diues tentatur in largitate & probatur. Diuitiæ nostræ non sunt nostræ, sed dei, quorum nos dispensatores instituit, non dominos. Ideo cui uoluerit dat eas, à quo uoluerit tollit. Ex æquo dominus diligit omnia. Diuites tentat diuitijs: unde & præcipit apostolus, ne superbe sapiant, non sperent in incertum diuitiarum, sed largos se præbeant communitatores bonorum. Iubet ergo Christus mutuam dare pecuniam, non tamen
sub

sub usuris, ne non tam impertiat sua quàm uenetur aliena, ne dum succurrere uidetur alterius necessitati, maiorem re uera inducat necessitatem, & non det propter dei iustitiam, sed propter proprium lucrum. Similis est enim usura a spidis morsui, unde et Hebræis מַשְׁכָּל מוֹרְסוּ מוֹרְסוּ a morsu dicitur. Sicut em̄ qui ab aspide percucitur quasi delectatus uadit in somnum, in quo & moritur: sic percipiens sub usura pro tempore delectatur, quasi beneficium accipiens, non damnū sentiens, ut captiuus efficitur: usura enim per totas facultates discurrit, cōuertitq̄ uniuersa in debitum, nisi mature occurratur. Cur autem grauaberis dare indigenti mutuum, fortassis etiam ad te nunquam rediturum, si non indigeas, cui debebas & dono dare quod tibi supererat & illi deerat?

Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis, Diligite inimicos uestros, benefacite ijs qui oderunt uos, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos, ut sitis filij patris uestri qui in caelis est, qui solem suum oriari facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

G
Leuitici 19. e
Luce 6. d

Præceperat quidem lex proximum à fideli diligendum uti seipsum, sed de suo addiderunt pharisæi in traditionibus, Inimicum autem habendum odio, quod scriptura nusquam meminerat. Quanquã alicubi impios & idololatrias eradicanos mandauerit, non id autem ob personarum odium, sed ad impietatis execrationem eliminationemq̄ præceperat, quando & quasdam etiam hostiles gentes benigne tractare iussi sunt. Sic autem legitur Leuitici 29. Diliges proximum tuum sicut te, hoc est qualibet ratione tibi coniunctum, tuãq̄ ope indigentem, nempe ut ei beneficias pro tua portione & facultate, quẽ ad id tibi deus obiecit: talem serio sic diligas ac sincere, ut opere testeris te fautorem, non uerbo tantum & signo, non curando qualis ipse se tibi rependat, etiam si inimicum se exhibeat. Tanto nanq̄ eum propensius beneficijs tuis tibi conciliare festines, si forte illius malum euincere ualeas tuo bono, uel ad minus pro eo dominũ preceris, quo sibi reddita meliore mente te uicissim diligere & amicum agnoscere possit. Nec id fucatim agas, sed propter deum, & ex animo cupiens illum fieri meliorẽ, succurrendo eius periculosa tentationi, qua tibi maleuolus fit, omnem mouendo lapidem ad illius emendationem, si uere sis Christianus, hoc est in fide dei & proximi charitate studiosus. Quod si, inquit, illi inimici uestri fuerint usq̄ adeo efferati, ut beneficio uestro nolint uti, sed sine fine uos impetant maledictis, et malefactis incessant: uos tamen in medijs afflictionibus adeo non mutetis animum uestrum, ut pro illis rogetis dominum quo respiscant. Hac autem bonitate utentes ad omnes, bonos & malos, declarabit uos esse non degeneres filios patris cœlestis, qui cupiens omnes seruari tanta bona largitur dignis & indignis. Patitur enim solem suum esse commutem & ijs à quibus colitur, & ijs à quibus cõtemnitur. Pluuiamq̄ suam utilem facit iustis et iniustis; malos suo beneficio excitans ut respiscant, bonos ut gratias agant. Sic & nos, si filiorum adoptionem consecuti sumus, nostri similes perseverabimus, ut cunq̄ mutantur alij, erga quoslibet benigni, ut & doctrinã monitaq̄ salutis à nobis sentiant, & corporalibus beneficijs nõ destituãtur.

Si enim diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? *Luce 6. e*
nõne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres uestros tantum, quid amplius facitis? nõne & ethnici hoc faciunt?

Qui amicos diligit, propter se diligit, non propter deum; unde & nullam sperare poterit mercedem uel gratiam; delectat enim uel ipsa amici dilectio. Qui uero inimicum amat, non propter se, sed propter deum amat; unde & ingens eum manet à domino pretium, quando id contradicit & repugnat carni & sanguini, gratiæ dei opus est, fidei ac uirtutis perfectæ. Diligendi sunt ergo qui indigent nostra charitate, quibus prodesse possumus, quos ad meliorem animum poterimus reuocare, beneficijs superando exemplo Christi, qui pro hostibus mortuus est, ut & cum ipso glorificemur in cœlestibus, ut heredes & filij tanti patris esse mereamur, dignissima plane mercede. Id publicani non possunt nec ethnici. Hi diligunt se diligentes; illis assimilati crimen tantum effugistis, beneuolis fauendo nō promerulistis laudem. Naturæ siquidem non Euangelicæ uirtutis est redamare amantem; fidei autem & gratiæ benefacere odientibus. Per hæc autem hæcenus commemorata legis præcepta, ad hunc modum exposita, ad spiritum, & fidem, & alia quoque omnia facile trahentur ad spiritum. Intendunt enim omnia quandam perfectionem bonitatis diuinæ, & Christi doctrinam cum exemplo.

Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est.

Perfecti estote, ut et amicos diligatis propter peccatum uitandum, & inimicos propter iustitiam operandam; illud enim pœna liberat, hoc perducit in gloriam. Perfecta dei imago non est, quæ non similat deū per opera sancta & perfecta. Pater noster cœlestis ineffabili bonitate sua nobis præcepit, ut eius filij simus, hoc est optimis quibusque & laudatissimis hominibus similes, & admirabili quadam luce bonitatis referre patrem cœlestem studeamus, qui mitis est & clemens erga uniuersos, cum se possit ilico si uelit ulcisci.

CAPVT VI.

A Tendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis; alioqui mercedem non habebitis apud patrem uestrum qui in cœlis est.

Docuit in superiori capite rationē interpretandi leges diuinas, Mosaicæque & morales, ut perfectissime obseruentur, non ad literam tantum, sed multo magis ad spiritū, & ad intentionem mandantis dei. Hic legis quasdam iustificatio- nes docet, quomodo à discipulis Christi & in noua lege impleri sancte debeant, ut sunt oblationes munerum deo et proximis, orationes quoque & ieiunia, quæ omnia Pharisei perperam tam docebant fieri quàm fallaciter & irreligiose exequabantur. Hebraico autem more iustitiam transtulit pro eleemosyna, nempe beneficium pro indigentibus impendendum quomocumque. Res, inquit, sancta est beneficentia subleuare egentes; res pia est, puris precibus colloqui deo; religiosum est ieiunium. Atqui harum rerum ostentatione Pharisei sibi uindicant opinionem eximia cuiusdam sanctimonie apud homines, cum interim deo displiceant, qui non faciem intuetur sed cor, quod illi habent plane inani gloria uitiatum. Dumque hic captant auram populi, inane præmium, frustrantur eo quod solum erat expetendum. Hæc pestis clanculum insidiatur e- tiam ijs, qui in uirtutis stadio aliquouisque progressi uidentur. Vos igitur hac in parte cautos & circumspectos esse uolo, ne in bonis uestris operibus homini- bus placere uelit magis quàm deo. Semper benefaciendum, siue uideant ho- mines siue non uideant. Semper enim uos intuetur deus, à quo præmium ex- pectatis,

peccatis, cui placere desiderare debetis. Nō est semper celandū opus bonum, sed non est agenda fabula humanis cōspectibus. Non enim semper optima se- qui potest, qui semetipsum ad uulgi iudicia accommodat. Vobis studendum est, ut illos ad uestros mores pelliceatis, non ut uos ad illorum mores degeneretis. Virtutem ueram sua laus ultro sequetur, non contingit affectata. Nascitur autem non à nostris uiribus, sed ex gratia dei bonum quod agitur. Vbi agitur res gloriosa, ibi facilius locum inuenit gloriationis occasio. Non est eleemosyna ingrata deo, quæ hominibus uisa est, dum sic fieri necesse est, sed quæ ideo facta est, ut ab hominibus uideatur. Cum igitur fit eleemosyna, nemo intendatur corde nisi dei persona, propter quam fit: si uero euenerit, ut à quibusdam alijs quoque præter intentionem uideatur, tamen animus eius illos non uidet, & si ipse uideatur ab eis. Sic e contrario fieri potest, ut aliquis nullis præsentibus eleemosynam faciat, uelit tamen id hominibus esse nō ignotum, propter quos magis fecit quam propter dominum, is coram hominibus eam fecisse uidebitur. Quod si cupienti eleemosynam facere incidat uane ostentationis instinctus, is obstitat instinctui, non obmittat charitatis opus. Triticum est, quod deus in cor seminauit, zizanium quod cogitatio praua: noli ergo cum tollitur malum, etiam amittere bonū; sine utrunque crescere, ut tandem eradicetur zizanium, crescat autem triticum. Non habebitis mercedem apud deum. Quod propter deum fit, deo datur, & à deo recipitur: quod uero propter homines fit, in uentos effunditur, & à nullo inde fructus speratur. Est ergo summa dictorū: Eleemosynam quidem uos facere decet, ut patrem uestrum cœlestem bonitate & beneficentia referatis, ad hostes usque conciliandos. Tantum autem curate, ut fratres iuuetis, à patre probemini uestro, omnia largiter repensuro, non ut gloriam quæeratis humanam & inutilem, audituri aliquando à me, Venite benedicti patris mei &c. Alioquin si conspici ab hominibus uolueritis, in cassum laborabitis, nihilo phariseis meliores, qui faciunt opera sua ad solā ostentationē, qua quid uanius?

Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in uicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam.

Vere simulator est & hypocrita, qui propter homines facit, utque laudetur: aliud corde uult, aliud monstrat in opere: ad faciem proximi necessitatem subleuare uelle se simulat ut uideatur misericors, corde autem sequitur gloriae auram, & est uanae opinionis mercator. Tuba est omnis actus uel sermo, per quem operis iactantia demonstratur. Præsentibus hominibus eleemosynam defert, secreto non facit. Item, ad complacendum alicui eleemosynam largiēs, tuba utitur. Similiter si quis inde remunerari exoptat, honesto homini largiēs, hoc est non pauperi, uidens interim magis egentem & pertransiens, & hoc tuba est, etiam si loco secreto faciat, sed ut laudabilis habeatur: primū quia fecit, secundo quia absconse fecit, ipsa certè absconsiō tuba est. Non ergo tantum loci & actus secretus seruandus est, sed magis uoluntas secreta. In omni actu satan fraudem committere potest, in sola conscientia nō potest: hominibus enim suademus, deo autem manifesti sumus. Vanum certe est, uelle uideri ab hominibus, & tamen caro talia suadet contra spiritum recalcitrantem in pñs, unde & omnis humana uita dicitur tentatio.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat de-

xtera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi.

Dum cupis ad dei gloriam & beneplacitum benefacere proximo, eleemosynam hoc est pietatis quaecumque obsequium impartiri ei qui indiget, & qui tibi ad manum diuina dispositione ducitur proximo, uide ut non desyderes pro eo uanam gloriam, non cupias diffamari: recta intentione id feceris, deum solum respiciens, cui uelis in hoc facto probari, quia sic precepit faciendum. Dextera est intentio & religiosa, amor dei, gratia & beneficiū foris, intus operans spiritus Christi. Sinistra autem est uana intentio, mundi gloria, affectus carnis quicumque contra spiritum Christi. Metaphoræ sunt, ut dicere uelit, nihil faciendum boni pro uano applausu hominum, quod est sinistra intentione & praua. Redditio autem mercedis intelligenda est quæ opus sanctum sequitur, non quod pro opere ex æquo compensandum speratur. Dicitur tamen etiam merces operū nostrorum remuneratio, quæ fit per dei gratiam, & supra quam digna sunt quæ agimus. Sit eleemosyna tua in abscondito, non tam loco quam conscientie. Nam si anima per uanas cogitationes fuerit euagata, nihil prodest actus corporales abscondere, quia sic abscondimus, ut amplius publicemus. Gratius est omne bonum quod à nobis absconditur, à deo autem ostenditur, non solum in hoc sæculo, sed multo magis in gloria æterna, ubi non sunt communia opera bonis & malis, sed bonis tantum.

Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam.

Satis constat nihil de oratione uera curare eos, qui hypocritice orant, ut uideantur, ut laudentur, ut præmientur, ut sancti uideantur: indigni nempe, qui pro alijs orant, & à deo præ alijs exaudiantur, quales erant Iudæorum hypocritæ, & nostri clerici. Cum oratio uera non nisi ex animi compunctione proueniat, ex conscientie paupertate & anxietatibus, ex agnitione syncera proprii defectuum, & fiducia in deum patrem charissimum, ubi omnia ueritas sunt & fides, fiducia, & gloriæ dei desyderium, quam in omnibus semper intendunt pii. Hi pro se fideliter orant, & pro gloria dei propaganda in multis, pro mundi peccatis, pro reformatione religionis & morum. Hoc autem secretissime fit, & recollectissima mente: nihil hic confictum, nihil falsum. In synagogis quidem & ecclesijs oratorijs communiter oratur, & simili studio: qui uero ibi præ alijs uideri uolunt, cæteris sine dubio sunt ad orandum deteriores, & exaudiri indigniores. Anguli platearum orationis locus non sunt, ubi frequentiora sunt omnia, ubi conspectus communior & nihil secreti, ubi & apud idololatrias, uti nam non etiam apud Christianos sacella erant, & imagines, ubi orationes impiorum & impostorum, non religiosorum, qui ad nihil aliud orant, quam ut uideantur, laudentur & ditescant. Stantes orant, non prostrati & humiles, sed exalti animo & gestu, utque uideantur ab hominibus, à quibus sanctimonie laudem aucupantur. Hi quidem sibi placent, & ab hominibus laudantur ut sancti, honorantur ut cupiunt. Certe iam habent præmium suum, nimirum hoc quod captant. Quid autem inanius hac mercede, ut ob fucatam falsamque gloriam, sese frustrantur ipsi tam felici premio, quod deus fuerat iuxta promissum et gratiam repensurus, si precum suarum puram ac synceram uictimam ipsius oculis obtulissent. Vanitatem sectati sunt, uanitatem sunt assequuti. Dominum spreuerunt.

spereuerunt, cuius beneficijs sunt indigni. Maieſtatem domini non ſunt reueri-
ti, eius bonitate nõ potientur. Ex animo nil orarunt, nihil à domino ſpirituum
ſunt percepturi, niſi præmium hypocritarum gehennam.

Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & claſo oſtio
ora patrem tuum in abſcondito: & pater tuus qui uidet in abſcondito
reddet tibi.

Nolo te hypocritarum morem ſectari & ſtudium, ſed nec orandi modum.
Omnia tua ſyncera ſint & uera, non fictitia, non oſtentiones. Cum quid tibi
ſic deeſt, ut carere nequeas, non ab alio id petas quàm à deo patre tuo. Oratio-
nibus inſtes, ſed ex affectu, non pro conſuetudine uerba promens, nec uideri
uel laudari à quoquã cupiens. Tu potiùs turbam fugias, tam hominum quàm
affectuum huiusmodi. Intra ſecretum tui pectoris, cum domino loquere fidu-
cialiter, & occaſiones diſtractionum ſecularium fugias diligenter. Cubiculum
tuum ſecretum locum pete, ubi non ſecularibus negotijs occuperis. Ibi in ab-
ſcondito depromas domino ſecretum pectoris tui. Is ſolus ſpectator ſit neceſſi-
tatis tuæ & affectuum. Illum alloquere ſyncera & compuncta mente, digna ue-
hementia, ſine tamen diffidentia: quandoquidem non tam dominum agnoſcis
quem oras quàm patrem tuũ, & propenſiſſimum quidem ad benefaciendum,
etiã ſi minus ores quàm te uelit orare, ſed ex animo, non mente diſtracta, &
uaga circa ea quæ magis mouent. Id quidem & in eccleſia potes commodius,
ubi ſecularia nõ aguntur, ſed audiuntur quæ deus à nobis exigat, & quæ ſint
ab ipſo nobis oranda, aliquantoq; commodius quàm in familia uel domi. Non
autem trepidabis de exauditione, ſi patrem cogites, quem inclamas ex animo.
Is omnia tua deſyderia uidet, etiã ſi tu ignores quibus indigeas, paratior ex-
audire quàm quiuis pater, uel etiã omnes pariter ſancti, qui patres nõ ſunt,
nec pro te tanta egerunt ut cœleſtis ille pater, qui filium pro te unicum tradi-
dit, quid is negaturus eſt tibi? Quo minus interceſſores adeas, qui te non audi-
unt, qui non habent officium intercedendi, quod ſolius eſt Chriſti. Optima ti-
bi ab optimo petenda ſunt, non omnia. Crebro potiùs orandum quàm diu, in-
tente magis quàm prolixè, animo magis quàm uoce, non præſcriptis tuis uer-
bis, ſed quæ ſuggerit animus in deum raptus & indignus.

Orantes autem nolite multum loqui, ſicut ethnici faciunt: putant e-
nim quod multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis: ſcit B
enim pater ueſter quid opus ſit uobis, antequam petatis eum.

Vbi uotum & neceſſitas urgent fidelem ad domino colloquendum, uel ex-
plicandum deſyderia clementiæ & miſerationis diuinæ, uel ad gratiarum actio-
nis officium exhibendum, cum iam mens effertur in deum corde, & affectu ali-
quid precandi à domino & patre, nemo cogitet multis ſermonibus opus eſſe a-
pud eum qui omnia nouit, cui nihil abſtruſum. Qui ſuos incitat ad orandum,
qui propenſior eſt ad exaudiendum quàm homines ſint ad precandum, qui fi-
delium ſuorum curam gerit, & oculos apertos habet ad neceſſitates ſuorum,
non is multis ſermonibus mouetur, ſed fide, deuotione, & affectu pio. Qui ſpe-
rantibus in ſe, & religioſe humiliterq; precantibus negare nihil poteſt clemen-
tiſſimus pater, non ibi refert quàm prolixa ſit oratio, quàmq; uocalis, ſed quàm
ardens ac ſyncerus affectus. Verba multa hic non impetrant, niſi pro multitu-
dine anguſtiarũ multus quoq; ſit affectus & aſſiduus, cogens ad multa uerba.
Ethnici autem putant ſe nõ niſi per multiloquium exaudiri à ſuis diuis. Orant

Derogatores
Christi apud
patrem.

enim ad dæmones, qui etsi audiant, tamen exaudire nō possunt, neq; mala præstare, nisi domino permittente. Orant mortuos, qui quid petatur ignorant. Orant insensata idola, quæ respondere nō possunt. Necessario ergo diu clamant, ubi non est qui exaudiat. Vnde et Eliás diuorum inuocatores ridebat, dicens, Clamate fortiter, forsitan dormiunt dii uestri. Sic & modo quasi dormientem deum accusat, qui orationem suam longo sermone prosequitur. Deniq; opus non est uerbis erga deum, qui antequam precemur nouerit quæ nobis sint necessaria. Vtroq; uitio hodie peccant, qui & diuos inuocant intercessores dei optimi maximi, & mediatoris Christi gratiam non agnoscentes, uel sufficere credentes, et uerborum inexhausta farragine totos dies & noctes, non ex affectu, sed uel coacti, uel de more, uel ob mercedes, uel ob diffidentiam, uel ob superstitionem, uel ob metum, uel ob superbiam, orant multipliciter cæci & miseri. Deniq; non potest tam proluxa oratio proficisci ex affectu, sed illis sufficit hominum præceptis satisfecisse, etiamsi deo displiceat. Facit quoq; consuetudo, ut libere inter uocaliter orandum uagari mente possint, & de sententia nihil curare: cum primum in oratione sit, auocare mentem ab omnibus externis, dei beneficia & bonitatē diligentissime meditari, unde proficiscatur oratio, cum plena fiducia, memoria quoq; nostrorum defectuum, qui nos deum orare compellunt, unde & uerbis opus non est in oratione, nisi forte ardentior inde affectus erumpat. Verborū tamen usus in ecclesia prodest, quibus populi affectus commouentur & sollicitantur ad pios affectus, iuxta exemplar eorum cuius orationes & psalmi audiuntur, unde discant fidem & spem sanctorum ex Canticis, spiritu sancto inspirante compositis. Satis nunc liquet insaniam esse, præscribere tempus, modum, & locum, pro orationibus piorum, nō minor quàm si quis cogatur gaudere uel tristari pro uoto mandantium. Dei solius est mouere affectum ad orationes, modumq; præscribere. Necessitates autem & propriorum defectuum angores cogunt orare humiliatum.

Luce 11. 4

Sic ergo uos orabitis: Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum.

Ad hunc modum, ad hanc sententiam oretis, etiam si non omnino uerba omnia eadem semper loquamini orantes: non enim tam uerba dominus ponderat quàm mentis affectum. Oratio enim mentis opus est, non oris, unde & non omnibus in uerbis quadrant Matthæus & Lucas, sicut nec decalogi uerba in Exodo & Deuteronomio. Non enim quibus oremus uerbis, sed quæ animi petamus affectibus hic docemur. Patrem autē se magis quàm deum uel dominū dici uoluit indulgentissimus pater, ut nobis magnam præstaret fiduciam ad petendum, & spem largam ad impetrandum. Serui non semper impetrant quod petunt, quia non iusta semper & sincera conscientia petunt, suam non domini utilitatem curantes, ideo non semper exaudiri merentur. Filij semper impetrant, quia patris gloriam & beneplacitum semper desyderant, nihil diffidunt, amant sincerius, non petunt nisi quæ & accipere expedit, & dare decet. Noster autem quod additur non Meus, Christianam indicat charitatem, qua mutuam oratur, ut sit dulcior oratio, non quam pro se tantum necessitas promittit, sed quæ charitas fraternitatis commendat, sine qua nihil deo gratum, multo minus oratio, sicut nec oblatio, quæ respuit, nisi prius fratre recōciliato. Qui es in coelis & supercœlestibus, conditor illorū, dominus, & gubernator, insistentiarum omnium moderator, ut à stellis et signis cœli minime timeamus, quæ à nostro

à nostro patre reguntur ad bonum filiorum, ubi & gloriose regnat cum spiritalibus nobilissimis creaturis suis & seruulis, quò secundum animam propediem profecturi sumus, qui interim nos misellos in terra reptantes non despici, sed præsentissimus quoq; intuetur, nuspiam absens, sed implens omnia, in quo uiuimus, mouemur, et sumus. Tantum autem de exordio orationis dominicæ. Nunc oratio. Primo docetur ut sit in primis orandum pro gloria domini dei & patris nostri, ut nihil præferamus sanctificationi sui sanctissimi nominis, ut cupiamus eum ab omnibus credi, nosci, amari, coli, & timeri, ut sit gloriosus in uniuersa terra, ut eum solum uerum & dominum colant digne & religiose uniuersæ familiæ gentium, ut sit benedictum nomen eius apud omnes gentes, utq; per Christi Euangelium ubiq; glorificetur dei bonitas, olim promissa, & per Christum exhibita. Id non tantum in nobis, sed apud infideles, & in corde nostro & conscientia, in omnibus uerbis, cogitationibus, & factis nostris. Sanctificamus autem deum in nobis, quando scientes eum sanctum, timemus, ac solícite inuigilamus ne nominis sui sanctitatem per opera nostra mala uiolamus, & contaminemus summum bonum nostrum. Ipse quidem in sua natura incontaminabilis manet, omnes sanctificans, contaminationis tamē iniuriam grauius nostro uindicabit interitu.

Adueniat regnum tuum.

Aboleatur satanæ regnum ac tyrannis, impiorum uolentia & cōtemptus, carnis supercilium & conscientia horror, perfidia & incredulitas, malum in quo mundus constitutus est, error in fide & moribus, discordia & simultates: ueniat autem per tuam gratiam regnum tuum, retributio sanctorum, & tribulatio impiorum ad salutem, ut desinant esse impij. Sancti in hoc mundo regnent, & non conculcentur semper ab impijs. Iustitia fidei & uirtutis domine- tur passim. Faciant omnes homines uoluntatem tuam, ut regnes in eis. Luce ueritatis tenebræ errorum eliminētur. Glorificetur regnum tuū in fidelibus. Cum sint enim in mundo duo regna, hoc nunc quæritur & oratur, ut tollatur de medio uel superetur regnum diaboli, & adueniat tantūmodo regnum dei, id est iustitiæ. Id tunc fiet, quando omnes iniqui cū principe diabolo mittentur in stagnum flammeum inferorum. Omnes autem sancti resurgent, euntes obuiam domino in aëra. Interim autē semper in hoc mundo sancti cum ipso sint, ut omne quod est in mundo hoc totum sit dei. Est autem dei regnum in nobis, modestia, pudicitia, lenitas, tolerantia, fides, & charitas, pro quo orandum, ut profligatis uitijs unā cum malis cupiditatibus uim suam exerant inter homines celestes uirtutes.

Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.

Facit quidem deus ubiq; quod uult: omnia enim quæcunq; uoluit dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & omnibus abyssis. Sed hoc hic oratur, ut in nobis fiat uoluntas dei, ea obedientia, constantia, & fide, quomodo cœlestia omnia deo parent, et ad omnem perpetuo obediunt uoluntatem, seruantia instituta dei sine omni impedimēto. Sicut angeli in cœlis nullius uoluntatē faciunt nisi dei: sic optandum, ut homines omnes eatenus p̄j fiant, ut perficiant per omnia uoluntatem dei non satanæ. Ne sit, inquit, in nobis tam potens lex illa membrorum, legi tuæ repugnans, faceat uis prauæ concupiscentiæ, quæ facit ut bonum quod uolumus facere nequeamus, & malū faciamus quod odimus, sed spontanei & lubentes simus ad tua mādāta. Id autē per gratiam tuam largiaris, qua dirigatur nostra uoluntas, ne sit rebellis cœlestibus præceptis, sed

angelorum more obediens per omnia, pro fragilitate huius uitę olim perficienda in cęlis.

* als quotidiana=
numi uel pecu-
liarem.

Panem nostrum * supersubstantialem da nobis hodie.

Per hunc panem intelligimus uictum, & quibuscunq; uita presens opus habet. Hęc enim ut dona dei sunt, & agentibus in terra necessaria, ita recte a patre nostro cęlesti ea oramus, agnoscentes nimirum omnia esse a benedictione ipsius, sine qua frustra erit omnis cura & labor noster. Docens autem Christus nos orare, per nostrum hunc panem refecit quicquid est superflue uoluptatis, magis quam necessariae frugalitatis. Noster enim panis est, quo commode & necessario ad pie uiuendum atq; fratribus inseruiendum alimur, nō quo ad lasciuiendum pręter necessitatem luxuriatur. Per Quotidianū parabilem intelligi uoluit, adimens studium sumptus & deliciarum. Per Hodie deniq; sustulit curam crastini. Vt huius petitionis sit hic sensus: Quemadmodū o deus corpori nostro necessarium cibum esse uoluisti, sic eundē benigne suppedita, sed pro necessitatis portione, ut tantum nostro pane uescamur, & de tuis tantum manibus accipiamus. Habere enim ad manducandum, commune est pijs & impijs, & non raro abundantius impijs. De manu autem dei accipere, hoc est illius benigna gratia, sanctorum est tantum, qui sibi panem cum iustitia pręparant, impijs per iniustitiam diabolus pręparat. Additur etiam, Da nobis, tum quia quęcunq; dat nō nobis solis dat, sed & alijs per nos, pars cedit sibi parare non ualentibus, tum etiam qui de iustitia acquisitum panem manducat, suum panem manducat, qui autem cum peccato, alienum. Super substantialē autem panem sic Augustinus exposuit: Quemadmodum patres terreni prospiciunt liberis suis panem quo corpus alatur, etiam in posterum diem: ita tu nobis prospice panem cęlestem animi cibum, qui pater es cęlestis & pater spirituum.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Cum qua spe orat, qui inimicitias seruat cōtra hominem, etiam si læsus est: Sicut enim ipse orans mentitur: dicit em̄, Remittimus, & non remittit: sic a deo petit indulgentiam, et nō illi indulgetur. Quomodo uero putas is orat, qui non solum ab altero læsus non est, sed ipse per iniustitiam quamlibet alios lædit & grauat, & hostem continuo agit. Sed multi nolentes ueniam cōcedere in se peccantibus obmittunt id orare. Stulti primum, quia nō orant ut Christus uoluit & docuit, nec sunt Christi discipuli. Secundo, quia nec pater libenter exaudit orationem, quam filius nō dictauit. Cognoscit enim pater filij sui sensus & uerba, non suscipit quę usurpatio humana excogitauit, sed quę sapientia Christi exposuit. Ergo orationem quidem dicere potes, circumuenire deum & fallere non potes: nec accipis indulgentiam, nisi ipse induleris prius. Hęc Chrysostomus in opere imperfecto. Cum autem semper filijs dei & Christi discipulis sic sit & in hęc uerba orandum, nunquam eosdem debitis & peccatis liberos esse constat. Nec aliam satisfactionem aut remedium aliud docuit Christus, qui in hoc uenit, ut peccatis liberaret suos, q̄ huiusmodi orationem, & gratię diuinę supplicem exorationem. Vnde patent imposturę eorum, qui alias satisfaciendi uias pręter dei uerbum statuerunt ad suum quęstum. Deus est cui soli peccando debitores cōstituimur. Vnus igitur ipse est, qui sua bonitate debita nostra remittat, non sine satisfactione quidem, sed quę est solius Christi.

Et ne inducas nos in tentationem.

Inducit

Inducit in tentationem dominus suos, dum aduersis fidem ipsorum explorat & illustrat. In hanc induci nos nequaquam deprecabimur, sed in tali constantiam & solidam fidem precabimur, quia in ea secundum domini uoluntatem et gratiam proficiamus, petamusque prouentum, ut sustinere possimus, & non inde deteriores reddamur. Denique inducit nonnunquam in tentationem, dum nos satanae permittit, ut ad peccandum sollicitet, ut Dauidem, Petrum, & alios electos suos. De quali tentatione loquitur Paulus, Considerans, inquit, teipsum ne & tu tenteris, & in unum conueniatis ne tentet uos satanas, propter intemperantiam. Quanquam autem & haec tentatio cedat sanctis in commodum, dum lapsi per infirmitatem melius sese postea aduertant, uiuantque modestiores, tamen deprecanda est a fidelibus dei quaecumque offensa, ut semper dominum praesentibus amare possimus, & in illius uoluntate sancta semper persistere, quando sanctis nihil grauius accidere potest, quam in dominum peccasse. Inducit etiam in tentationem dominus quosdam, quos satanae captiuos tradit in impietate obstinatos, sed qui haedi sunt non oues, qui uasa irae non gratiae, hostes dei non filij. In hanc nos nunquam inducendos semper confidere debemus, per patris nostri coelestis gratiam, cuius nos filios esse speremus. Orare tamen dominum debemus, ne a filiationis suae gratia excidere nos unquam sinat, quando de perseverantiae dono certi non sumus, quolibet credentes, quando iudicia dei imperscrutabilia agnoscimus, et sancti quoque quotidie ad peccatum rapiuntur, & ad offendendum indulgentissimum patrem. Vnde et recte nobis metuimus, donec uiuimus, uigilijs & orationibus deprecaturi deum, postquam caro nostra non infirma tantum ad bonum, sed etiam pertinax incitatrix est ad malum: diabolo quoque in Leonis modum circumeunte et rugiente, quarenteque quem deuoret, cui fide resistendum docemur a Petro, & a Christo domino orandum monemur, Ne nos inducas in tentationem, id est ne permittas satanae, ut ad offendendum te nos detorqueat, cuius solius est a peccato seruare.

Sed libera nos a malo.

Si satanae tentatori nostro in fide infirmata non succedit, quo est in nos odio, gaudet malis externis nos obruere & excruciare, uti contra Iob egisse legimus, & alios sanctos. Recte igitur orantes adijcimus, Libera nos a malo, hoc est diabolo tentatore: qui ubi animam affligere nequit, corpora inuadit, & impotentis odio saeuit. A quo tunc demum liberi erimus, cum carnis huius mortalitate seposita, supernae patriae municipatum fuerimus consecuti, quando profligatus fuerit omnis gemitus & dolor, neque audietur ultra uox fletus & uox clamoris, sed erunt omnia plena gaudij & felicitatis. Non autem docuit nos orare, Depelle a nobis corporis incommoda, sed diaboli tentamenta, qui in hoc intentat corporis mala, ut mentem a deo alienet. Id si dominus non permiserit, mala ipsius bona nobis erunt. A quo malo cum pater coelestis liberauerit, solutos peccatis, finis quoque erit omnis afflictionis. Istud pie speramus, quia a Christo promissum.

Quoniam tuum est regnum, et potestas, & gloria in saecula, Amen.

Hanc Coronidem apud Graecos appositam Latinis ignotam, apparet ex solenni consuetudine sic additam, ut Angelicae salutationi quaedam adiecerunt, nec ab angelo dicta, nec a quopiam alio, utpote apud Graecos, Quia peperisti seruatorem animarum nostrarum. Sic Psalmis adiectum, Gloria patri & filio &c. Quod si quis contendat a Christo adiectam, necesse est fateatur, omnes nostros & Romanam ecclesiam & Africanam non recte legisse. Quando ne Cyprianus qui-

dem uel uerbo eā agnoscit; & Hieronymus quoq; nullam eius in Cōmentarijs mentionem facit. Ceterum Amen, quod Aquila interpretatur Fideliter, & hic simili modo uideri poterat adiectum. Hieronymus admonet orationis dominicæ esse signaculum. Oranda ergo est hæc diuinitus nobis commendata oratio attentione maxima, pari humilitate ac reuerentiā, propter ipsum qui nobis illam tradidit orandam, ad ipsum solum nostræ mentis oculum attollendo, & nunq; in nos ipsos reflectendo, nisi in hijs quæ sunt infirmitatum. Orantes autem singula discutiamus uerba ad præsentēs necessitates, quas domino cupimus commendatas, pro quibus oramus, non ex consuetudine, sed ex affectu, & sensu nostrarum calamitatum, proq; gloria dei adaugenda in nobis, & in toto mundo. Vbi autem nos docuit hoc modo orare dominus, mox diligētissime admonet unius, quod superius in oratione tetigerat, ut peccantibus in nos, & ueniam precātib; peccata remittamus, quod requirit ipsa charitas, & diuinæ miserationis emulatio. Hic, inquam, iuxta Matthæū dominus alloqui discipulos suos pergit, & omnes Christianos, quos ad suū exēplar uult esse cōparatos.

Marci 11. c
Eccli 33. d

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater uester coelestis delicta uestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra.

Remittere pro
ximis.

Nihil eque dominus requirit à nobis ut mutuam dilectionem, ut singuli alij dii simus, ad imaginem & bonitatem dei formati. Huic nihil æque obsistit atq; offensæ, quibus animi alienantur, & à bonitate reuocantur; ideo de condonandis erratis adiūgit, imò repetit potius. Deinde errata nostra nō condonantur nobis, nisi ea agnoscentibus, & contrito corde ueniam orantibus. Quia ergo seriose dominum precantur pro criminum suorū remissione, paratos quoq; se exhibeant ad condonādum, si quid est in se peccatū. A deo sentit apud suam conscientiam Christianus debitū decem miliū talentorum, onus importabile, ob cuius remissionem centū denarios summa cum beneuolentiā remittere cupiet. Id autem non sic intelligendum est, quasi remittendo proximis errata, mereamur & nobis errata nostra remitti à deo. Sed quia non remittuntur nobis huiusmodi nostra debita, nisi remissionē eorundem nobis de dei gratia certò polliceamur, & eam nobis nō possumus polliceri, nisi donati simus spiritu dei, quo humiliamur, & dilectione proximi sic accendimur, ut nullius iniuriæ recordari possimus. Ideo remissurum se ait ihs, qui remiserint proximis; & non remissurum eis, qui proximis non remiserint. Illi enim sibi remissa peccata credere possunt, qui sic dulcedinem gratiæ dei & charitatis ad proximos gustarunt, ut pro ea nihil iam non pati & facere sint parati. Nisi igitur fratribus ex animo condonemus, spiritu dei prorsus uacamus. Nostra condonatio certum est signum remissionis diuinæ. Eo enim ipso diuinam naturam imitamur, cui proprium est misereri & parcere, eosq; maxime respicit, qui illum in hac bonitate imitātur. Ideo si in paruīs & paucis eum non fuerimus æmulati, cum occasio se ingesserit, neq; dominus nostri miserebitur, neq; parcat in magnis & multis. Non est enim dignus accipere multa, qui nō uult largiri dum potest pauca. Multa sunt autem & magna quæ nos domino obligamur. Si remittimus in nos peccantibus, & ille nobis nostra remittet, qui bonitate excellit, gratia abundat, misericordia sua cœlum implet & terram, cui omnia debent quod sunt & possunt. ipse nulli quicq; debere potest, quando omne eius donum procedit ex gratia.

Cum autē ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim

enim facies suas, ut pareant hominibus ieiunantes. Amen dico uobis C
quia receperunt mercedem suam.

In omni bono opere summopere uitanda nobis est hypocrisis, simulatio, & fictio, qua & nobis ipsis placere incipiamus, & sanctuli uideri uelimus, impatientes si quid contrarium nostrę æstimationi dicatur, alijs quoq; hominibus iusti uideri nitimur, quod olim scribę & pharisę faciebant, macerantes facies suas, uultu tetrico tristitiam simulantes ueluti ieiunantes. Vos autem electi estis, ut filij dei sitis: dissimillimos ergo uos esse oportet hypocritis, quibus nihil eque rea expectandum. Illa em̄ quid est inanius? Orandū igitur eleemosynarū danda, ieiunandum quoq; ut deo soli uideamini & probemini. Quomodo autē ex terminatas non habent ante deum consciētias, qui fingentes se propter deum ieiunare, propter hominum laudem tantum ieiunant, uolentes fallere et deum & homines. Vel intelligi potest, Nolite fieri tristes sicut hypocritę, id est nolite sine spe & fide ieiunare. Sine spe ieiunat, qui nō abstinere a peccato, nec facit iustitiam. Peccatum autem exterminat faciem, nam semper uulnerata conscientia arrodit animū. Veteris ieiunij ratio fuit, non tantum semel in die cibum sumere uel pisculentum, sed semel omnes abdicare delicias, luctam quandam suscipere, & iustam corporis castigationem cum afflictione spiritus, quale in die propitiationis lex indicebat, quale & passim Iudæis susceptum legimus in scripturis, abstinentiā nempe omnium quibus corpus oblectatur & fouetur. Causa autē ieiunij huiusmodi erat insignis aliqua calamitas, uel imminens, uel iam perpeffa, & seria peccatorū poenitentia. Ieiunabant autem uno uel paucis diebus ad admonitionem regū & sacerdotum. Ad hanc autem animi tristitiam testandā, aliquando scindebant uestes, induebantur faccis, obuinciabant caput, & crinem aspergebant. Quin & nostrorum episcoporum est, plebem probe admonere peccatorum suorum, & ingentem necessitatem supplicandi diligēter inculcare, ut crebro se siue publicis siue priuatis ieiunijs & supplicationibus, tam pro se quā alijs dedāt, utq; agnoscere possint & dolere cum suorum tum aliorum peccatorum grauitatem, suscipereq; deuote & admirari ineffabilē dei erga nos bonitatem, ut rite accendantur ad precandum profectum glorię dei, & ad deprecandum quicquid huic aduersatur. Differt autem ieiuniū illud temporale ob priuatas & publicas causas susceptum ab ea perpetua Christianorum omnium sobrietate, frugalitate & temperatiā, ad quam Christus & apostoli adhortantur, quod semper & omnes decet pios, iuxta illud, Cauete uobis ne quando grauentur corda uestra crapula & ebrietate, curisq; huius uitę. Et Paulus: Abiciamus opera tenebrarum, & induamur &c. Ad Titū quoq; Sobrie & iuste & pie uiuamus in hoc sæculo &c.

*Ieiunij qualis
habenda ratio.*

Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in absconso, & pater tuus qui uidet in absconso, reddet tibi.

Tu uero cum ieiunas, dissimula potius huiusmodi ieiunium corporale. Sic longe te facere debes ab ostentatione qualibet ieiunij tui, ut nihil à uulgo, quo ad corporis generalem & consuetum cultum alienū adsumas, nolis quacunque ratione innotescere tuum ieiuniū ad tuam laudem, sed alijs te in his potius conformans, uide ut à peccatis & cogitationibus superbic & inanis glorię te serues immunem. Non moratur deus corporis moderatum cultū, pro regionum

necessitate & temporum. Caput & pedes inungi pertulit Christus inter Iudaos. In tempore & loco necessarium putatur, ut non sit peccatum, sed uelle uideri sanctulum & abstinentē, hypocrisis est foeda deo plurimum aduersa, qui ueritas est & ipsa iustitia; ne quid hic pertinens ad luxum præceptum uideatur à domino. Exponunt quidam spiritualiter faciem lauari, conscientiam emundare, sordes auaritiæ & periurij abluere, secundum illud Isaie, Lauamini & mundi estote, auferte nequitiam ab animabus uestris. Quoties, inquit, pietas hortabitur ad ieiunandum, ne uelitis imitari quosdam non ieiunatores, sed ieiunij simulatores, frontis tristitia ieiunij personam præ se ferentes, quum re ipsa non hoc agant ob quod est ieiunandum, uel ad placandum deum, sed hoc fuculo laudem captant inanem apud homines, quibus deo contempto fabulam hanc agunt. Tu quoties ieiunas dissimula magis ieiunium, & uncto capite lotaq; facie læticiam præferas potius quàm animi deiectionem. Satis tibi sit quod pater cœlestis hoc tuum uidet ieiunium, cui nihil est occultum, qui & pro inani laude mortalium, solidam mercedem reponet tibi. Nec tamen est impium habere aliquos tui ieiunij cōscios, sed quod animus debeat ab affectatione laudis abhorre.

Lucæ 12. d.

Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem uobis thesauros in cœlo, ubi neq; erugo neq; tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

In terra sibi thesaurizant, qui affectum ad terrena immodicum dirigentes, congerunt sibi opes superfluas, pretiosas uestes, aurum, argentū, & alia id genus multa, sed uestes tinea & uermis erodunt, auri autem & argenti repositoria fures effringunt, aut certe perfodiunt, & ea furantur. Thesaurizant autem in cœlo, qui affectu fidei iugiter in deum intenti, secundū illam per opera pietatis domino complacere contendunt ac student. In cœlis autem sunt uera bona, quæ neq; putredine ulla corrumpi, nec à uermibus cōtaminari aut uitari, neq; à furibus diripi possunt, & hæc uere fidelibus & bona operantibus recondita obseruantur, suntq; cœlestis thesaurus uerus uerorum cœlestiumq; bonorum. Similis exhortatio est apud Paulum 1. Timoth. ultimo, Diuitibus in hoc sæculo præcipe, ne elato sint animo, neq; spem ponant in diuitijs incertis, quod est thesauros recōdere in terra, ubi erugo corrumpit & tinea, sed in deo uiuente, in quo qui reponit spem, non confunditur; accipiet enim affatim omnia temporaria bona, & in cœlestibus æterna. Istos nobis thesauros uere reponimus, & per opera fidei misericordiq; nos reposuisse declaramus, uocationem nostram certam esse monstramus. Quatenus ergo spiritum Christi in nobis bonis operibus ostendimus, electionem nostram eam nobis parare dicimus, & nobis reponere: quanto enim in his plus promouemus, tanto propius ad illa accedimus, quæ nimirum tunc demum plene possidebimus, quando spiritu dei toti ad Christi imaginem perpetuæ beneficentiæ studio fuerimus reformati. Hic enim finis noster est, ut consummata bonitate optimum patrem nostrum referamus. Id autem fit fide & gratia, secundum Paulum, Gratia estis seruati per fidem, idq; nō ex nobis, ne quis glorietur. Id autē fit per opera bona, sine quibus gratia & fides non habentur. Vera autem est sententia, quæ uulgo fertur, Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum: plurimum enim obtinent ueritatis uulgo

*Thesaurus in
cœlis reponere*

uulgo factata sententia. Infelicissimum autem est animis addici caducis, & temporarijs rebus mundi huius, excidere autem e caelestibus & aeternis. Nihil enim sublimi cogitant, qui congestas opes defossas habent in terra. Ipsi quidem huc & illuc obambulant, tamen animus habitat in fouea, cui credita est pecunia.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si ergo oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Lucæ 11.6

Mens quæ oculorum uice est homini, si ad ista terrena caducaque demittitur, totum corpus in tenebris palpitat, uiciatis oculis qui corporis sunt lucernæ: sic luce uitæ carebit quisquis insincera mente fuerit, non potens uera bona peruidere. Id quod usu homini uenit, mox ut terrenis istis ac falsis bonis sese deditur accumulandis. Nam qui ditescere cupiunt, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas, stultas ac noxias, quæ demergunt hominem in exitium. Vt ergo nihil lucis reliquum corpori manet oculo corrupto, ita nihil ueritatis aut sani consilij omnis uita hominis reliquum habet deprauata mente. Vnde ait consequenter:

Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Si mens tenebrosa fuerit, quæ tamen ad honesta ac salubria omnibus sensibus præluere debet, & affectibus uice oculi habita, & lucernæ diuinæque bonitatis ignara extiterit ad quærēda carnalia detorta, ipsæ tenebræ quantæ: hoc est sensus & affectus alij, alioqui ad prauitatem à puero proni, quanta improbitate erunt perditæ, auriga ipsorum mente nihil sani meditante? Huiusmodi autem mens est omnium, terrena diuinis præferentium. Ne igitur uos capiat terrenarum rerum cupiditas, superna potius quærite. Quibus si mens sese dedit, & diuino lumine perfusa, omnem uitam ita illustrabit, ut omnia sancta felicia & diuina futura sint, hoc est quod Lucas recenset, Corpus tuum lucidum erit, nullam habens uel partem tenebrarum, ueluti si te lampas sua coruscatione illustraret. Infeliciter enim cadit, suamque semper habet adiunctam pœnam, quicquid ex cupiditate agitur, ut contra felix & faustum est quicquid geritur ex sententia dei. Si ratio cupiditatibus est excæcata, id iudicat esse felix quod est calamitosum, id iudicat in primis expetendū quod uel neglectui habendum uel odiendum. In quas tenebras totum hominem rapiet ambitio, libido, auaritia, stultitia, ira, liuor, odium, reliquaqueque perturbationes animi, quæ suapte natura caliginem habent.

Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum cõtemnet. Non potestis deo seruire, & mammonæ. Lucæ 16.6

Nō dixit, Nemo potest habere deum & diuitias, quæ Syriaca lingua mammona dicuntur: sed, Nemo potest esse dei seruus & diuitiarum. Aliud est enim habere diuitias, aliud illis seruire. Si te non reddunt diuitiæ superbum uanum aut uiolentum, sed beneficum, misericordē, liberalem, dominus es diuitiarum aut non seruus, quia non te diuitiæ tenent, sed tu illas. Qui autem pecunię obstrictus fuerit, is non poterit seruire deo, cui qui uolet seruire necesse est renūciare omnibus quæ possidet, solamque illius uoluntatē sectetur & gloriam. Quod autem additur, Aut enim unum odio habebit &c., ad similitudinis perti-

net explicationem, quam & simpliciter clarissimeq; adiūgit, **Non potestis deo seruire & diuitijs.** Non enim fieri potest, ut idem seruus ex æquo & pari studio seruire possit deo & mundo, hoc est eis quæ in mundo appetantur, maxime uero diuitijs. Deus enim iubet ut proximis indigentibus largiaris de proprio, mammona uero iubet ut per fas & nefas augeas possessiones. Deus imperat ut consulas fratri periclitanti, mammona iubet ut tibi uiuas & consulas. Deus imperat sobrietatem, mammona luxum docet. Frustra igitur uobis blandiemini, si creditis fieri posse quod fieri non potest, ut simul deo seruiatis & diuitijs. Eius quisq; seruus est, cui uehementer est addictus. Videtis quàm totos possideant eos opes, qui tanto tumultu illas parant, tanta sollicitudine tuentur ac seruant, tanto cruciatu amittunt: quid non ob has patiuntur? quid non faciunt? Huic seruitio qui se mancipauerit, non potest esse seruus dei. Totum ille requirit hominem, nec patitur tam fordidi fœdiciq; domini consortiū, nec fert seruum dimidiatum, & cum hoste communem.

Luce 12. c

1. Petri 5. b

Psalm. 54. d

Ideo dico uobis, ne solliciti sitis animæ uestræ quid māducetis, neq; corpori uestro quid induamini. Nōne anima plus est quàm esca: & corpus plus quàm uestimentum?

Etiam si dumtaxat pro necessarijs sollicitudinem admiseritis, ilico et cadit fides in deum, & detrahitur mens à cœlestibus. Sollicitudo enim & anxietas pro uictu, & uestitu, & rebus alijs quamlibet necessarijs, certo arguit tum fide in deum destitutum esse, tum terrenis rebus nimium esse animo addictum. Qui enim deo fidit, nouit nihil sibi necessarium unquam defore, neq; uolet illis uel plus uel diutius frui, quàm sit bona patris uoluntas: proinde ut laborabit quidem, quo suo pane uescatur, ac etiam tribuat necessitatem patienti, ita sollicitudinem anxiam ac diffidentem & terrenis penitus inseruiētem in animum nequaquam admittet. Quod si deus deniq; nobis ultro & immerentibus uitam & corpus largitus est, nequaquam negaturus est cibum & uestimentum, quæ multo minoris sunt. Nolite ergo reponere in longum tempus, nolite discruciarī sollicitudine de parando cibo & uestitu. Nōne uita est pretiosior quàm cibus? Hac multo melior est qui dedit, & dedit non sollicitis. An grauabitur uilioribus hisce rebus alere tueriq; quod dedit?

Respicite uolatilia cœli, quia non serunt neq; metunt, neq; congregāt in horrea: & pater uester cœlestis pascit illa. Nōne uos magis plus ris estis illis? Quis autē uestrum cogitans, potest adijcere ad staturam suam cubitum unum?

Consyderate, inquit, uolatilia cœli, uolēs persuadere quando nos illis multo plus sumus, & deus illorum conditor, noster etiam pater est, ne dubitemus nos quoq; illis plus curæ esse quàm illa. Eoq; cum illa pascit, & quidem citra omnem illorum laborem, nos nequaquam passurum penuria affligi, preferim ex uoluntate ipsius labori nostro intentos. Post hæc obiecta de uanitate nostræ sollicitudinis ab ea dehortatur. Quis, inquit, sollicite cogitando potest addere staturæ suæ unum cubitum? Quasi diceret, Quid frustra uos cura superflua discruciat? Patris uestri est non uestrum dare stature uestræ modum, ita & uestimentum accommodare potest. Alioqui omnem sollicitudinem intendite, et uel cubito uos maiorem reddite. Agnoscite igitur bonitatem & benignam prouidentiam cœlestis patris uestri, qui nihil nō egregie perficit: ut dedit hanc cor-
pori

pori mensuram, ita inuestitos uos haudquaquam relinquet.

Et de uestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent: dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si enim foenum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, deus sic uestit: quanto magis uos modicæ fidei?

Iam ne uos sollicitos habeat prouidentia uestiendi corpus, contemplantur lilia quæ nulla hominū cura nascuntur & crescunt in agris, non laborant, non nent: quis autem illis de uestitu ut ipsi uisum est prospicit? quis, nisi pater cœlestis? Et ita prospicit, ut nec Salomon rex opulentissimus ac splendidissimus unquam sic amictus fuerit, etiam quum maxime strepitum diuitiarum suarum ostentaret, quemadmodum unumquodlibet ex his contemptis neglectisque lilijs, quæ non in hortis, quibus nonnihil humanæ curæ tribuitur, sed in pratis & agris sponte proueniunt. Nihil enim tam elegans præstare potest hominum cura, quam præstat ipsa naturæ prouidentia. Quod si pater uester herbam uillem, moxque periturā, quæque hodie nitet in agris cras demessa & arefacta in clibanum mittenda, tanto nitore uestit, cur uos adeo parum illi fiditis, ut uobis quibus tanto præstantiora contulit, quosque immortalitati condidit, ac peculiariter in sui nominis gloriam parauit, putetis defutura uestimenta, quæ uobis qualiacunque non ad ornatum, sed ad necessitatem quærenda sunt?

Nolite ergo solliciti esse, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater uester, quia his omnibus indigetis.

Proinde qui patrem habetis deum, tanta benignitate prospicientem etiam auiculis, prospicientem flosculis & herbis, quarum illæ ratione carent, hæc nec sentiunt, quum uideatis illum uos tanti facere, ut corpori mira prouidentia composito animam indiderit rationalem, & angelicis mentibus simile, ut filiorum titulo dignetur, ut uos ex omnibus delegerit sua gratuita charitate, quorum syn-cera uita castaque doctrina notus & gloriosus fiat, inter uniuersum mortale genus, quos ad æternæ uitæ hæreditatem destinauit, abijcite istam humilem & fordidarum rerum sollicitudinem, ut anxij trepidique dicatis, Quid edemus aut bibemus, aut quo uestiemur? Ethnicorum istæ uoces sunt, non Christianorum: Neque didicerunt aliam esse potiorem uitam, ad quam omnis cura sit dirigenda. Itaque dei præsidij diffisi, & in his quæ corporis sunt, felicitatem hominis constituentem, magna sollicitudine parant, quæ ad uictum uestitumque aut reliqua corporis commoda faciunt. Quis est inter homines pater tam impius, ut liberis suis non prospiciat de rebus ad uitam necessarijs? Vos patrem habetis tam diuitem, tam benignum, tam prouidum, ut omnibus sufficiat, ut omnia locupletet, ut nihil quamlibet minutum aut contemptum destituat, & metuitis ne filijs suis non suppeditet ista, sine quibus non uiuitur? Hanc curam in illum transferte, nouit his omnibus opus esse: nec enim tam durus est, ut suum agentibus negotium necessaria subtrahat. Opera quidem uestra manuaría uxorem alere debetis & liberos, pauperumque subleuare inopiam, sed absque sollicitudine, ne conduplicetis miseriam. Si obtingat sine fraude et absque negotio pecunia, accipite, sed sic, ut eius cura nihil uos remoretur ab Euangelij negotio. Maius quiddam agitis que

Deo fidendum patri.

ut fluxarum rerum cura conueniat auocari.

Quærite ergo primum regnum dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis.

Prima cura uestra sit eius boni, ad quod ista collata nullius sunt momenti. Instaurandum est regnum dei, hoc est doctrina Euangelica, per quam pertingitur ad cœlestem hæreditatem. Huius uos præcones & adiutores delegi, et ostendi quàm eximijs uirtutibus sit opus ad hoc negotium obeundum, ut & inimicos diligatis, & salutem optetis his, qui uobis moliuntur exitium. Hæc quia summa sunt, nec uobis sine uestra sollicitudine contingēt à patre, primum uobis quærenda sunt, reliqua leuiora quæ pertinent ad huius uitæ necessitatē, pater optimus ultro uobis non sollicitis uelut auctarium adiiciet, ut utroq; nomine gratias agatis illius munificentia, & quod illa summa bonitate sua uobis adnitentibus præstiterit, & hæc citra uestram sollicitudinem adiecerit. Curate ergo, ut bonitatem dei quàm plurimi uobiscum uere agnoscant, sedulo colant, sancteque adorent, fide in eum & dilectione erga proximum solidam iustitiam sectentur. Hoc uestrum munus, in hoc uocati & constituti estis: id igitur curate, huc uestras curas omnes conferte. Quæ uobis necessaria fuerint, non uestra, sed sola ipsius cura parari oportet. Ne igitur libeat frustra & cum patris uestri offensa istis conquirendis sollicitudinem multam impendere.

Nolite ergo solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibiipsum: sufficit diei malitia sua.

In diem igitur uiuite, & omnem in posterum curam mittite, satis habentes curasse præsentia die quolibet, quæque dominus in præsentiarum curanda obiecerit singulis horis, ut ea quàm diligentissime, & ut res digne postulant, absoluantur, ne præsens tempus sine fructu amittatur, ne negligatur opus quod ad proximi profectum pertineat, & ad dei gloriam. Ut autem diffidens de successu sollicitudo ponenda est, ita labor & cura qua pensum suum rite quisque persoluat munusque suum recte obeat, ponenda non est. Labore enim uestro panem uestrum comparare addecet, iuxta illud, In sudore uultus tui comedes panem tuum. Nostri ergo sollicitudo mittenda est, aliorum suscipienda. Iniuncto quoque studio se operi nobis erit incumbendum, operis pretium autem & emolumentum commendandum erit prouidentia diuinæ, & patris cœlestis circa nos curæ sanctissimæ & fidelis. Pater uult ut laborando uitæ necessaria quærat, ut studio utiliter proximo frugifertis, non otiosi panem edatis. Huius uos sollicitudo teneat, & sit ea satis, uti sane abunde exercebit, si diligenter muneri uestro inseruieritis. Crastini igitur id est posterius temporis curam ponite, nihil solliciti quem fructum laboris uestri uobis adferant, tantum in præsens quæ facienda incumbunt curate, & sinite crastinum diem sibiipsum curam habere, hoc est cras iterum istis rebus incumbite, quæ dies & dominus curanda obtulerit.

CAPUT VII.

Luca 6. f
Roma, 2. 4



A Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis.

Connectere hæc superioribus, & ordinis rationem inquirere non opus est, quando tota hæc oratio, sicut & hoc caput 7. miscellanea continet, quæ & scripte docuit, nec semper eodem ordine; continet autem summam doctrinæ, & uitæ Christi.

tae Christi, et totius pietatis. Est & aliud phariseorū uitiū. Siquidem illi quum sibi ignoscant in grauissimis peccatis, tamen erga fratrem peccantem iudices sibi inclementissimos, etiam ea calumniantes quæ recta sunt, sinistre interpretantes quæ dubia, exaggerantes quæ leuia sunt. Denique si quem uiderint in aliquod grauius crimē collapsum, magis hoc agunt ut perdant quàm ut sanent. Atque hinc quoque iustitiæ famam sibi uenantur, quod magno supercilio sæuiant in aliorum lapsus, quū id faciant nec amore proximorum, quos extinctos ma-
lunt quàm correctos, & traductos potius quàm emēdatos, nec odio uitiorum, quum ipsi suis uitijs longe grauioribus indulgeant. Vestra uero iudicia, si qua sunt, sapere debent Euangelicam charitatem, quæ facile condonat, non temere suspicatur de quoquā, quæ quicquid anceps est, in bonum potius quàm quàm punire, quæ suę infirmitatis conscientia talem se præbet iudicem in com-
missis alienis, qualem uelit alios experiri erga se peccantem; non sumit sibi supercilium in obiurgandis malis aliorum, si sibi sit conscia similiū aut maiorum, se sibi prius censorem & iudicem adhibens, quàm alterum increpet aut admoneat. Atque interim fit, ut iniqui iudicij exemplum in ipsos authores recidat, & alios uicissim experiantur suæ uitæ censors tales, quales in alienam egerint. Nolite ergo uos sic alios iudicare, ne simili modo iudicemini ab alijs. Alioquin fiet ut quale iudicium exercueritis in alios, tale uicissim alijs in uos exercent, quæ mensura mensi fueritis alijs, alijs uicissim metiantur uobis; ut enim officium inuitat officium, sic clementia clementiam, sæuitia sæuitiam. Qui male loquitur de proximo, peius audiet. Nulli atrocius sæuiunt in quamlibet leues lapsus proximi, quàm qui ipsi madent uitijs longe grauioribus.

Iudicia Christianorum.

Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non uides? Aut quomodo dices fratri tuo, Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, eijce primū trabem de oculo tuo, & tunc uidebis eijcere festucā de oculo fratris tui.

Marci 4. c
Lucæ 6. f

Quod autem est istud præposterum iudicium? in suis quisque malis debet esse iudex acerrimus, in alienis mitior. Ad sua quæque uitia decet esse oculatum, in alienis non perinde curiosum. Et sibi quisque primū debet esse medicus, prius quàm alteri manus admoueat. Tu uero cur uides festucā in oculo fratris, quū eijciam festucam ex oculo tuo, quum interim ipse gestes trabem in oculis proprijs? Hypocrita, qui non ex tuis bonis, sed ex alienis malis sanctimoniam laudam & purgato oculo tuo, dispicias num qua sit festuca, quam eijcias ex oculo fratris. Vt oculo iudicamus ea quæ sunt corporis, ita animo iudicamus ea quæ sunt animi. Proinde uitio careat oportet illud, quo uitium alienū iudicamus. Et seipsum prius docuerit oportet, qui parat pronunciare in alios; sibi quoque monitor sit oportet, qui uelit alios admonere. Huiusmodi autem impios hypocritas & iniquissimos censors innocentium quoque hac allegoria Christus perstrinxit: nequaquam autem eos, qui ex sincera charitate fratribus etiam in minoribus peccatis monitores se insinuant, quibus forsitan & ipsi, aut certe alijs non minoribus laborant. Non enim isti se iustificare & illos condemnare, sed se pariter ac illos, quoad fieri potest, peccatis purgare annuntuntur. Suspectum æque

Correctio fraterna.

nobis sit, si quando fratrem uere laborare scimus, & tamen ne turbetur nostrā familiaritas amicæ monitionis curam adhibere negligimus, Spiritus autem patris nostri in his modum obseruandum docebit.

Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas uestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant uos.

Quamquam autem uelim uos esse promptos ad bene merendum de omnibus, tolerantibus erga eos qui uos afficiunt iniuria, simplices & candidos erga eos qui labuntur humana infirmitate, ut & peruersos malitis corrigi quàm extingui; nolim tamen Euangelicæ sapientiæ mysteria sine delectu prodi dignis & indignis. Etiam si Iudæi tanti faciant sua sacra, ut ab his arceant canes, animal impurum; si diuites tanti faciant suos uniones, ut non proiciant eos porcis, alioqui infani habendi si id faciant: uos qui possidetis ea, quæ uerè sancta sunt, & omnia superant pretiosa, caute ne opes Euangelicas proiciatis indignis. Canes enim sunt, qui dediti prophanis rebus abhorrent ab ijs quæ sapiunt sanctimoniam. Sues sunt qui toti immersi uoluptatibus obscenis, execrantur puram & sanctam Euangelij doctrinam. Canibus putria cadauera & fetidus uomitus iucundior est omnibus condimentis & aromatis. Sus scœnum mauius quàm gemmas. Sic homines deploratæ malitiæ doctrinam sacram ut stultam irrident, ubi cognouerint, & ut impiam calumniantur, negotium quoque faceffunt ijs qui tradiderunt. Auidis igitur aut certe sanabilibus communicanda est philosophia Euangelica. Nec statim credenda sunt omnia omnibus, sed ut quisq; specimen sui profectus præbuerit, ita sunt abstrusiora quædam aperienda. Sic Christus nunc pharisæis & alijs ueritatis hostibus Iudæis tanquam canibus, tum Herodi & Pilato tanquam porcis, mysteria sua promere noluit, ac rursus cum locus poscebat, & gloriæ patris referebat, ad contestationem impietatis illorum, uerbum dei inuitis etiam illis fuit attestatus. Quando autem & quibus loquendum uerbum dei cum incremento gloriæ dei, nemo sine spiritu patris recte intelliget & audebit.

B Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.

*Infra 21. c.
Marci 11. c.
Lucæ 11. b.
Ioan. 14. b.
16. e.
Iacobi 1. a.*

Commendatur hic ardens, instans, & pertinax desyderium petendi necessaria à domino, sententijs è uulgi sermone mutuatis. Quasi diceret, Vulgo iactari auditis, Petite & accipietis &c. Non enim nisi petentibus dari solet, & quærentes dumtaxat inueniunt, neq; intromittuntur in ædes, nisi qui ostium pulsarint: ita cum maxima sint, nimirum illustratio gloriæ dei, regnum dei uita æterna, quæ à deo orare nos conuenit, par sanè est, ut illa nequaquam frigide petatis, neq; quæratís segniter, aut pulsetis remisse, hoc est, ut uno uerbo dicatur, uotis ardentissimis: Diues est siquidem pater uester, nulli quoq; negat, nulli inuidet opes suas, sed tamen agnosci uult earum pretium: non autem agnoscit, qui segniter optat, qui non cum fiducia & solícite petit.

Aut quis est ex uobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid

quid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Si ergo uos cum sitis mali, nostis bona dare filiis uestris, quāto magis pater uester qui in caelis est, dabit bona petētibus se-

Vos natura procliuēs ad malum, atq; etiam alijs in rebus mali plerunq; ta-
men hac in parte non uirtute sed naturæ impulsu seruat pietatem, ut noue-
ritis utilia dare liberis uestris; quanto magis id faciet pater uester cœlestis natu-
ra bonus? An is non dabit uobis filijs suis sua bona, si benignitatem ipsius fla-
grantibus ac pertinacibus uotis sollicitaueritis? Discimus uniuersos mortales
malos esse, hoc est tantum ad amandos seipsos & sibiipsis benefaciendum pro-
pensos. Bonus enim est, qui alijs bonus fuerit. Vnde saluator dixit solū deum
bonum esse, quia unus est, qui nihil sibi omnia alijs & quærat & faciat. Locus
de amore uero & sancto parentum ad filios.

Omnia ergo quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, ita & uos
facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ.

Luce 6.e
Tobie 4.c

Quod ad uitę consuetudinem pertinet, quæ mutuis officijs & iniurijs in-
uicem aut læditur aut iuuatur, quoniam prolixum est de singulis præcipere,
formam generalem dabo, cuius ius sit insitū om̄ibus à natura. Nemo sanus sibi
non bene cupit, sed uulgius hominum sic est amās sui, ut alienis malis suis con-
sulat commodis. Vobis non ita faciendum meis discipulis, sed quales optare-
tis alios esse in uos, tales uos ipsos præstare in alios. Nemo ignorans non cupit
doceri, nemo dum labitur peccando non cupit secreto & amanter admoneri
potius quàm traduci, nemo quum egeat non uult sibi subueniri, nemo uult
obrectari famæ suæ, nemo fraudari. Ex hoc igitur communi sensu, qui nulli
mortalium non est inditus, quisq; sumat sibi consiliū, qualis esse debeat erga
proximū suum. Quod sibi fieri nolit ne faciat alteri, quod sibi fieri gaudet præ-
phetæ, quos si aut non uacat, aut per insciam literarum non potest aliquis e-
uoluere, certe nemo non habet domi regulam, ad quam dirigat actus suos, mo-
do rationi quàm cupiditatibus obtemperare malit. Nomine autem legis & pro-
phetarum intelligitur omnis doctrina dei, diuinis literis comprehensa, quæ &
hominem penitus absoluit, instructumq; reddit ad omne opus bonum. Quic-
quid igitur omnino à uobis fieri potest bonorum operum, hominibus oportet
fieri, non deo, qui nostrorum non indiget, nec beatis mentibus, nec defunctis
aut manibus, de quibus domini præceptum nullum habemus: necessaria au-
tem esse eiusmodi opera, qualia nobis quoq; fieri uolumus, ad præsentē uitam
pertinentia, ut docere, monere, consulere, pascere, uestire, & hoc genus alia.
Hominis siquidem sancti consummatio sita est in dilectione, ut similis sit patri
cœlesti &c. Quicquid de fidendo deo scripturæ docent, in hoc docent, ut nos
per fidem nostri cura exutos, & persuasos nihil unquā boni nobis defuturum,
quam à deo sumus consecuti per gratiam. Quæcunq; igitur à nobis fiunt, non
habentia momentum aliquod aut rationem, ut inde proximus aliquā commo-
ditatem sentiat, ea nec bona sunt, nec deo placent.

Amor sui et
proximi.

Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa uia est que
ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angus-

Luce 13.e

sta porta & arcta uia est quæ ducit ad uitam : & pauci sunt qui inueniunt eam.

Angusta nimium est huius iam prædictæ regulæ generalis obseruantia uia, à qua abhorret nimis carnis cupiditas, quæ incitat ad sibi ipsi prospiciendū de commodis, quomodocumq; proximus uiuat aut proficiat. Amor sui recta contrariatur huic regulæ, & est fundamentum omnium filiorum huius sæculi: dicitur is in primis prospiciendum sibi, ut bene habeat, ut nihil desit cupidini. Et hæc est lata uia, quam homines ambulant in hoc mundo, quam multi inueniunt, quam caro ostēdit & eligit, urgetq; migrandum, quomodocumq; id deo uel placeat uel displiceat. Commodum autem arctæ portæ & strictæ uia comparat Christus uitam perfectæ dilectioni expositam, proq; proximorum commodo per omnia promouēdo. Nam exigit ea omnimodam abnegationem nostri, & fiduciam solidam in prouidentiam dei circa nos, ut non iam quid nobis prosit, sed quod proximo cupiamus, & charitate nostra alliciamus etiam improbos ad uirtutem, qui si acquiescere detrectent, nos tamen in nostro sancto proposito ut conuenit duremus. Hoc uero quàm sit rarum apud homines, carnis experientia comprobatur, ut merito dicatur hoc studium sanctum, uia arcta, quã paucissimi ingrediantur, quæ tamen ducit ad salutem. Vnde & nobis contendendū, ut illã aggrediamur, hoc est ut contra huiusmodi priuatū amorem & carnis cupiditates irrationabiles fortiter pugnemus, & ad synceram charitatem continuo enitamur, oremus ut conatum deus suppeditet & uires. Quod si quis obijciat illud Christi domini, Iugum meum suauē est, & onus meum leue: & illud Ioannis, Mandata eius grauiā non sunt, nihil pugnat, quando perse nihil inuenitur suauius quàm uelle semper alteri facere quod quis sibi optet fieri, lex scilicet charitatis, summaq; legis ac prophetarum. Quid enim magis ad pacem conscientiaē conducit, ad mentis tranquillitatem ueram, quàm hac lege seruata, unde pax et gaudiū semper uigeat in spiritu sancto: dum se homo pius dei prouidentiaē commendat, & tutus est de eius gratia, quemadmodum nulli hominum male precatur, uel data opera grauamini est. At carni & sanguini nimium deferentes, hanc uiam experiuntur difficillimā, molestissimā, imò impossibilem, quam non nisi pauci electi incedunt: multi autem quæ carnis sunt sectantur, & latam uiam arripit, qua & perducuntur tandem in precipitium baratri, & in uitam miserissimā, etiam in hoc mundo. Quanquam & fidelium multi, & pars maxima eam ambulant, sed in tempore per dei gratiam retrahuntur, & sententiam mutant, quibus est & perpetuum bellum cum concupiscentijs, quæ nunquam non spiritui sanctorum faceffunt negotium: qui tamen hic pauci dicuntur, comparatione eorum, qui semel arreptam uiam carnis prosequuntur, ut perueniant ad perniciem & perditionem.

C Attendite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos.

Prædictæ regulæ & summæ legis ac prophetarum commode & hoc subnectitur. Vt namq; in ea æterna uita & salus sita est, & regnum dei, si sic uiuatur, continuo subsequatur: ita omnia cōtra satanas pertentat, subornatq; quoscūq; potest pseudopphetas, qui scilicet salutaria se docturos polliceantur, in eorū & prophetæ personam, & ouillā uestem præ se ferant, uerum aliud non agant, quàm ut ab ista arcta porta strictaq; uia ad uitam ducēte abducant. Quos cum contra

contra regnum Christi, fidei & uirtutis, ad stabiliendam suam tyrannidem ille emittere soleat, uerisimile tamen est mittere eum & crebriores & nocentiores tunc, quando potentius uiget doctrina uitæ. Omnium autem pseudoprophetarum, imò satanæ magistri ipsorum, doctrina & scopus est, ut à fiducia in dei bonitatē, & à charitate in proximos animos hominum abducat, ab his nempe quæ utilia proximo sciuntur, & deo grata, atq; conformia legi dei, detorqueant ad inutilia commenta traditionum humanarum, resipientium luxum, quæstum, & fastum, qui sanè fructus sunt omnium doctrinarum, quæ non fundantur in lege et prophetis, nec referunt fidem sinceram in deum, & charitatem in proximum. Resipiunt enim traditiones humanæ mendacium, uanitates, & proprium commodum, ut satis constat ex lapsu ecclesiastico in uera fide, quæ nititur legi & prophetis, et in charitate, quam unice Christus commendauit ecclesiæ, & docuit esse legis & prophetarum obseruantiam summariam. Illorum hodie confusiones ex dei uerbo increbrescunt, facillantq; omnia eorū dogmata, quæ huic fidei & uerbo dei non inueniuntur probata, ut sunt missarum officia, aræ, statuae, lucernæ, cantus, organa, diuina, uota, monasteria, orationum mercedes, coelibatus, purgatoria, anniuersaria, quæ omnia mendacia sunt, quia ex certa in deum fiducia secundum uerbum dei, & ad charitatis Christianæ profectum non profecerunt. Huiusmodi qui docent, defendunt, & uindicant, pseudoprophetae, cæci, & duces cæcorum. Quæ tamen stultis persuadentur, tanquam primi meriti opera apud deum: produntur tamen ex uerbo dei probe inspecto qualia sint, & ut deo placeant, & ex ipsorum abominandis & infelicitibus fructibus, quibus hodie ecclesiam plangimus iam olim impletam & foedatam & reformatione egentem.

Traditiones huiusmodi.

Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neq; arbor mala bonos fructus facere. Lucæ 6. f. 8

Qui doctrinam Christi diligenter perpenderit, et simpliciter uerbum domini fuerit intuitus, illam demum doctrinam Christiano dignam deprehendet, qua scilicet fides in Christum auctior & solidior, & dilectio erga proximos officiosior redditur, cui pseudoprophetarum imposturæ facile patebunt ea: lupi enim quoq; rapacitatem ouillis uestibus rectorum, tam à doctrinæ quam uitæ fructibus facile internoscet. Veruntamen qui pereunt, & reprobi ueritatem repudiant, qui quæ sui sunt tantum uel honoris uel commodi quærunt, obnoxij fiunt planè illis impostoribus. Sicut autem arbor à fructu suo, ita pseudopropheta à uerbis & doctrina sua, si quis animaduertat, cognoscetur. Ut namq; arbor mala, non potest fructus bonos facere: nemo enim è rubo uuas colligit, quemadmodum etiam bona arbor non fert fructus malos: sic malus & impius homo ex impietate cordis sui, bona & salubria loqui non poterit: bonus quoq; & pius ex cordis sui pietate praua & impia nequaquam docebit. Ea propter pseudopropheta praua docens tandem deprehendetur. Vt cunq; enim dissimulet, ex abundantia cordis demum loquitur, & impietatem suam prodet, ut qui uolet ab illo sibi facile caueat. Qui igitur fucate boni sunt, dent operam, ut omissis fucis fiant candide boni. Potest enim inter homines ex arbore mala fieri bona: id uero testetur ex fidei fructibus sanctis, qui sunt sancta opera, pascere esurientes, potare sitientes, docere errantes, consolari tristes, erigere conscientias,

& charitatem præstare factis & doctrina, quod est angustam incedere uiam, Cæterum, qui eos qui per latam incedunt uiam maneat finis, ipsis et omnibus, Christus consequenter loquitur:

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Si quis perseverauerit in peruersa simulatione, ut proferat fructus malos, auaritiam, arrogantiam, liuorem, ulciscendi libidinem, fucum, aliæque id genus, quæ uelut ex diametro pugnant cum fructibus Euangelicæ doctrinæ & mentis, is à uindice deo patietur, quod arbor infrugifera patitur ab agricola suo, exciditur enim & in ignem conijcitur. Si quis in regno dei aut nullum affert fructum, aut fructum ædit indignum sua professione, nisi resipuerit, in ignem æternum abijcietur. Hoc igitur iudicio dignoscetis eos, nimirum ex fructibus, quos si malos in eis deprehenderitis, submouebitis à cura gregis, nec recipietis in regnum cælorum, nec pro Christianis habebitis, sed pro hostibus, non ut illos lædatis, sed ut caueatis ne gregi admixti noceant. Non enim hos uel illos protinus iudicare debemus aut condemnare, tametsi manifesta illorum uideamus opera, quin potius initio commiserescendū, precandumque, ut deus ipsos misericorditer respiciat, conuertat ad ueram pietatem & resipiscentiam, à laqueis diaboli, ut fiant denuo uasa honoris & sanctificationis.

Non omnis qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

Pergit declarare inanem hypocrisim fidemque simulatam, quàm nullius sit momenti apud deum, quo simul & ad studium pietatis & ad fidei sedulum exercitium prouocat. Quasi dicat, Non poterint latere pseudoprophetae, proditi malis suis fructibus quos proferunt, & excidendi iusto iudicio tandem, & mittendi in ignem. Idem usu ueniet omnibus, quotquot sine bonorum operum fructibus è meo grege esse sese iactauerint, eoque hypocritæ, & malæ arbores fuerint. Vt enim arbor bona bonis fructibus carere non potest: ita qui pius animo uere crediderit, bonorum operum fructibus non destituetur. Si uero abesse uideantur, satis liquet & fidem non adesse, neque Christo credere, aut inter Christi discipulos non uere numerari, fucum esse & hypocrisim, quæ bene agere uideri uolunt. De his dicitur: Non omnis qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum cælorum, hoc est è numero non erit meorum discipulorum, mihique credentium. Confitebuntur enim me hypocritæ ore tantum, corde uero negabunt. Sed qui fecerit uoluntatem patris mei cælestis ex animo, is particeps regni mei erit. Facere autem uoluntatem dei per omnia, ut non peccet, homo etiam Christianus non potest: exercere tamen se potest ad domini uoluntatem, & magno studio incumbere, etiamsi perficere omnia nequeat. Id ipsum qui agit pius est & fidelis, & ad mortem peccare non potest, quia ex animo iniquitati deditus esse non potest, ut solent impij, sed legi dei mente condelectatur, quia semen dei uerbum dei, & spiritus filiorum dei apud illum manet, & est ex deo natus: pleraque tamen committit existens in carne, in qua nihil boni, & quæ mala odit operatur, cum cupiat respondere imagini Christi secundum interiorem hominem, unde & non dubitat Christi merito omnia sibi condonanda quæ odit ex animo, ut nihil damnationis ei incidat manenti in Christo, cui deus peccata

Facere uoluntatem dei.

us peccata non imputat. Qui igitur uoluntatem domini non fecerit, hoc est faciendę non ex animo studuerit, is nec patrem neq; Christum nouit, etiamsi Domine domine acclamet: fucus est non synceritas, quando nemo dominum uocare potest, nisi in spiritu sancto.

Multi dicent mihi in illa die, Domine domine, nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Et tunc cõfitebor illis, Quia nunquam noui uos: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.

In illa die quando uenerit in maiestate sua, & separauerit homines ab inuicem, sicut pastor gregem suum, quando iam nemo audebit garrula sua uoce obstrepere ueritati, quando non uana gloria, sed iudicij flamma locum inuenit, quando os non loquitur, opus non absconditur, ut nunc fit, conscientia autem discutitur, & persona cõfunditur, ubi deerunt testes adulatōres homines, sed angeli ueraces, non acceptores personarum, sed & iudex iustus: tunc magna hypocritarum turba apparebit, tunc multi uocabuntur, pauci comparatione electi uidebuntur. Non semel sufficit dixisse, Domine, eum quem necessitas timoris adstringit. In nomine Christi prophetare, est in uirtute & nomine Christi differere, et ex spiritus Christi peculiari afflatu de mysterijs dei loqui ad profectum pietatis in auditoribus. Sic enim liquet in initio ecclesie docuisse quosdam hypocritas mysteria regni dei, eiecisse dæmonia, aliasq; uirtutes persequisse. Inter quos certe Iudas erat, Demas quoq; & pleriq; alij, qui solida fide uacui, spiritu domini non sunt donati. Vnde & hic dicitur, In nomine tuo prophetauimus, non in spiritu: multi enim ambulant in nomine Christi sine Christi spiritu, seducendi causa, qui in nomine Christi prophetant, in spiritu autem diaboli, quales sunt diuinatores. Sed discernuntur, quia diabolus quidem interdum uerum dicit, spiritus sanctus nunquam mentitur. Dæmonia quoq; eijcenda magis uidentur, quàm ut uere eijciant pseudodiscipuli, colludentibus sibi quasi castigati clamant, nunquã tamen quasi timentes recedunt. Faciunt quoque miracula non utilia & necessaria, sed uacua & curiosa. In omnibus ergo his secundum Christi præceptum, discutiendi sunt fructus eorum, non nuda consideranda miracula, quæ ut necessaria fuerunt in initio legis data, & euangelij prædicati, quatenus celebre redderetur & admirabile uerbum dei, & doctrina uere pietatis in mundo, postea tamen ubi spiritus sancti gratia et illustratio corda peruasit & persuasit, dominus non ab re miracula in suis quoq; ratio operari cœpit, quæ etiam à Christo alieni operari sinuntur, dæmonum uirtute permissa. Ne quis pro quacuncq; tandem eximia dote sibi placeat, uno spiritus testimonio contentus sit, & à sola dei gratia in omnibus pendeat. Tum si quos alios prophetiæ spiritu præstare dominus dederit, nequaquam tamen citra iudicium quæ docentur cuncta amplectenda credantur, quasi omnia quæ dixerint oracula sint, nec labi possint, qui & in totum à Christo possunt alieni fieri. Deo soli debetur hæc gloria, ut ueritatem in omnibus loquatur, nulli id hominum concessit, nec concedet. Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui uos. Vnde docemur, eos qui à Christo possunt excidere, Christi nunquã fuisse, nunquam uere credidisse, aut fuisse pios, nunquam nactos spiritum filiorum dei, sed omnia fuisse solam hypocrisim, quantumlibet sanctos & præstabi

Lucæ 13. e. f

Miracula nuda
non consyde-
randa.

les ad tempus se fingant: quos enim Christus diligit suos, in finem diligit, & quos pater illi dat, neque ipse abijcit, neque rapere de manu eius quisquam potest. Ideo etiam si cadant huiusmodi, nunquam tamen excidunt: electi sunt enim ad uitam. Hanc tandem sententiam horrendam audient hypocritae, Discedite à me uos iniqui & prauis, qui boni nihil quantumlibet simulaueritis unquam egistis, aut agere uoluistis, pueri cum sitis. Quales tandem audituri sunt, Discedite à me qui operamini iniquitatē, qui in uis domini minime ambulastis, maledicti tandem ite in ignem aeternum, qui charitatis opera non egistis, qui proximis non fecistis quod uobis fieri uoluistis: hoc est enim operari iniquitatem. Vbi namque fide & charitate cor destituitur, nihil rectum & sanum iudicatur uel contingit.

Luce 8.2
Roma. 2.6
Iacobi 1.4

Omnis ergo qui audit uerba haec, & facit ea, assimilabitur uiro sapienti, qui aedificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.

Superioris sententiae expositio est contra hypocrisim. Cum, inquit, ueri discipuli Christi, qui non audiunt tantum uerbum dei, sed etiam faciunt ac implent quae iussit, pro fide qua praediti sunt, non commouebuntur in aeternum, sed audient, Venite benedicti patris mei &c. Ideo similes sunt prudenti uiro, qui domum suam super petram fundat, quam nulla queat uis tempestatis deiecere. Spes namque horum & fiducia ipso Christo per spiritum filiorum solide nixa contra eam quicquam potest, quantumlibet tempestatem excitet, et flumina uentosque tentationum immittat: fortior siquidem est, qui in ipsis agit, quam qui dominantur in mundo. Qui enim confidunt in domino, non nutabunt, sed in aeternum sedebunt sicut mons Sion. Exponit Chrysostomus in opere imperfecto: Christus, inquit, sapiens uir est, qui aedificauit domum suam, id est ecclesiam supra petram, id est fortitudinem fidei. Nam & fortitudo fidei petra dicitur, propter quam Simon Petrus dicitur est, ad quem dicit Christus: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam &c. Vbi nota, quomodo patres exposuerint hunc locum de petra ecclesiae in Petro, quanquam non omnes similiter.

Et omnis qui audit uerba mea haec, & non facit ea, similis erit uiro stulto, qui aedificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.

Monere Christus uoluit hac parabola, per contrarium dicta, eos qui oris tantum confessione Christo domino nomen dederint, ut audiant quidem Christi sermones, sed absque solida fide cordis, qua faciendis simul suis sermonibus ex animo studeant, stulte & insane agere, quod haec ipsorum hypocrisis & uana religio tandem ingenti ipsorum malo detegenda sit & euanitura. Sicut nimium imprudenter agit qui domum super arenam extruat, quae simul atque uel paululum ui aquae & uentorum pulsatur, corruiat tota, magnaque sui ruina damnatum dat ingens. Ita hypocritarum fiducia, uanis & nihili rebus innixa, subito tandem subuertitur, si non in hac uita, saltem tunc, quando dicitur, Discedite operarii iniquitatis &c. Aliter Chrysostomus: Aduersus domum quam satan stultus aedi-

tus ædificauit sibi super arenam, id est aduersus gentiles & impios, qui sunt diaboli domus. Descendit pluuia, id est ueritatis doctrina. Per propheticas & apostolicas nubes descenderunt uenti, id est gratiæ spirituales, aut angeli, qui inuicibiliter operantes, homines ad fidem ueritatis inclinant. Venerunt flumina, id est quatuor Euangelistæ aut cæteri sapientes, & impegerunt in domum illam, & sic cecidit domus diaboli spiritualibus instrumentis, & erecta est domus Christi. Et facta est, inquit, ruina magna, uidelicet idolis in toto mundo destructis, mendacijs in terra conuictis, erroribus solutis, quia totus mundus diabolo cecidit, Christo autem surrexit. Sic ergo domum quam stultus ædificauerat super arenam, sapiens rex spiritualibus armis sanctorum suorum destruxit. Domum autem quam sapiens Christus ædificauit supra petram, stultus diabolus fallacibus argumentis ministrorum suorum nunquam poterit dissipare. Huius quoque sapienti Christo similis est omnis Christianus, qui ædificat se super petram, id est Christum: qui enim audit uerba Christi, & facit ea, ipse est qui ædificat se super petram Christum. Christus enim charitas est, sicut & omne bonum, super quo se fidelis ædificat. Sicut ergo Christi ecclesiam ædificatam supra petram Christum nulla aduersitas diruere potest: sic nec Christianum super Christum ædificatum, ut dicat cum Paulo, Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia &c.

Et factum est cum consummasset Iesus uerba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ eorum & pharisæi. Marc. 1. e
Luce 4. e

Quicquid digne laudare non possumus admiramur. Pertinebat autem hæc admiratio magis ad Christi gloriam, quam ad illorum fidem: audiebant sermones irreprehensibiles, non omnino perfecte in Christum credebant: audiebant cum silentio et grauitate, & admirantes proficiebant in uerbis ipsius. Quæ admiratio & si non est ex fide, tamen inuitatio est ad fidem. Nam qui admiratur de uerbis doctrinæ, quamuis nondum credat, tamen iam in ipso limine creditatis consistit ut credat. Turbæ erant quæ mirabantur, id est populus uulgaris. Non erant illic pharisæi, aut principes populi, aut sacerdotes, qui solent non discendi studio audire, sed contradicendi: non ut aliquid salutis acquirant, sed ut aliquid calumniæ inueniant. Et ideo simpliciter audiebat populus simplex, si pharisæorum aliqui adfuissent, sine dubio grauitatem populi & quietam attentionem contradictionibus conturbassent: apud quos quia maior erat scientia, ideo maior quoque aderat malitia. Adaugebat autem admirationem doctrinæ uirtus miraculorum, et potestas qua uerbo poterat omnia, et morbos curare, et dæmones expellere, quod omnes iam nouerant. Scribæ autem nullam diuinorum operum potestatem habebant. Ad hæc sentiebant ex uerbis Christi energiam, & spiritus impulsam ampliolem & affectum ad pietatem ueram, quam dum scribas audiebant, de rebus ut plurimum friuolis docentes, adferentes suas & maiorum constitutiunculas, quæstum respicientes & fastum, etiam de lauandis manibus, de lauando corpore, si quis à foro domum redisset, de decimis persoluendis, de sacrificijs ex prouentu etiam rutæ & mentæ. Vnde & uigor quidam doctrinæ perfectæ & genuina quædam ueritatis uis afflabat docilem & simplicem multitudinem, nihil expertam simile in suis pharisæis & scribis. Sic & mirificam experiuntur potestatem docendi quotquot spiritu dei polent, si fuerint ad docendum delegati à spiritu. Sed et auctoritatem assequuntur, Docendi potestas.

qua Christi gloriam adserant, omnem impietatem demoliantur, ut interim non uituperetur ministerium ipsorum, nec contemptui habeantur, quod certe & Christi gloriam obscurat, & offendit pusillos. Quemadmodum igitur praedicatori curae esse debet, ut dei uerbum plurimi fiat: ita danda ei simul est opera, ut ipse quoque non despiciatur, non sua causa, sed ut suum pondus habeat dei mandata, quae praefert. Estque ea authoritas non aliunde comparanda, quam a uita innocentia, fidei uiuacitate, uirtute spiritus, morum grauitate digna, studioque flagranti gloriae dei. Talesque a iuuentute nutriendi, ut in tempore eligi possint iam a sueti ad pietatis zelum, uerbo & opere instructi, & clariores uulgo redditi, ne quid scandali detur Ecclesiasticis. Magis autem orationibus a domino impetrandi, ut mittantur in messem idonei ministri a spiritu impulsii & ornatii.

CAPVT VIII.

Marei 1. d
Luce 5. c

AVM autem descendisset de monte, secutae sunt eum turbae multae: & ecce leprosus ueniens, adorabat eum, dicens: Domine, si uis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius.

In monte quoque audierat Christum cum discipulis populorum non modica turba, quae & audientes nouum hoc docendi genus consummatum, admiratae sunt, quae & nunc sequuntur dominum descendentem. Iam uero multo maior populorum confluxus contigit, & maxima pars montem non ascendit, sed iussa fuerat praestolari dominum descensurum. Notanda autem hic uis uerbi dei, cum authoritate digneque praedicati, quod post dominum tot turbas traxit, inter quas et si multi fuerint petrosa ac senticosa terra, inepti ad fructum proferendum, non tamen defuerunt plurimi, qui bonae terrae similes, uerbum optimo corde receperint, fructumque suo tempore attulerint copiosum. Cum igitur sublimia locutus fuisset in monte Iesus, qui spiritus alacritate poterant cum discipulis ascendere in montem, rursus demittit se Christus ad humilitatem promiscuae turbae, quae multos habebat segnes, debiles, claudos, & agrotos, qui corporalibus etiam beneficijs allucendi erant ad studium rerum coelestium. Atque in his sanandis hoc ipsum agebatur per imaginem, quod per doctrinam agebat sanandis animi morbis. Vtraque res alteri conciliabat fidem atque authoritatem: libentius enim illi credimus, quem amamus, & beneficijs conciliatur amor. De miraculorum tempore & loco, & sanctorum Christi ordine, nos Euangelistas imitati ne simus nimis solliciti, ipsa potius qualia fuerint, qualemque Christum praedicent expendamus: nemini enim obscurum est, illos narrando factorum ordinem nequaquam obseruasse. Verum hic Christus post praedicationem uerbi, ad miracula perficienda se recipit, quo maiorem uerbis fidem arrogaret. In signe autem exemplum fidei, & rite precandi hic nobis leprosus exhibet: primum enim Christi uirtutem audiuit, & uere credidit, nihil dubitans posse illum se sanare, tunc fore etiam ut uelit. Quia enim orauit, nequaquam haesitasse se declarauit. Quod uero cum magno ardore & animo supplici in faciem procidens adorat, ostendit se probe agnoscere, non esse sui meriti, sed solius gratiae domini ut sanetur. Sic docet orare spiritus humiliter & confidenter. Irrisio dei est, si quid illum ores quod exoraturum te non certo confidas, quapropter Christus docuit diserte quid orare debeamus. Nemo absolute orare debet, nisi certus sit ea impetrata ad gloriam dei factura: quod ubi sic se habeat, nemo docere potest nisi

nisi spiritus. Quare in omni precatione pro rebus externis pius addet, Verum tamē non mea sed tua pater uoluntas fiat. Quicquid enim uere Christiani orauerint, quatuor hæc habebunt; Primum, spiritu ad orandum impellētur; proximum, per hunc certi erunt id quod oraturi sunt interesse gloriæ dei; tertium, per eundem spiritum persuasi non dubitabunt se exoratuos quod orauerint; quartum, impulsī eodem spiritu ex propensione suæ humilitatis & diuinæ maiestatis, precabuntur & supplicissime & obnixissime, quamlibet certi sint deum ultro daturum quod precantur, ac nequaquam id precaturi, nisi dare id deo crederent per quā gratissimum. Notandū quoq̄, quā paucis uerbis leprosus orauerit, sed multo affectu & humili, multa fiducia & fide bonitatis & uirtutis diuinæ in Christo. Quod uero protensa manu leprosum dominus tetigit immundum secundum legem, ad cuius contactum non minus sanē contaminabat homo quā si contigisset sanie fluentem, docuit charitatem pluris sibi esse, quā ritus illos externos, quin externa illa omnia charitatis imperio subesse, uti & de sabbato, cuius obseruatio sanctissime erat præcepta. Alias factum & uerbo docuit propter hominem omnia huiusmodi esse instituta, non hominem propter illa. Tangere autem immundum nulla sancta causa, cumq̄ inuitia eorum cum quibus agit, & publicam puritatis obseruantiam negligere, homo pius non faciet, nec Christus docuit. Summa autem sanctitas & puritas est dei perfectionē sectari pro uiribus, dilectione miseros prosequi, misereri egenis, succurrere orantibus. Ad hoc enim ut proximo inseruiamus omnia atemperanda sunt, quod finis legis dilectio sit, Christus omnium mundissimus immundum leprosum etiā contra legem, ut uidebatur, tangit, dum tangendo potest iuuare. Ita nemo poterit ea sanctitate pollere, ut non profanissimo cuiq̄ inseruire nihilominus debeat, si sua ille opera indigeat. Tactu autē nunc Carnis Christi contactus.

sanat, non tantum uerbo, quo carnis suæ pretium & utilitatem declarat, cuius solius immolatione salus omnibus reparata est, ut nemo nisi manducata carne & hausto sanguine ipsius, eo modo quo anima edere & bibere potest, uult, operam æternam: utq̄ carnis præsentiam corporalem non necessariam credere mus, sed uerbo & spiritu suo uirtuteq̄ omnia posse, potestate sibi tradita à patre. Fide igitur carnem Christi non tantum contingimus, sed et manducamus, dum fide pacitur anima & conscientia nostra, fide, inquam, Christi pro nobis oblati, & sacrificati, & à patre propiciatio assumpti pro mundi peccatis, non fide corporaliter præsentis, & corporaliter comesti, multo minus localiter & circumscriptiue præsentis, quod nemo unquam doctorum uel piorum sensit aut scripsit. Sacramenta quidē corporis & sanguinis Christi corporaliter edimus & bibimus, ipsum autē pro nobis traditum corpus & effusum sanguinem credendo, gratias agendo, amando & deuote appetiando sacramentaliter & in fidei contemplatione perfecte, realiter, & uere percipimus, quod iuxta corporis substantiam clarificatum sedet in dextra patris, uerum corpus de uirgine sumptum, & secundum illud uera creatura, quæ ubiq̄ præsentialiter adesse non potest, quod proprium est solius diuinitatis, quæ non est Christi corpus, sed unitum sibi habet corpus in unitatē personæ; ne naturarum confusionem credamus, quæ in Christo unitæ sunt, saluis utriusq̄ proprietatibus, ut uirtute diuina leprosus mundarit, corporis humilitate lepram tangere & crucifigi pro peccatoribus dignatus sit. Volo, ait Christus, Mundare: & lepra cōfestim mundata est. Non tam quia tacta est lepra, mundata est, quā quia iussa mundari.

Quamquam & sermo quoque necessarius non erat, sed sola suffecisset omnipotens Christi uoluntas. Sed uoluntas fuit propter leprosum, uerbum propter audientes, tactus propter spectantes. Nam si tacite eum curasset, tot Christo astantibus, quis scire poterat cuius esset uirtute operaque sanatus?

Et ait illi Iesus, Vide nemini dixeris, sed uade, ostende te sacerdoti, & offer munus tuum quod praecepit Moses in testimonium illis.

Leuitici 14.4

Quo maior esset fides miraculo, simulque eriperetur anfa sacerdotibus calumniandi, quod sibi Christus uindicaret auctoritatem iudicandi de lepra, & ad se trahere cuperet lucrum, quod ex mūdatis à lepra solebat ad ipsos redire, dicit illi dominus Iesus: Vide interim, ne cui te praedices esse purum à lepra. Neque enim tuum est iudicare de teipso, nec ego mihi sumo quod est sacerdotum. Prius igitur adito sacerdotem, illicque temet ostende, & si te pronunciauerit esse mundum, qui antea pronunciauerat esse leprosum, tum offeres munus quod Moses iussit offerri ab his, quibus contigisset à lepra mundari, ne post & te calumnientur, qui te turbæ admiscueris, & me qui non potuerim ueram praestare sanitatem. Munus enim ab illis acceptum, uelut à puro, redarguet illos, si post ceperint odio mei calumniari, quod factum est. Etenim, si leprosus antea non solenne munus uelut à purgato. Voluit autem Iesus testem esse populum, quantum leproso profuisset sua fides, quamquam nullo negotio uerbo morbum omnem sustulisset, ut eadem fide audirent doctrinam ipsius, qua sanarentur à morbis animorum. Iampridem explosi sunt, qui hoc Christi dicto fundare conati sunt secretariam confessionem suam, quasi uero iidem essent nostri presbyteri, qui legis sacerdotes, & sacerdoti se ostendere sit confiteri singula peccata, & lepra significare peccatum. Missis ergo illis crasse & malitiose ad suum quaestum promouendum erratibus, simpliciter ut textus habet, literam accipiamus, ut sonat. De leprosis autem & leprae emundatione iudicio sacerdotum, habes Leuitici decimoquarto.

Luca 7.4

Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego ueniam, & curabo eum.

Regnum dei
transferendum.

Iam sanatus fuisse Iudaeus describitur, fide mediocri praeditus; mox beneficium ethnico exhibitum sequitur, dilectione & fide multo praestantiori. Dilectio & eximia humanitas eius in eo notatur, quod seruulum adeo charum habuit, cuius malo fuit tantopere motus. Omnino enim qui dei sunt, ut dominum se habere in caelis agnoscunt, ita summa aequitate & humanitate seruos suos pertractant. Submissio quoque insignis animi, qua sese indignum ducit, qui uel ipse dominum appellaret, uel ad se uenire sustineret. Fides quoque incomparabilis in eo apparuit, qui non dubitauit uerbo potuisse dominum suo seruulo sanitatem, quamlibet uicino morti, imò iam animam agentis, restituere; habentem scilicet in imperio suo morbos et sanitatem, uitam et mortem, longe plus parentiam quam ipse suos milites uel seruos. His sane adumbratum fuit regnum dei, Iudaeis primum ex promissione offerendum, suosque ex illis licet paucissimos ciues habiturum, sed mox multo cumulatiorum cum fructu transferendum ad gentes. Habent autem hic in Centurione domini quod imitetur propter misericordiam, sic habent & serui quod imitetur in puero propter sinceritatem; nec enim possibile erat ut sine pretio bonorum morum talem sibi dilectionem sui domini comperisset.

parasset, Domini ergo seruis amorē debent propter communē naturam: serui autē dñis suis timorē & fidem propter ordinationem diuinā. Et in seruis Christus amatur à dominis, et in dominis Christus timetur à seruis. Et male torqueri, quem sic diligebat: quanquam satis doleret, qui proximus morti iuxta naturam erat. Non dixit Centurio, Veni & salua eum, sciens solo iussu & uerbo etiam absentem & sine tactu posse sanare, sed infirmitatem tantum exposuit, remedium sanitatis dispensationi bonitatis Christi commisit. Christus ergo plura promittit quàm fuerat à Centurione rogatus: promittit se iturum, ut fidem excitaret adhuc amplius, & fidei confessionem æderet clariorem, ad Iudæorum exemplum. Deniq; petitio Centurionis erat pro seruo, ideo ire proposita, ut nos doceret non sic magnos colere, & modicos contemnere, sed pauperes & diuites pariter honorandos, & deo esse curam de omnibus. Alibi Christus Regulo dicit: Vade filius tuus uiuit: hic non rogatus ire promittit, ne forte uel personam Reguli uideatur accipere, uel hic humilitatem serui contemneret. Quis ergo à domino Christo non omnia speret? quis in ipsum credens hanc pariter benignitatem & humilitatem non cupiat emulari?

Et respondens Centurio ait, Domine, nō sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic uerbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, uade, & uadit: & alio, ueni, & uenit: & seruo meo, fac hoc, & facit.

Domine, inquit, Iudæus non sum, Centurio sum, duplici nomine Iudæis abominandus, tum quod incircumcisus, tum quod militię præfectus, quod uitæ genus infame sit uulgo, & ob id indignus cuius tu tectū subeas, meoq; contubernio contamineris. Nihil opus est corporis tui præsentia, tantum uerbo iube, & quæ tua potestas est, protinus sanabitur famulus meus. Ego siquidem potestate nihil tibi conferēdus, ut qui adhuc alterius sim potestati subiectus, cum tu in manu habeas omnia, uerbo apud meos subditos cuncta efficio, milites iussu mea capeffunt, imperata seruus facere non detrectat: quanto plus tu uerbo quodcunq; uolueris præstabis in rebus omnibus, morbos abigens, sanitatem restituens, arcēs mortem, uitam conseruans. Hinc simul aduertendum quàm omnia sint uocantis dei, & nihil operantis hominis sine dei gratia, omnia domini miserentis, & spiritu suo benigne edocentis, ac nihil solius hominis currentis aut uolentis. Quis non plurimum dei bonitatem miretur, si perpēdat quàm parum hic Centurio homo ethnicus, & ob militiam reliquis hominibus adhuc profanior, de Iesu audierit & quàm multa crediderit. Humiliet ergo sese diuinæ maiestati omnis caro, quam nisi ipse sua bonitate ad uitam reuocet, perire necesse est: cuius gratuitum donum est, quicquid uspiam boni fuerit.

Audiēs autem hæc Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit: Amen B dico uobis, non inueni tantam fidem in Israel.

Admiratio hæc hominis Christi fuit, secundum quod & ipse sub patre homo, cum patre coæqualis, quia uerbum dei, in quo condita sunt omnia. Stupere uidetur Christus ad tam præclarum diuinæ bonitatis miraculum, quo homini ethnico & militi tantum fidei donatū fuerat, ut in omni populo Israël tantumdem nequaquam repererit. Antea in sola ferè Iudæa deus notus, nunc ho-

Fidei commen-
datio.

mini per omnia prophano deus amplius cognoscitur, quam semel Iudæis fere uniuerfis. Res sanè noua & insolens, digna quæ admiratione summa, quam ut simul quoque mirarentur turbæ sequentes & imitari cuperent, testatus illis fuit: Amen dico uobis, ne in Israël quidem tantum fidei reperi. Ita facit dominus ex nouissimis primos, & ex primis ultimos. Quasi Iudæis dicere uolens: Vos uobis placetis, quod sitis filij patriarcharum, cum uestrum nullus fidem illorum præstet, & uirtutum opera. Fides autem tantopere hic commendata à Christo, ex uerbis Centurionis discitur, qui credidit, & animo secum firmiter persuasus fuit, quod unctus domini esset Christus, orbis saluator, qui uitæ ac mortis omniumque plenam potestatem haberet, uel uerbo potens efficere quiduis. Hoc Euangelium animo persuasit spiritus sanctus, ut dominum tantopere reuereretur, indignum sese ducens, qui in conspectum illius ueniret, uel ipsum in domum suam susciperet. Sic & Abrahamum spiritus dei id quod sibi promissum contra naturæ uires audierat uerba dei esse, eoque indubitata ueritatis menti illius prorsus persuaserat. Hæc autem summa nostra uirtus & perfectio est, cum datur nobis bene sentire de deo, persuasus ipsum nobis propitium esse, & fauere. Hoc uero fides est, nempe constans firmaque animi per spiritum sanctum dei bonitate atque promissis persuasio, qua ut uerbis eius certam fidem habet, ita & de eius erga se bonitate omnia sibi indubitato pollicetur, demerendo quoslibet, quibus tam gratificari quam referre impensissime studet. Eadem est sententia Pauli ad Hebræos 11. Meritum ergo quo saluamur omne Christi est: eius enim redemptio est, ad Roma. 3. ipse reconciliator, eius sanguis necesse fuit ut interueniret. A nobis nihil nisi peccatum est, quo omnes gloria dei uera scilicet pietate caremus, & per solam dei gratiam iustificamur, sed per fidem, dum deus sua gratia ac Christi merito donat nobis hæc de sua erga nos bonitate persuasionem, & indubitam fiduciam de remissis peccatis, donataque iustitia solida ac uera, quam sequitur uita æterna. Qui enim sic credit in Christum, hæc fide iustus & beatus existit, quæ fides est ante omnia opera, sine qua nec homo operans, neque opera sancta deo probari possunt. Hi autem iusti & beati dum peccant, non ex fide peccant, sed pro carnis iudicio agunt, idque malum quod faciunt odiunt, quam primum resiliunt, recte de domini bonitate persuasi, ueniam deum orant, & exorant, statimque desinit illis peccatum esse quod peccauerant. Hæc autem fides ex se gignit statim amorem summum ac reuerentiam, studiumque omnium quæ deo probari nouit, odiumque eorum quæ detestatur, ut sit fides per dilectionem operans, opera uere bona, ad dei gloriam & proximi charitatem, quod est legis uniuersæ impletio. Sine dilectione uera hæc uera fides esse nequaquam potest. Hæc omnia clarius, sed prolixius in Martino B.

Dico autem uobis quod multi ab Oriente & Occidente uenient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eiciuntur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.

Declarat Christus hoc tantæ fidei miraculum in ethnico præfagium esse regni dei ad gentes mox transferendi, atque illarum religionis & fidei ueluti speciem quoddam præmittit. Ad hoc siquidem Christus, qui est hodie heri & in sæcula, semel tandem in carnem uenit, ut morte sua pro peccatis electorum semel satisfaceret, & imperio suo nouo ac beato cognitionem patris reuelatorem ad uniuersas terre nationes propagaret, quæ per paucis dumtaxat Iudæis, multo paucioribus forsitan ethnicis ad id usque tempus contigerat. Atque hoc est quod fore

fore in aduentu Christi prophetae sancti potissimum praedixerunt, apud quos hic locus de reiectione gentis Iudaicae, & uocatione gentium, frequenter occurrit, praecipue Isaia 10. 56. 65. 66. Osee 1. &c. atque in innumeris locis alijs, ut patet legenti nostra. Nominantur autem hic filij regni Iudaei reiecti, quod nati sint ex ijs, quibus id peculiariter fuerat promissum, cum ipsi ut sunt infideles, filij sint diaboli, quotquot non credunt, quibus reiectis, ab extremis terrae domino per Euangelion gentes erant adducendae. Haec uero insignis illa domini gloria est, quae a morte Christi erat in omni terra praedicanda, uera fide & euangelio regni praedicandis in omnibus gentibus, ut nomen domini ubique sanctum & celebre haberetur. Idola cuncta exterminata cernuntur, & deorum nomine culta simulachra, erroresque mundani deleti sunt, sole iustitiae & ueritatis luce exortis. Sortem autem electorum eam facit hic Christus, ut accumbant cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno caelorum, ubi dei spiritu uiuunt, & certa uitae eterne possessio tenetur: quod hic per fidem incipit, illic tentatione consummabitur, quando deum uidebimus sicut est. Hic sinus est Abrahae, in quo requiescit Lazarus: hic paradysus, in quem Iatro confessor recipitur. Accumbitur in hoc regno, & super mensam Christi editur & bibitur. Contra quoque reproborum sortem facit Christus exteriores tenebras, cupiditates caecas sectari, & per eas in innumera mala demergi eos qui fide carent. Verum fletus & stridor dentium, hoc est dolor & horror, recte tum illis infligentur, quando hac uita defuncti, praesentes uoluptates iam non sentient. Atque haec est gehenna, id est cruciatus extremus. Mediū scriptura non statuit, quare nec nos aliquid statuere possumus, relicto purgatorio igne eis, quibus lucrosum fuit istud commentum: quanquam et in hac uita, sancti dum perficiuntur purgantur. De uita illa domino cura a nobis commendanda est. Hic nos discamus pie uiuere, uiuentium curam sollicitam obseruare commendatam nobis a domino, mortuorum nulla nobis cura demanda est purgandorum uel adiuuandorum, qui sunt in sola manu dei.

Sanctorum accumbitur et requies.

Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

Haec ubi Iudaeis dixit Iesus, quo sermoni fidem astrueret miraculo, uersus ad Centurionem, ait: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi: nimirum declarans sanitatem non tribui nec generi, nec meritis, sed soli fidei, quam in plerisque Iudaeis desiderabat. Dictum sequuta res est. Siquidem compertum est, eodem tempore subito Centurionis filium fuisse morbo liberatum, ne quis suspicari posset casum aut medicorum ope factum. Nam ut nemo subito liberatur a lepra, iuxta cursum naturae, ita nec paralysis quenquam subito relinquit. Notatur ex his Christi uerbis uis uerae fidei, quae nimirum omnia a deo impetrat: non enim orat nisi pro gloria dei & animarum salute, ideo non potest non impetrare quod postulat. Sed & notandum hoc loco, Centurioni laudato a tanta fide, non praecipuum fuisse ut militia cederet, sicut nec Cornelio. Et Ioannes Baptista non iussit militiam relinquere, utique iussurus, si cum pietate illa per se pugnaret. Etenim ut magistratu & legibus, ita & militibus ad pacem publicam tutandam opus est. Quare si qui reipublice iustoque magistratu fide bona militent, modo in caeteris Christiani sint, ob militiam huiusmodi ab ecclesia arcendi non sunt, sed ut reipublicae patres & commodi honorandi.

Militia honesta

Et cum uenisset Iesus in domum Petri, uidit socrum eius iacentem

Marc. 1. c

Luce 4. f

& febricitantem: & tetigit manū eius, & dimisit eam febris, & surrexit & ministrabat eis.

Intelligimus Petro fuisse domum in Capernaum: non sic autem Christo, qui non habebat proprium, ubi reclinaret caput suum, quamuis solitus fuerit habitare ibidem. Voluit enim habere nihil, & tamen omnia possidere, ut discamus sedulo curare quæ deus iniungit nobis, reliqua committere prouidentiae dei. Non omnia sua reliquerunt apostoli, sed pro oportunitate suis sunt usi. Ad eundem modum omnibus sua relinquenda sunt, ut uocationi domini & uoluntati satisfiat semper à nobis: sic tamen, ut & suis potius, dum res exigit, & alienis utantur, suosque quantum domini uocatio permiserit, non negligant. So-
Petri focus. cru iacente ad febres, monemur & Petro fuisse uxorem, multo magis alijs apostolis, quorum ipse in ordine primus habebatur. Similiter et sanctos flagella domini experiri, sed id tam in gloriam patris, quam ipsorum salutem. Tetigit eius manum, & liberat febre, uerbis adiungens contactum suum, ut cum leproso. Increpauit febrim, & cessauit, hoc est faceffere iussit & cessare à molestado corpore, & per sanitatem succedentem expelli. Mox sanata administrauit ea quæ ad cibum & reliquum corporis ministerium attinebant, tum ut statim claresceret medici potestas mirabilis, tum ut familiae Christi tenuitas indicetur, ut quibus opus fuerit ministram ab æstu febrim reuocare, adeo omnis sumptuosior apparatus & famulicium copiosum illic aberat.

*Marci 1. d
Luce 4. g*

*Isaia 53. b
Luce 4. g*

Vespere autem factō, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eijciebat spiritus uerbo, & omnes male habentes curauit, ut impleretur
 C quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit.

Notatur in hisce hominibus præposterum studium sui, qui corporum sanitatem tam auide à domino postulantes, uerba uitæ interim quæ fundebat parum appetiabantur uel sitiebant. In domino autem claret mira benignitas, quod nihilominus omnes curauit obnoxios uarijs morborum generibus, atque etiam dæmoniacos, quos omnes eiectionis malignis spiritibus & morbis propulsatis sanabat, hic quoque suo nomini respondens. Nulla erat tam fœda, tamque horribilis morbi species, quã clementissimus dominus auersaretur contingere & sanare uel uerbo: nulla tam uehemens aut insanabilis, quæ non statim ad iussum illius relinqueret hominem. Dicto sanabat omnes, gratis quoque. Et dum non sunt adhuc capaces spiritualium donorum, corporalìa largitur. Vnde documentum sumimus & solatium, de benignitate immensa Christi & misericordia, unde fides nostra in ipsum roboratur. Ita si uere ipsius sumus ad similitudinem misericordiam ipsius spiritu impellamur. Discimus quoque longe eum faciliorem ad animæ morbos pellendos id ab ipso petentibus. Ad quod Euangelista adducit testimonium, Isaia 53, quod licet de animi morbis propheta dixerit à quibus fideles & electos sua morte & passione, de quibus ibi loquitur, liberauit Christus: aptatur tamen non inconcinne etiam ad languores corporum, qui sunt longe minores, ut perfectum saluatorem ex nomine & officio ignorare mundus non possit, quo & declarauit se liberaturum credentes mirifica bonitate sua ab omni malo, ut hic per corporalìa Christi beneficia spiritalia speranda nobis ab eo domino intelligamus. Explicationem autem Isaia uide suo loco in Commentarijs.

Videns

Videns autē Iesus turbas multas circum se, iussit discipulos ire trans fretum. Lucæ 9. 2

Mos erat domini, ut ferè semper cum miraculo aliquo magnificentius inclaruisset, turbis sese subducere, contentus nimirum benefecisse, nolens simul attonitè ac carnali adhuc turbæ se frustra uisendum admirandumq; præbere, præsertim cum adhuc tempus esset serui formam circumferendi. Vnde & nos monemur, benemereri potius quàm bene audire de proximis. Cum uidisset autem Iesus, ne sanatis quidem ægrotis, nec ingruente nocte, iam enim occiderat sol, abire turbam, sed magis ac magis undiq; condensari, præcepit discipulis, ut appararent nauim transmissuro lacum, quo uel sic à turbis liberaretur.

Et accedens unus scriba, ait illi: Magister, sequar te quocunq; ieris. Et dicit ei Iesus, Vulpes foueas habent, & uolucres coeli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.

Cæterum domum abeuntibus, scriba quidam importunior secutus est Iesum ad ripam euntem, cupiens in numerum discipulorum illius recipi, quem uiderat à turbis tanti fieri ob potentiam in edendis miraculis, non ut illius doctrinam uitamq; sequeretur, sed ut ex eius miraculis sibi gloriam & quæstum compararet. Hic igitur Iesum aggressus, dixit: Magister, sequar te quocunq; ieris. Vox erat digna futuro discipulo, si uoci respondisset animus. Vltro se ingressit, & ad omnia semet obtulit, neq; quicquam prætexuit. At Iesus nec importunitatem hominis repulit, nec animum insyncerum exprobrauit, sed tacite admonuit, nec illum sibi fore discipulum idoneum, nec se illi magistrum accommodum, quod quisquis huius mundi commoda spectaret, stulte se illi adiungeret, qui nec opes nec gloriam nec regnum huius mundi uel haberet uel quæreret, sed summam paupertatem, summam ignominiam, summam afflictionem amplecteretur, adeo ut nec illa suppeterent quæ uolucris & bestiis non desunt. Vulpes, inquit, tametsi domos non habent, tamen cauos habent effoscos, quibus abdant sese: uolucres in aëre uagantes, tamen nidulos habent ut in ecclesiis, in quibus conquiescant. At filius hominis adeo destitutus est omnibus huius mundi præsidijs, ut nihil usquam habeat ubi uel caput suum reclinet. Talis magister si cui placet, me si uolet sequatur, sed affectu sequatur, non tantum pedum uestigijs. Sic ille sibi conscius abstinuit. Nos si Christum sequi uolumus, in terra nihil quæramus, non est Christi regnum de hoc mundo. Nihil nobis appropriare debemus, cui pro Christo parati non simus renunciare, uel id magis egenti communicare, omnibus utentes tanquam non uteremur. Mira Christi & suorum tenuitas: non tamen peccant, qui domos & alia iure possident, dona enim sunt dei. Sed animo non addicamur possessis quibuscunq;. Nunquam caruit domo Christus, sic nec eius discipuli, si opus habuerint & domino toto corde confisi. Hæc Christiana perfectio sanctior quàm cenobitarum iactata paupertas, uel renunciatio mundi.

Alius autē de discipulis eius ait illi: Domine, permitte me primum ire & sepelire patrem meum. Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Christum sequi perinde uidetur atque comitem eius esse sequiq; perpetuo ad annunciandum regnum dei. Vnde uidemus hic, quod noluerit redire domum hunc discipulum, sed iussit adhærere sibi, ad prædicandum regnum dei,

Sepelire mor-
tuos.

quod munus tunc Christus obibat, & ad idem apostolos atq; discipulos præfer-
tim quos simul circumducebat habere comites & cooperarios uolebat. Uti-
tur autem Christus translationibus uerborum, mortuos uocans, qui fide sunt
destituti, quæ uita est animæ, nempe Christo fidere, eiq; adherere, qui uita est
uia & ueritas. Nequaquam autem ob hoc exemplum peccatum est, si uiui, id
est credentes mortuos ad aliud non uocati hoc modo sepeliant. Neq; enim de-
bent omnes abire, relictis rebus alijs, ad annunciandum regnum dei, sed qui
ad id uocantur. Pius siquidē se deo consecrat, & ex charitate uiuit, facitq; quæ-
cunq; sua uocatio poscit, semper paratus cum Abraham egredi à sua terra, &
cum apostolis relinquere omnia. Vocatus ergo ad prædicandum regnum dei
non poterit curare mortuos, neq; ministrare mensis; si uero ad id uocatus non
fuerit, certe hæc & adhuc minutiora charitatis officia non detrectabit.

Marci 4. d
Luce 8. d

Et ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius; & ecci-
ce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur flucti-
bus: ipse uero dormiebat.

Tentationis na-
tura.

Tentationis natura describitur. Tempestatem sauiam immittit dominus:
nec hoc contentus, operiri etiam fluctibus nauim & impleri sinit, & summe pe-
riclitari negligitq; prorsus. Illis deniq; iam extrema expectantibus, secure domi-
nus dormit. Sic sanè probantur electi, ut non solum supra quàm uideantur
sibi ferre posse affligantur, sed simul ita se gerit deus erga illos, etiam cum iam
actum de eis uideatur, ut nullã eorum rationem habere existimetur. Nō tamen
sinit spiritus, ut cunq; deplorata omnia uideantur, sanctos animum desponde-
re. Ita uideas hic discipulos, & si nihil certius morte expectarent, non tamen o-
mnem spem abiēcisse. In hoc enim tentantur sancti & explorantur, ut & deus
& ipsi sibi simul melius innotescāt, quo quàm sint nihil ipsi, & quàm bonus de-
us agnoscentes, de seipsis sentiant tanto modestius, de dei uero erga se bonita-
te tanto augustius, ita dominus cum tentatione facit exitum & fructum. Oma-
nino enim fidei imbecillitas fuit, quod ita trepidabant discipuli. Dormit autem
Christus qui populum suum uigilia æterna custodit, non tam necessitate infra-
mitet, nec dormiat qui custodit Israël, tamen saluator noster & dñs, ad proban-
dum in se suscepti corporis ueritatē, etiã usq; ad somnū omnia implere digna-
tur. Sed cum dormiente dño, sauiente diuina ordinatione procella, usq; ad pe-
riculū nauis, uiolenti fluctus insurgerent, discipuli timore perculsi dominū su-
scitant, ut succurrat, neminem alium diuorum inuocantes. Depinxit autem æ-
nigmate quodam quantum immineat periculi rebus humanis, quoties hi dor-
miunt, huius mundi commodis deliniti, qui se supra mundum putantes, uices
Christi in sua nauicula se gerere iactant uerius quàm præstant. In huiusmodi
autem tempestatibus unde petendum sit auxilium docent discipuli.

Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes:
Domine, salua nos, perimus.

Discipuli metu in tanto periculo exanimati, Christum uellicant & expere-
gefaciunt. Domine, inquit, salua nos, perimus. Siquidem adhuc hominem
tantum credebant, nec sese tutos esse nisi illo uigilante, & saluante iussu & uer-
bo. Excitant ergo, & opem orant discipuli, credentes & fiduciam habentes in
præceptoris sui charitatem & potestatem, nisi enim credidissent eum posse &
uelle, non ab eo orassent auxilium. Suscitant ē somno, ut de periculo cogitet
suo

suo & suorum, Dominum uocant, quem diuina aliqua uirtute, & quidem maxima praeditum, non dubitabant, ex miraculis iam uisis instructi, Salua, inquit, tu nos, qui tot uirtutibus exactis ostendisti te haec & maiora posse, ut fluctibus praecipias quietem & tranquillitatem, alioqui nostra uirtute pereundum nobis erit. Re uera pereunt omnes in hoc mundi pelago nauigantes per tot tentationum discrimina & procellas, nisi uirtutis tuae gratia succurras, & ecclesiae nauiculam periclitantem eripias, & in ea omnes qui tibi credentes inuocant sanctum nomen tuum, & te filium dei uerum Messiam haec uelle & posse confidunt.

Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis modicae fidei? Tunc surgens imperauit uentis & mari: & facta est tranquillitas magna.

Euestigio ut excitatus est dominus, uento imperauit & mari: ibi mox conuieuit uentus, & qui fuerat paulo ante magnus in mari motus, nunc fit ingens tranquillitas. Ita pro modo afflictionis modus esse solet & consolationis: mox autem pariter increpauit illorum diffidentiam. Vbi, inquit, est fides uestra, quam in me habere debuistis? qui ut sum mundi saluator missus, sic in mari periclitari non possum, quin in mea potestate est animam meam ponere, dum uolo, & quos mihi pater dedit seruare in suum diem. Omnino autem fuit fidei imbecillitas, quod ita trepidabant discipuli. Quod dominum excitauerant, & eius opem implorabant, reprehensione dignum non fuisset, sed quod anxie a deo trepidarunt consternati sunt penitus, ceu de ipsis actum esset clamantes, hoc fidei infirmitatem arguit: nondum tamen prorsus collapsam, id simul demonstrat, quod opem a Christo implorant, nequaquam oraturi, nisi spes aliqua salutis in eo credita fuisset. Sic per omnia commoueri ac trepidare solent etiam sancti, ubi serio tentantur, nec tamen fiducia a deo penitus excidere. Ideo semper sentiunt in tempore salutem praesentem, unde & fides incrementum sumit in dominum. Admonitis ergo discipulis de fide erigenda, ut sese ostenderet elementorum dominum, increpuit uentos ac mare, & continuo conuiuuit tempestas, quo magis esset conspicuum haec non geri humanis uiribus, sed uirtute diuina. Nihil enim surdus aut impotentiarius mari commoto, & tamen ad domini iussum repente uersum est in summam tranquillitatem.

Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia uenti & mare obediunt ei?

Discipuli cum caeteris multis qui fuerunt in nauis rem tam prodigiosam uehementer admirati, dixerunt: Quis est tantus? Nam omnino praefert quiddam homine maius, quandoquidem non solum morbi ac daemones, uerum etiam uenti & mare iussis eius obtemperant. Hoc autem imagine nos docuit optimus dominus Iesus, ut quoties in nos saeuierint tentationes aut persecutionum procellae, non aliunde petamus auxilium, quam ab ipso. Tumultus omnis uertetur in tranquillitatem, si modo ille in & pro nobis uigilauerit. Nauis hanc sancti faciunt ecclesiam, quae saeculi quidem tempestate laborat, quibusuis pulsatur tentationum procellis, naufragium tamen facere non potest, quia filium dei habet gubernatorem, nauigat instructa fidei gubernaculo felici cursu, angelos habens remiges, portans chorum omnium sanctorum, erecta in eius merito arbore crucis, in qua Euangelicae fidei uela suspendens, flante spiritu sancto ad portum paradisi deducitur. Consequenter septimum uirtutis Christi signum Matthaeus prosequitur de daemoniis & porcis: primum siquidem fue-

rat post sermonem domini in monte de leproso mundato: secundum, de paralytico Centurionis: tertium, de socru Petri sanata à febre: quartum, de dæmoniaco: de uarijs languoribus quintum: sextum, de maris obedientia.

Marc. 5. a
Lucas. 8. d

Et cum uenisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæuissimi, ita ut nemo posset transire per uiam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?

Fretum in qua iactata fuit nauis erat mare Tyberiadis, habēs Capernaum ex parte Orientis, quo enauigato uenit in regionem Gerasenorum uel Gergesenorum, dictam à Gergessa, quæ olim dicta legitur Gadara: uidentur autē fuisse alienigenæ, & ex parte Decapoleos prouinciam incoluisse, in qua annuntiabat dæmonio liberatus quanta fecisset illi dominus. Ergo ubi de nauis egressus est ad terram, ilico occurrerunt ei duo dæmoniaco, qui sæui supra modum erant, ut nemo posset per uiam illam transire. Prohibebant autē è sepulchris, non quidem ut Christo nocerent, sed ut etiam flagellatores eorum spiritus, qui iam ex præsentia sui futuri iudicis, magno terrore concutiebantur, supplices deprecarentur pœnas, dicentes: Quid rei habemus tecum ò Iesu fili dei? Filium quidem dei non omnino sciebant, sed suspicabatur: sciebant autem futurum diem iudicij, in quo tormenta certius expectabant. Quid autem nunc dominus facturus esset ignorabāt: timebant tamen ne si eos exire compelleret in abyssum tormentorum ipsos relegaret. Præsentia autem Christi dæmonum fit tortura, quædoquidē è corporibus eijciuntur, in quorū tortura delectabantur, nā et præsentia dei refectio est angelorum. Monendi hic sumus circa dæmonum damnationem & malitiam, ne de ipsorum natura & studijs aut similibus locis curiosius peruestigemus, quando inde non apparet quo meliores reddamur. Meditemur autem potius in ijs domini mandatis, quæ nobis data sunt, ut nostram secundum illa uitam instituamus. Satis fuerit nouisse de dæmonibus uictos esse à Christo, ne nos perdant: insidiari quidem nobis, sed tanto uigilantius fidelis firma resistendum, dum saluti hominum continuo insidiantur, quibus uitatur dominus ad probandum suos, & ad puniendum reprobos. Quicquid enim menti aut corpori accidat aduersi, immissio haberi potest angelorū malorum: unde & dæmones dicuntur auctores quorundam morborum, & lunatici dæmoniaco dicuntur, sicut & qui melancholia maniaque laborant satanæ adscribuntur. Animum quandoque in furorem agunt, quod dæmoniaco experiuntur. Corpori quoque incommodant, dum morbis excarnificant, ut fecerunt ipsi Iob, & quotidie faciunt multis ob perfidiam, ut patet de maleficiatis, neque tamen plus quàm optimus pater noster deus decreuit de nobis fieri.

Erat autē non longe ab illis grex porcorū multorū pascens. Dæmones autē rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorū. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes, abierunt in porcos. Et ecce, magno impetu abiit totus grex per præceptum in mare, & mortui sunt in aquis.

Incertum an hi Gadareni ex gentibus fuerint, quas olim rex Assyriorum capta Samaria in ditionem Samaritanæ prouinciæ traduxerat, quæ partim dei leges & ritus amplexæ sunt, partim secundum patrios mores uiuere solebant. Siue uero ex his gentibus siue Iudæi fuerint, non debebant uesci carne porcina. Iure

na. Iure ergo poenas contemptæ legis dei dederunt, amittendo porcos, quos cōtra uerbum dei aluerant. Sed & si hac in re nihil peccassent, grauiora tamen meruerat illorum impietas, quam de se, repellentes ob leuiculam adeo iacturam porcorum saluatorem orbis, manifestam fecerunt. Hominem uidebāt iam à seuis spiritibus Christi uirtute liberatum, cuius salus debebat illis charior esse omnibus porcis. Sed malebant porcis quàm authore salutis omnifariæ esse beati: idē non unus & alter è uulgo, sed tota ciuitas & uicinia. Petunt autem daemones se mitti in porcos, ut uirtuti hoc facto ciues regionis Christo uel suis infestiores, minus uerbū salutis ex eo audire dignarentur, adeoq̄ ne Christum susciperent. Christus autem daemonibus concedit, monstrans qua amaritudine & odio erga homines ferantur, & si eis potestas daretur & nō prohiberentur, peius nos quàm porcos illos affligerent. Ipse enim custodit daemoniacos, ne se ipsos occidant. Hæc Vulgarius.

Pastores autem fugerunt, & uenientes in ciuitatem, nunciauerunt hæc omnia, & de his qui daemonia habuerant. Et ecce, tota ciuitas exiit obuiam Iesu. Et uiso eo, rogabant eum ut transiret à finibus eorum.

Pastores uiso tam horrendo spectaculo territi fugerunt, & ingressi ciuitatem Gadaram, renunciauerunt ciuibus, quicquid uiderant, quid daemoniacis accidisset, quibus contigerat sanitas, & gregi suo porcorum. Ad hunc rumorem tota ciuitas Gadarenorum animo consternata exiit in occursum Iesu, metuens ne ad se ueniret. Viderunt porcos extinctos, uiderunt duos homines ex nudis iam uestitos, ex phreneticis sanos, ex rabidis quietos, adeo ut sederent ad pedes Iesu, agnoscētes authorem suæ salutis, sed quoniā erant crassi malicq̄, magis metuebant uirtutem Iesu, quàm amabāt bonitatem, ac pluris faciebant iacturam porcorum, quàm salutem hominum. Adierunt Iesum, et rogauerunt ut excederet à finibus ipsorum. Qui si pernouissent eum, obnixè rogassent ut uenire dignaretur in fines ipsorum, hoc facturus in animis ipsorum, quod in duobus fecerat daemoniacis. Qualis enim esset illorum uita, porci declarant, quos daemones hominum uicarios sibi postularunt. Nihil igitur illos docuit Iesus, terruisse contentus. Hi Gadareni typum gerunt omnium qui terrena curant, qui diuitiarum cupiditate occæcantur. Hi ut indigni sunt opibus cœlestibus, ita illas etiam ultro oblatas auersantur, & quamlibet sæuos daemones ferre malunt quàm Iesum Christum salutis authorem. Vnde recte Christus testatus est suum discipulum fieri non posse, nisi qui renunciauerit omnibus. Annuit autem Gadarenis abiens Christus, iuxta propriam doctrinam, porcis margaritas non obijciens, quando & discipulos docuit, ut ubi non reciperentur, nihil prædicarent.

CAPVT IX.

T ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & uenit in ciuitate suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacētem in lecto. A

Christus ubi indignos se Gadarenos reliquit, rursus traiecit lacum, & repetiit Capernaum: ea enim dicitur sua ciuitas, in qua licet frequentius habitaret, non tamen habebat in ea quicquam proprii, quo caput suum reclinaret, passim tamen in uicis & oppidis prædicabat, nulli uno loco perpetuo immorabatur, attamen suam ciuitatem in qua habitaret frequentius accessit. Sic & Paulus, loca multa pertransiens, alicubi tamen diutius est commoratus.

Marci 2. d
Luca 5. d

uti Ephesi biennio, Corinthi annum. Cum itaq; uenisset Capernaum, conuenit multa turba ad mare ut exciperet dominum, nam omnes eum expectabant, quando & nunquam ab euangelico uacabat negotio; unde et antequam à mari oppidum ingrederetur, sanauit obuios sibi ægros, & salutis uerbo audios satiabat. Cum autem ingressus fuisset Capernaum, essetq; ipsum in domo percubisset, conuenerunt multi, ut ne loca quidem circa ianuam illos caperent. Conuenerant autem & præter alios pharisæi, legisq; doctores ex omni castello Galilææ & Iudææ & Ierusalem, quos docebat, & omnes infirmos sanabat. Vbi discimus, Christum perpetuo fuisse in negotijs salutis humanæ, ut & nos accendamus ad illius exemplum, semper studentes ijs rebus, quæ hominibus possunt esse saluti. Perpendendaq; eorum fides, qui paralyticum offerentibus, quam Lucas cap. 5. describit, quæ & dominum permouit, ut uotis ipsorum annueret. Vnde & clare patet, quid fides profit aliena: sicut Paulo Stephanus, & hic baiulatores paralytico. Nemo autem aliena fide saluatur, ut ipse fide careat: hoc enim perinde esset, atq; doctum aliquem aliena scientia. Saluari aliquis potest aliena fide, id est salutis fieri particeps, at saluus esse nemo nisi sua propria fide potest: salus enim & uita iusti est fides ipsa. Vnde dicitur:

Et uidens Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Fides insignis apparuit in hoc, quod cum tanta uis hominum conflueret, utiam domus esset angusta, ac ne uestibulum quidem capax esset immensæ multitudinis, adducebatur is paralyticus à quatuor baiulis unà cum lecto decumbens, cadauer hominis uerius quàm homo. Proinde cū scirèt intus esse Iesum, nec præ turba daretur aditus, conscenderunt tectum planum, pro more regionis, & submotis tegulis per hiatum funibus demiserunt grabatum, unà cum paralytico ante pedes Iesu. Iesus non offensus hac importunitate famulorum, sed potius approbans ardorem fidei: quanquam oportuit non minorem esse fidem ægroti, qui sic dimitti se, uel iusserit uel passus sit, conuersus ad decubentem, ut circumstantibus fidem etiam atq; etiam commendaret, Bono, inquit, animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua: prius eam partem morbo liberans, unde corporis morbus erat profectus. Et tamen inaudita mansuetudine filium appellat, hominem utraq; sui portione calamitosum, tacite pharisæis & scribis supercilium & arrogantiam exprobrans. Intelligamus autem hæc uerba remittentis, non tantum optantis fuisse, alioqui nulla fuisset occasio blasphemix doctum insimulandi. Vbi primo notandū morbos esse peccatorū mercedem, ut plurimum; hinc & Christus illi quem apud piscinam probaticam sanauerat, dicebat: Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat. Deinde notandum his potissimum uerbis Christum polliceri sanitatem paralytico, non tam ideo ut doceret ob peccata morbos immitti, quàm ut similitudine apertius differendi: obscurius tamen, ut uidentes non uiderent improbi homines, quibus oportet omnia esse noxia, etiam quæ maxime salutaria sine credentibus & pijs.

Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphematur.

Araneo fel est, quod api mel: ita nihil tam salutare uel fieri uel dici potest, quod malis non ut malum iudicetur, ita & malum sentiat. Aderat turba multa plebis, & præsentem tanto miraculo dominum glorificabant. Scribæ autem & Pharisæi

& pharisæi inueniebant quod culparent. Sic fiunt primi nouissimi, & profert fructus suos qualibet arbor. Vt cunq; autem mali hi fuerint pharisæi, sanioris tamen iudicij fuerunt nostri temporis pharisæis, qui quamlibet sceleratis sacerdotibus potestatem uindictæ remittendi peccata, qui magno uendunt eandem & emunt, nihil moti, quod cum sensu communi pugnat huiusmodi sententia, & cum scripturis. Salus nostra à gratia dei pendet, quam irascente ipso quis nisi ipse nobis restituat: Sancti quidem à deo ueniam orare possunt, sibi et alijs, & impetratam sibi peccatores credere possunt, Nunciare quoq; sacerdotibus possunt ex uerbo dei, proprie donare nō possunt. Vnde blasphemia re uera fuisse, si homo quispiam ex se paralytico quæ in deum peccarat uoluisset remittere. Veruntamen Christus præter hoc quod deus erat, etiam ut homo peccata remittendi potestatem habuit ut summus sacerdos noster, et spiritu dei plenus. Nihil enim ex se & non ex spiritu sancto uel loquebatur uel agebat.

Et cum uidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus uestris? Quid est facilius, dicere, Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, Surge & ambula?

Non dixerat, Ego remitto tibi peccata tua in deum: sed, Remittatur, id est sint tibi remissa, quæ etiam propheta & sancti cuiuslibet ex spiritu dei loquentis & remissionem peccatorum optantis uel annunciantis uerba esse poterant. Maleuolentia ergo erat, & blasphemia in dominum cogitando insimulare, in quo adeo nihil uidebant quod non ad gloriam dei faceret. Discamus potius omnia interpretari in meliorem partem: id enim beniuolentia atq; charitatis est, & eorum qui uera sancta q; sectantur. Quid est facilius &c. Quasi diceret ex operibus meis discere debetis me dei spiritu plenum, & ex eodem loqui me et agere omnia, ac nihil minus quam blasphemare. Videtis uero me restituere sanitate ipsi qui deploratis morbis laborant, quod item opus dei est: cur non & in eo dicitis me blasphemare, & dei gloriam impie me arrogare? Num putatis facilius tali efficacia dicere, Surge & ambula, quam dicere, Remittuntur tibi peccata: cum utrunq; eiusdem uirtutis et spiritus uerbum sit, diuine scilicet quam in me uos blasphematis, cum negare non possitis.

Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam.

Vt ex his quæ uidetis credatis & illa uera quæ non uidetis, & filio hominis utrunq; esse æque procliue, & morbum dicto tollere, & peccata condonare, dabo signum omnibus sensibus conspicuum. Quod si uideritis hæc uerba quæ nunc dicturus sum non esse inania, sed habere uim præsentem, nolite dubitare filio hominis esse potestatem remittendi peccata in terris, idq; nō sacrificijs aut holocaustis, sed simplici uerbo. Simulq; conuersus ad paralyticum, dixit: Surge, tolle grabatum tuum, atq; abi in domum tuam, ut ij qui te nouerunt ægrotum, ac salutem desperabant, uideant te sic esse factum subito ualidum, ut non solum pedibus tuis ingredi possis qui paulò ante à quatuor baiulis portabaris, uerum etiam mutatis rerum uicibus, lectulum tuum gestare, quum te gestarint hætenus. Nec mora, res ilico uocem est consequuta. Surgit paralyticus, & sublato in humeros lectulo, abiit in domum suam. Miracula hæc utiq; Iesum com-

Potestas remittendi peccata.

pulum suum à peccatis. Ipsi enim Christo electi omnes donati sunt, quibus patris gratiam sua morte restituit: tum donat spiritu, ut id credant, utque ita illam percipiant. Differt autem potestas remittendi peccata quam Christus habet, ab ea quam sancti ab ipso accipiunt, in eo quod ipse non tantum ut sancti ex spiritu & uerbo dei, remissa à deo esse peccata credentibus pronūciat, uerum etiam morte sua illa expiat, & spiritus sancti donum, fiduciam placati patris, & remissionis peccatorum pignus, summus pontifex & rex noster donat, ut ita non tam peccata remittat, quam in perpetuum illis purget & liberet.

Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt deum qui dedit potestatem talem hominibus.

Euidētissimum hoc cernentes miraculum turbæ, planeque cum intelligerent rem non esse potestatis humanæ, sed diuinæ, glorificauerunt deum, afflicti ueris habebantur. Scribis autem sic erat impositum silentium, ut magis etiam exacerbarentur inuidia, nimirum magis quærentibus suam gloriam, quam gloriam dei, qua per Iesum indies illucescente, se uidebant obscurari; quemadmodum enim sol obscurat lucernam, ita diuina gloria euanescere cogit inanem hominum gloriam. Sed horum liuor non in aliud profuit, nisi quod Christi gloriam oblitendo reddidit illustriorem. Nouit enim deus, etiam malitia mortaliū ad suam abuti gloriam. Nos cum turbis glorificemus deum, pro dato nobis à deo patre Christo domino nostri amantissimo, qui per omnia nobis similis factus misericors est, & pronus ad succurrendum tentatis nobis, qui non tam morbos quam morborum causas peccata, uerbo suo pellat, filiosque dei saluos et beatos reddat, quotquot ipsi crediderint.

Marc. 2. b
Luce 1. f

Et cum transisset inde Iesus, uidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi, Sequere me. Et surgens sequutus est eum.

Publicani.

Iesus ut cederet improbitati scribarum, digressus illinc repetijt lacum, ubi turbam undiquaque confluentem docebat. Porro cum præteriret telonium, cõspexit illic publicanum quendam sedentem, Matthæum nomine, qui idem dictus est Leui, filium Alphæi. Est autem hoc hominum genus, quoniam artem exercet sordidi quæstus, & uiolentæ rapacitatis, multis modis infame, præsertim apud Iudæos, quod Romanorum apud eos uectigalia exerceret, eoque non tantum cum illis allophylis communicaret plus quam supercilium concederet pharisæorum, sed etiam tyrannidi inseruiret, qua contra legem dei se premi putabant. Ad hæc istis hominibus procliue fuit uis & rapina peccare, quando per paucos ad hoc muneris nisi immodica habendi cupiditas pertrahat. At Iesus qui prius Simonem & Andream, Ioannem & Iacobum ab humili quidem, sed tamen licito quæstu uocarat ad se, ut palam faceret se nullum omnino genus hominum fastidire, modo se conuertat ad meliora, Matthæum ad se uocat, ac se sequi iubet. Ille nihil contatus sed relictis rationibus imperfectis, relicto quæstu, uox energiam quandam admirabilem, relucebat & in uultu uis quedam occulta, qua quos uolebat non aliter ad se trahebat quam Magnes ferrum. Nominat autem se hic Matthæus uulgatiore nomine, cum esset pro more gentis binominatus, ut ostenderet sibi animum fuisse predicandi insignem Christi circa se pietatem, qui a deo non auersaretur peccatores, ut ex eis quoque gratiæ suæ apostolos delegerit, & quidem præcipuos ac insignes Euangelistas fecerit. Quo & nomen

namur beneficia dei circa nos confiteri studiose, ubi id fructum facere posse cognouerimus in dei ecclesia. Vt autem patefieret uirtus Christi uocantis, qui cum uocat nemo potest non sequi, & similiter fidei natura obsequentis, quæ moram non necitat, statim uocatus surrexit, & Christum comitari coepit, relictis quidem omnibus rebus suis, sed non abiectis.

Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores uenientes, discumbebant cum Iesu & discipulis eius.

Matthæus rogauit Iesum, ut in adibus suis conuiuium agere dignaretur. Nec hoc grauatus est Iesus, ut suos doceret, nec impiorum consortium esse uitandum, si spes sit illos nostra consuetudine fore castigatiores. Porro ex his quæ tum illi suppetebant, affatim exhibebat magnificentum & amplum conuiuium, ad quod adhibebat multos sui ordinis homines publicanos et peccatores, quos exemplo sermoneque suo pertraxerat in admirationem & amorem Iesu. Non ergo omnino abiecerat sua omnia, quin commodum usum seruaret rerum suarum, cum id ferret sua uocatio. Vnde & Christum suscepit, accepta opportunitate in suam domum, & eius facultatibus inseruiebat. Sic Petrus quoque domum suam habuit, & alia, eisque usus est; quin & post domini resurrectionem eis usus est, quandiu per munus apostolicum illi potuit licere. Cur enim sua quæ illis dominus dederat abiiecissent, et usi fuissent alienis? cur pauperibus sua darent, & ipsi in otio medicarent ab æque pauperibus, uel per se ditatis? monachorum nostrorum more non apostolorum, qui certe uerbo & uita comprobauerunt domino id placere potius, ut suo quisque pane uescatur, non alieno labore uiuat in otio. Sic Paulus cum Euangelij prædicandi munere fungeretur, manibus nihilominus operabatur, tam interdum quam noctibus. Scopus omnium piorum unus hic est, ut gloriæ dei pro sua quisque portione et uocatione studeat: hoc ergo cogitabunt, huc omnes curas suas conferent, et si ex eo res suas uel negligere uel deserere cogantur, æquissimo id facient animo, sin minus, utentur illis imò quotidie laborando conabuntur conquirere, non ut ditentur aut delitentur, sed ut alios non grauent & tribuant necessitatem patienti.

Et uidentes pharisæi, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister uester?

Captabant undique pharisæi calumniandi materiam, quanquam ipsum non auderent interpellare, ne quod nolent audiret, discipulos autem ab eo conantur auertere. Quare, inquirunt, magister uester, cui uos hæretis ut eximie sancto, conuiuium agitatur cum istis publicanis & peccatoribus, quos nos ut abominandos uitamus? Pares autem cum paribus facile congregantur, & tales ferè reddimur quales ij sunt quibus cum uiuimus. Sic semper qui cum scientia scripturarum uitæ religionem coniunxisse uidebantur, & eo nomine populo insigniores erant, domino præ omnibus alijs obrectasse semper leguntur, optima quæque dicta & facta eius damnantes, quod est proprium humanæ iustitiæ ingenuum. Verum timida est, ut hic uidetur, conscientia suæ malignitatis, & bono obrectare, non malum corrigere solet hypocritis: contra autem charitas malum corrigit, & bonum prouehit.

At Iesus audiens, ait: Non est opus ualentibus medico, sed male habentibus: euntes autem, discite quid est, Misericordiam uolo, & non sacrificium. Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores.

Proprietas rerum.

Religiosi in syn-
ceri.

Osee 6.c
Infra 12.4
1. Timoth. 2.6

Medicina Christi. Docemur ex hoc loco optandum nobis esse, ut per nos dominus transeat, ac clementer uisitet nos, uocet ad meliora, ut continuo illum sequamur uocantem, ut interno cordis hospitio suscipiamus nostrarum animarum medicum, ut nosmetipsos ægros agnoscamus, prioris quoque uitæ consuetudinem resipiscendo mutemus, non iustificantes nos solum pharisæorum more, nullius saluti inuideamus, non temere quenquam iudicemus, alioqui non sanabimur, non uocabimur ad salutem. Blande respondere discimus obrectatoribus nostris. Congredi peccatoribus, ut mali esse desinant, admonere ut fratres. Mire quoque nos consolari debet, quod se medicum Christus peccatorum cõfiteretur. Nulli enim in terra iusti sunt, quando declinauerunt omnes. Vnde cum saluator aduenisset cum laborantibus & peccatoribus negotium illi esse oportuit. Iusti qui erant in mundo suo modo iam ad resipiscenciam uocati erant, ut opus nõ fuerit illos nunc primũ uocare. Remisit autem Christus pharisæos ad locum Ose. 6. ubi uaticinatus est, per Christum breui fidem & charitatem restituendam, missis ceremoniarum umbris, externisque ritibus. Quin, inquit, potius ite & discite, quid sit illud, Bonitatem &c. Quasi diceret: Quid peccatores hos adeo cõtemnitis, ipsis multo scelestiores, qui externæ sanctitati studetis, obmittendo, quæ sola sunt sanctitas, internam fidem & efficacem charitatẽ &c. Vide eundẽ locum. Discite, inquã, quid hic sermo dei sibi uelit, ac deinde, si uidetur calumniam in factũ meũ, quod non pugnat cũ lege uestra, sed respõdet uoluntati diuine. Cur autem fugiam consuetudinem peccatorum, qui in hoc uenerim, ut tales inuitem ad pœnitentiam uitæ prioris? Multi sibi iusti uidentur, ab his si me subduco, non debent indignari: non enim egent ope nostra, & superuacaneum inuocant contumelia sit eos uocare ad pœnitentiã, qui nihil habent pœnitendum. Hoc sermone Iesus perstrinxit, & quodammodo derisit arrogans supercilium pharisæorum, qui iusti sibi uiderentur quum non essent.

*Marci 2. c**Luce 5. f. 2*

Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?

Subinuidebant discipuli Ioannis humano affectu Iesu, ueluti de præstantiore magistro suo gloriantes. Hi iuncti pharisæis adeunt Iesum, nec uerentur illum in os calũniari, quod nimis indulgenter haberet suos discipulos, minusque se uere institueret quam Ioannes suos, quum arctiorem quandam disciplinam uideretur polliceri. Duabus autem rebus pharisæi potissimum captabant apud populum opinionem sanctimonix, ieiunijs & precationibus. Rogant itaque Iesum: Quare nos discipuli Ioannis & pharisæi frequenter ieiunamus ac precamur ex institutione maiorum, qui docuerunt preces ieiunio commendari, discipuli autem tui non æque ieiunant? Nonne uero hi pharisæi plenè nobis seculi nostri monachos expresserunt? Nihil siquidem sanctum hypocritis, nisi quod à communi uitæ usu abhorret longissime. Habet quidem & solida pietas sua quoque ieiunia, suas quoque preces, at nihil minus ostendat, nec habet nisi in bonis istis operibus quibus proximis cumulate consulitur. Vult namque deus, præ sacrificijs ieiunijs & precibus, beneficentiam & sedulũ studium benignitatis & beneficentix, quam solam hypocritæ assequi nequeunt.

Pietas solida.

Et ait illis Iesus, Nunquid possunt filij sponsi lugere quandiu cum illo est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.

Ad hanc manifestam calumniam,

quoniam ipsum petebat, non discipulos, Iesus

Iesus humanissime respondit, sic ut nec Ioannis taxaret institutionem, nec aliorum ieiunia simpliciter damnaret, sed tantum ostēderet indulgentiā qua in suos ueretur, nō esse negligētię, sed artificij, quo paulatim illos adduceret ad maiora, ueluti cum prudens literator & peritus artifex, formandę pueritię primā ac teneram ætatem non statim deterret rebus asperioribus, sed blandimentis allestat ad difficiliora: ac responsionis occasionem mutuatur ab ipsius Ioannis testimonio. Is enim de Iesu testificans apud eos, qui suspicabatur ipsum esse Christum, Qui habet, inquit, sponsam sponsum est, amicus autem eius adstat, & uehementer gaudet, quod audiat uocem sponsi, Iesum indicans esse sponsum, se nihil aliud quam sponsi amicum. Hunc igitur Ioannis sermonem Iesus illis reuocans in memoriā, ait: Num filij qui in recentis sponsi thalamo uersantur, ubi læta esse decet omnia, possunt Iudaico tristicię ieiunio torqueri, præsertim quum sponsum habeāt præsentem? Nolite interim eis inuidere hanc lætitiā, non diu duraturam. Sinite illos hac indulgentiā leniter & suauiter duci ad perfectiora. Habent nunc sponsum, & in hoc sunt toti, non uacat illis ieiunare, & teneriores sunt, quā ut ferre possint. Grandescunt interim, & ueniet tempus, quum ab illis auferetur sponsum, tunc firmiores, non solum ieiunabunt ultra, sed asperioribus etiam ferendis erunt pares. Iudæi summam religionis colant in crebris ieiunijs ac precationibus prolaxis. Hęc ut damnanda nō sunt, si non ad inanem gloriā, sed ad pietatem adhibeantur, ita fortiora & magis ardua quaedam spectat doctrina Evangelica, ad quæ meos formo singosq; discipulos. Docemur & nos hic ut ab ijs qui Christo nomē dederint, non ilico summa quæq; requiramus. Connubium quoq; Christi cum ecclesia.

Nemo autem immittit commissuram panni rudis in uestimentum **C** uetus: tollit enim plenitudinem eius à uestimento, & peior scissura fit. Neq; mittunt uinum nouum in utres ueteres: alioqui rumpuntur utres, & uinum effunditur, & utres pereunt. Sed uinum nouum in utres nouos mittunt, & ambo conseruantur.

Diobus similibus probat, non esse onerandos nouitios discipulos pietatis austerioribus præceptis disciplinæ, neq; requirenda spiritalia ardua, nisi à iam spiritalibus. Impeditiorem autem literæ sensum clare & eleganter sic retulit Erasmus: Non conuenit mihi instituendi ratio cum Ioanne. Nouum est quod doceo, & noua doctrina noua conuenit institutio. Non oportet præceptorem esse præproperum, suo tempore res indicabit utrius discipuli fortius fuerint instituti. Non oportet uetera misceri nouis. Nullus enim assuit ueteri uestimento particulam panni noui rudisq;. Siquidem hac uia nō solum sarcitur uestimenti ueteris plaga, uerumetiam non coherente nouo panno cum uetere, fit maior ac deformior hiatus. Neq; qui sapiunt, uinum nouum credunt utribus ueteris: alioqui duplex sequitur incommodum, dum & uinum effunditur & utres dirupti pereunt. Quin potius uinum nouum infundunt nouis utribus, qui ferant uim uini, nec dissiliunt efferuescente musto: itaq; fit ut & utres sint incolu mes & uinum. Ego meos totos nouos esse uolo, eosq; mihi sic paulatim singo, ut olim fortes & firmi queant Evangelicæ doctrinæ uim perferre. Ioannes ueritatis utribus non est ausus aliud quā uetus uinum committere, ieiunium & huiusmodi, quæ multum absunt ab his quæ præstanda sunt uiris Evangelicis. Ego meæ doctrinæ mustum non credo nisi nouis uasculis. Discimus ieiunium

& precationes spiritualiora esse opera, quàm ut non solum mox ab initio susceptæ religionis requiri queant, sed quæ nequeant etiam unquam præcipi, ultrò à spiritu sancto proueniant oportet: unde ne Christus quidem uspiam illa præcepit. Clarius Erasmus transtulit: Nullus immittit assumentum panni rudis in ueste ueteri: aufert enim supplementum illius à uestimento, & peior ruitura fit &c.

Matth. 23. b
Lucæ 9. f

Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine filia mea modo defuncta est: sed ueni, impone manum tuam super eam, & uiuet.

Animaduertendum quàm uere de Centurione gentili dominus supra dixit, tantam se in Israël fidem non inuenisse. Is enim Iudæorum primas & archisynagogus, Iairus magister scilicet & præpositus eius synagogæ, quæ erat in Capernaum, uel in alia aliqua urbium Galilææ: non enim erat præpositus templi Hierosolymitani, aut summus pontifex. Is, inquam, nō tantum ut in domum suam ingrediatur dominus, orat, sed etiam ut manus filix imponat, adeo non agnoscebat quod Centurio, uerbo ipsum omnia posse. Tanto illustrior autem fit Christi facilitas & benignitas, qui hanc fidei imbecillitatem nihil moratus ilico surrexerit, cumq; eo abierit. Hæc nos moueant, nihil orari ab ipso, quod orantibus prosit: & nos docet, quod non Christus exaudiat, ut & nos quoq; illa scientes, non minus simus exorabiles omnibus. Defunctam hic dicit pater fuisse, quam Marcus recitat egisse in extremis, Lucas iam moriebatur, iam enim animam agebat filia, id angebat patris affectus ad puellam duodecim annorum, ut defunctam diceret. Vtuncq; uero fides patris licet infirmior appareat, uel in hoc uerbo, Et uiuet, quasi dicens: Credo omnino te talia patris miracula etiam filiam meam unicam uiuificare te posse, & restituere uitæ, etiam si mortua sit: potest tamē Hebraico more fuisse dictum, Et uiuet, pro uiuat, & conualescat si aderis.

Et surgens Iesus, sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce, mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit simbriam uestimenti eius. Dicebat enim intra se, Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero.

Iesus ut erat expositus ad benefaciendum omnibus, qui simplici cum fiducia eum aliquid postulabant, siue pauperes essent siue diuites, siue Iudæi siue exteri, ilico surgens secutus est Iairum properantem domum, si forte filiam adhuc spirantem offenderet. Dominum autem & magistrum discipuli sequebantur, ac turba densissima. Ecce autem inter eundem alterius occasio miraculi. Se admiscuerat confertæ hominum multitudini mulier quædam duodecim iam annos obnoxia profluuiio sanguinis, quæ facultates omnes in medicos insumperat, neq; quenquam inuenit qui malo posset mederi, itaq; bis erat miseræ, posteaquam malæ ualeitudini accesserat inopia: hæc cum summam fiduciam de Iesu animo concepisset, ob morbi foeditatem, non audebat tot testibus appellare dominum. Itaq; ueluti suffuratura beneficium clanculum à tergo accessit, ac tetigit simbriam uestimenti eius: sic enim sibi persuaserat. Si uel extremam uestis illius oram attigero, salutem adipiscar. Non quod simbriæ uirtutem aliquam

quam, multo minus tantam inesse crederet, sed quod Christum crederet adeo per omnia saluificum, ut uel hactenus ipsi appropinquasse salutem sibi allaturum certo confideret. Vnde & Christus fidei ipsi testimonium perhibet, ut sequitur.

At Iesus conuersus & uidens eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.

Multi hic allegorias concinnant multas, & uerisimiles. Placet præ alijs, & simile quiddam habet cum muliere quæ frustra in medicos sua profuderat, significare quotquot aliunde salutem quam à Christo petunt; opera enim & impensas perdunt. Fides tamen huius mulieris nobis potius obseruanda, quæ tantam esse in Christo uirtutem persuasa fuit, ut uel tactu simbræ eius sanitatem recepturam se non dubitaret, Iesus autem nolens latere tam insigne fidei exemplar, simulq; docens non esse celandam dei gloriam, qui supra naturam miracula in occulto non adit, nisi ut uulgentur ad causam aliquam eximiam, utq; eliceret beneficij confessionem, conuersus ad turbam: Quis, inquit, me tetigit? Negantibus cunctis, Tamē aliquis, inquit, me tetigit; nam sentio uim à me profectam. Hic Petrus reliquiq; discipuli non intelligentes quid sibi Iesus uellet, Domine, inquit, uides confertam turbam undiq; prementem te, & rogas quis te tetigerit, quum à tam multis tangaris? Porro cum Iesus quasi ignorans à quo contactus esset circumspiceret, uelut oculis quærens quis fuisset ille furtiuus attactus, mulier sola sibi conscia, quum uideret se non latuisse lessum, excusso pudore, timens ac tremens procidit ad pedes Iesu, & rem est confessa ut habebat omnem, & quo morbo laborasset, & quot annis, & ut omnes facultates frustra profudisset in medicos, & ut sibi persuasisset solo simbræ contactu posse sanari, & ut mox à contactu sensisset perfectam corporis sanitatem. Hæc Christus teste turba prædicari uoluit, non ut pudefaceret mulierculam, aut sibi laudem apud homines uendicaret, sed ut hoc exemplo doceret omnes, quantum ualeret firma fiducia, ac mulieris exemplo confirmaret fidem archisynagogi, quam intelligebat nonnihil facillare, simulq; pharisæis exprobraret suam incredulitatem. Itaq; mulierem trepidam ac metuentem ne iratus Iesus suum beneficium repeteret, consolatus est dicens: Bono animo esto filia, tua fiducia tibi peperit sanitatem, uade cum pace tranquilloq; ac securo animo.

Et cum uenisset Iesus in domum principis, & uidisset tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum.

Cum amici aut necessarij hinc migrant, mediocris luctus non fuerit uitio uertendus, quando & sancti patres suos quoq; luxerunt mortuos. Sed & Christus horum luctum, licet adhibitis tibicinibus admodum ridiculum, non tam damnare quam compescere uisus est, affirmans filiam dormire, non esse mortuam. Impendio Iosephum pater Iacob luxit, cum discerptum bestia putaret: uicissim mortuum ipsum Ioseph magnifico & Aegyptiaco sumptu prosequurum. Luctus mortuum. Natura enim mors luctuosa est, admonens peccati nostri & iræ dei. Desyderium quoq; charorum non potest non esse molestum; non enim deus à suis requirit indolentiam; manet enim iudicium rationis præsentis uitæ prospicientis, illud autem non omnes improbi affectus sequuntur. Cum igitur nihil

æque atque mortem natura horreat, non potest non moueri cum illa rapit quæ chara habemus. Christus quoque mortem suam horruit & doluit. Vnde orabat, Pater si possibile est, transfer à me calicem istum: uerba erant naturæ deprecantis quod malum sentiebat. Addebat autem statim, Sed non mea, uerum tua uoluntas fiat. Hæc spiritus uerba fuere, sese sublimius efferentis & diuina propius cõspicientis. Charitatis est ergo dolere mortem charorum, fidei autem ne doleamus supra modum. Consolationem enim habemus, qua gentes carent, nostros mortuos in domino uiuere, & ipsorum corpora per Christum restituenda, dicente apostolo 1. ad Thessalo. 4. Christianis, Ne contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Iesus mortuus est, et resurrexit, ita & deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini, quia nos qui uiuimus, qui residui sumus & c. Sic semper cum domino erimus. Itaque consolamini inuicem in uerbis istis. Aberunt autem à Christianis omnia illa signemta, ac indecori gestus, quibus ethnici olim maiorem quàm habebant dolorem mentientes, insanientibus quàm dolentibus sese faciebant, et hodie alicubi faciunt, similiores. Neque locum apud nos habet superba sumptuosaque funebris pompa, quæ pauperibus potius impendatur, si quid mortuorum necessitati redundet; multo minus illa mortuorum, quæ uocant Suffragia, quæ ædituos & clericos, monachos autem in primis, opibus nimis auxerunt ad otium. Nihil enim de Iesu Christo præcepit, nec exempla sanctorum, qui suffragia huiusmodi nescierunt, nec apostoli quicquam de hac re monuerunt. Commodè tamen & amanter sepelienda sunt corpora charorum, ut decet fideles; insigniter autem beneficorum uirorum & optime meritorum sepulchra non sunt delenda, sed ad uirtutis exemplum honoranda ciuilitè & cum decore non nimio, sed communi exemplo omnium maiorum. Non est, inquit, mortua puella sed dormit. Vbi scriptura identidem mortem somnum appellat, molliore quadam metaphora, ne sit mors ipsa hominibus nimis horronda & sordida. Non enim, ut quidam adserunt, sola mors sanctorum re uera somnus est corporis, cum in uitam illi resurgant, sed etiam impiorum, qui resurgunt quidem, sed ad iudicium non ad uitam. Aequè enim de impijs regibus legimus, Obdormiuit cum patribus, atque de pijs. Hic tamè Christus uidetur peculiariter hac oratione significasse filiam tum mortuam mox resuscitandam, ut re ipsa uideri potuerit dormire. Quod autem derisum Christum ob hoc uerbum Euangelistæ scribunt, non alia ratione factum est, quàm ut miraculum Christi clariùs fieret, qui eam in uitam reduxit, quæ tam certo obierat diem suum, ut rideatur Christus, quod dormire illam dixisset. Abusus est siquidem dominus hoc loco & risu impiorum ad suam gloriam, quo comprobata mors filia probauit uirtutem Christi; sic nihil in mundo fit absque dei prouidentia.

Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit: Puella, surge. Et surrexit puella. Et exijt fama hæc in uniuersam terram.

Cum turbam expulisset lugentem à funere, ipse assumpto patre & matre puellæ, ingressus est conclaue, ubi iacebat cadauer puellæ, apprehensaque manu uirginis, patria sua uoce loquutus dixit Syriace, Talitha kumi, Puella, surge: si mulier cum dicto surrexit puella, & ambulabat, quo certior esset fides miraculi. Non enim solum uitam reddidit subito, sed & uires & alacritatem. Cumque puellæ parentes ingens stupor haberet, præcepit illis ac uehementer obtestatus est,

est, ne cui dicerent quod factum esset. Simul ut ipse uitaret suspicionem affecta-
 ta gloria: hoc enim potissimum agendum erat apud synagogae primores, qui
 nihil non faciebant ad laudem humanam emerendam. Simul ut illi cum fide ma-
 iore praedicarent, quod gestum erat, sic tacere iussi: tum pharisaeis suis & sy-
 nagogae proceribus rem gestam quam uiderant denarrarent. Nouerat enim hu-
 manum ingenium, & hoc in bonum aliorum uoluit abuti. Iussit quoque digredi
 ens, ut daretur cibus puellae, uidelicet medicum agens ac dissimulans apud ali-
 os miraculum, quanquam & hoc cessit ad prodigij confirmandam fidem.

Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo caeci clamantes, et dicen- **D**
 tes: Miserere nostri fili Dauid.

Vide omnem Christi uitam hominum necessitatibus releuandis impensam,
 quia deus uult misericordiam & benignitatem, non sacrificia aut quicquam
 aliud externum. Relictis autem aedibus archisynagogi, cum repeteret domum
 suam, sequuti sunt illum duo caeci, qui rumorem miraculorum acceperant, atque
 ex eo conceperant spem adipiscendae sanitatis, praesertim cum audissent illius
 beneficentiam nulli non patere quantumuis humili. Sed cum Iesum nec cerne-
 re possent nec adire, tamen ingenti clamore, quem sanitatis amor & ardor fidu-
 ciae exprimebat, procul appellabant Iesum, propria periphrasi adiecta Filium
 Dauid. Vnde colligitur, uulgo dominum pro Christo tum habitum. Expecta-
 bat enim gens tota in id tempus Christum, unde & de Ioanne eam opinionem
 conceperat. Quo uideas quam inexcusabilis fuerit obstinatio pharisaeorum, qui
 tempus uisitationis suae tot signis & indicijs admoniti noluerunt cognoscere.
 Celebre autem semper apud Iudaeos fuit, Messiam promissum in lege & pro-
 phetis, de stirpe Dauidis nasciturum, cuius regnum foret illustrissimum, quod
 ut carnales carnaliter omnia intelligentes solum respiciebant, & adhuc hodie
 tantum cupiunt, et expectare non cessant, cum dei sui gloriam a Christi tempo-
 re adauctam toto orbe per regnum Christi aduertere potius deberent, quod pos-
 sent, nisi suam gloriam magis quaererent quam dei.

Cum autem uenisset domum, accesserunt ad eum caeci. Et dicit eis
 Iesus: Creditis quia hoc possum facere uobis? Dicunt ei: Vtique domine.
 Patitur post se clamare caecos istos donec in domum uenisset, quo & desy-
 derium ipsorum accenderet, & probatiorem ipsorum fidem nobis in exemplum
 proponeret. Vnde & non est irrationabilis opinio eorum, qui putant haec signa
 duo, de archisynagogae filia suscitata, & de his caecis intra domum, coram non
 multis arbitrata perfecta, priora fuisse tempore multis alijs Christi miraculis pre-
 scriptis, quando non sunt secuti Euangelistae ordinem temporis, sed suum spi-
 ritum prout spirare uoluit inspirantem. Vnde & uoluit haec prima miracula
 non protinus propalari omnibus, ut agnoscamus Christi cognitionem, rem sa-
 cram non nisi pro dei singulari gratia communicandam dignis, ut nos humilie-
 mus. Rogat etiam eos, si credant: ipsisque affirmantibus se credere, oculos tan-
 dem tangit.

Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem uestram fiat
 uobis. Et aperti sunt oculi eorum.

Non sibi uendicare uidetur redditi luminis officium, sed ipsorum fidei & fi-
 duciae imputans, uidelicet declarans incredulitate praecipue nos indignos
 reddi beneficentia diuina, alioqui nulli non exposita promptaque: ut discamus

solida fide à se omnia petenda esse, neque quicquam frustra credentes à se peti-
turos: nam petunt nihil nisi de quo per spiritū certi sunt ipsum ad dei gloriam
facturum. Mox autem, ut locutus est Iesus, aperti sunt oculi cæcorum, sic ut
clare uiderent.

Et comminatus est illis Iesus, dicens: Videte ne quis sciat, Illi autem
exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa.

Iesus Christus admonere hic nos uolens per imaginem, ut tametsi gloria sua
apte sponte comitatur recte factum, tamen à nobis fugiendam potius quam as-
sectandam, uehementer interminatus est cæcis, ne quisquam factum hoc resciri-
ret. At illi gestientes noua felicitate, tanto magis sparserunt famam Iesu per uni-
uersam illam regionem apud omnes quos habebant pristinae cecitatis testes. Ut
cunq; autem hanc cæcorum inobedientiam non male consuluerit Christus,
quam præsciuit antequam tacere iussisset, nemo tamen hic discat temere sese
ingerere ad prædicandum gloriam dei, sed mitti se expectet, & iniici sibi occasi-
onem diuinitus. Patris est enim operarios extrudere in messem suam. Quod
autem per inobedientiam cæcorum nihilominus nomē Christi illustratum fuit
it, idēq; in bonum aliquibus cessit, id ipsum diuinæ bonitati, nostra etiam alia
mala & maiora in bonum uertenti, adscribi debet.

*Infra 12. b
Marci 5. c
Luce 11. b*

Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmo-
nium habentē. Et eiecto dæmonio, locutus est mutus, & admiratæ sunt
turbæ, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel.

Vndecimum miraculum Hieronymus numerat de muto. Egressis cæcis
oblati sunt alii longe miserissimi infirmi, non naturaliter ægroti, sed dæ-
monio obnoxii, quod illi linguæ usum adimebat, ut homo nec esset mentis
compos ut salutem optaret, nec linguæ ut postularet. Hic igitur, quoniam a-
liena fiducia fuit opus, oblati sunt Iesu, à quo non exegit fidem ut à cæcis, quam
præstare non posset, sed nihil contatus eiecit dæmonium, & protinus locutus
est qui mutus fuerat. Turbæ autem demirantes, tantam celeritatem miraculo-
rum æque paratam in omni quamlibet immedicabilium malorum genere, dice-
bant inter sese, Nullus unquam exortus est in gente Israëlita qui tam multa
prodigia tam facile patraret, & præcipiendo, & ut uerbo simplici apparet, pro-
pria uirtute.

Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eiecit dæ-
mones.

Coram pharisæis factū est hoc signum, si quando intelligerent seipso quos
que curandos, si se illi offerrent. Mutus hic dæmoniacos pharisæos indicabat.
Muti sunt qui diuinam confessionem laudemq; nesciunt. Dæmoniaci qui blas-
phemant. Eiectio dæmonij diuina potentia ac benignitas, etiam in eos qui di-
uina confessionis laudisq; fuerunt expertes, & omniū uitiorum domicilium.
Admiratio turbarum & uerba, mirabilium dei confessio erat. Contra pharisæi-
tam indies gliscente liuore cæci, quum quæ gerebantur in oculis omnium infir-
mari non possent, tamē ut animos multitudinis illum suspicientis ab eo aliena-
rent, calumniantur illum eiecere dæmonia, non uirtute diuina, sed ope Beelze-
bub dæmoniorum principis. Quia calumnia quid esse poterat dementius: quæ
si dæmon exigat dæmonem, aut quasi Beelzebub hostis humani generis confer-
ret mor-

ret mortuis uitam, ægrotis sanitatem, cæcis uisum, mutis linguam? Ab illis hæc mala proficiscuntur plerumq; quæ Iesus sua bonitate misertus hominum tollebat: huiusmodi corporalibus beneficijs quæ sensibus ipsis percipiebantur, præparans eos ad capacitatem beneficiorum spiritualium.

Et circumibat Iesus omnes ciuitates & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem.

Hieronymus: Cernis quod æqualiter & uillis & urbibus & castellis, id est magnis & paruis Euangelium prædicauerit, ut non consideraret nobilitatem, sed salutem credentium. Circuibat ciuitates, hoc habens operis, quod mandauerat pater, & hæc esuriem, ut doctrina sua saluos faceret infideles. Docet autem in synagogis & uillis Euangelium regni, & post prædicationem atq; doctrinam curabat omnem languorem, & omnem infirmitatem, ut quibus sermo non suaserat, opera persuaderent. Prædicabat autem ut bonus pastor regnum cælorum, in quod non recipiuntur qui animi morbis subiiciuntur. Ideo obiter eos sanat perfecte. Doctrina regni æterni erigebat mentes in spem cælestium curationum: operatio confirmabat doctrinam, & corda certaga nos semper habere intentos misericordiae suæ oculos, subsequenter ostendit Euangelista.

Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant uexati & iacentes sicut oves non habentes pastorem. Marci 6. e
Lucæ 10. 6

Cum dominus uideret turbas undiquaq; confluentes, & indies frequentiores, iam auidas salutis ac doctrine melioris, simulq; consideraret sacerdotes pharisæos & scribas, unde populus hæcenus pependerit, omnia potius agere quam ut seruirent populum, totosq; seruire gloriæ suæ non dei, seruire lucro suo, seruire uentri, uoluptatibusq; suis, in quibus si quid esset religionis, hoc ipsum esse fucatum et simulatum, ut officeret etiam ad ueram religionem: populum rudem quidem esse & crassum, sed tamen esse sanabilem: quando quidem in corpore sanandus simplici fiducia sequebatur, & dabat gloriam deo, & doctrinam Euangelicam, tamen nondum intelligeret, tamen non auersabatur: contra pharisæos & scribas, quum tenerent prophetas & scripta legis, tamen obcæcatos mundanis cupiditatibus, oblectari etiam doctrinæ Euangelicæ, quam intelligebant contrariam traditionibus maiorum, et inutilem suis usibus: tactus est optimus pastor affectu misericordiae, quod conspiceret illos similes ouibus, palantibus, dissipatis, & destitutis, quæ pastore carent, sed temere uagantur huc et illuc. Sic nobis quoq; gloriæ dei zelus, et animarum salus cordi sit, ut optemus homines peruenire ad ueritatis agnitionem, doleamus si eosdem impediri uidemus. Id autem agamus uiuis & ardentibus affectibus, secundum suum uerbum, pro modulo uirium nostrarum suum quisq; officium agat. Nichil enim æque miserum est, atq; doctrina ueræ pietatis carere. Vnde uidentes hodie destitutas oves pabulo ueritatis, misericordia moueamur ad succurrendum, orando, legendo, discurrendo, hortando, prædicando, scribendo, imprimendo liberos utiles & sacros, quisq; iuxta gratiam dei in se per spiritum sanctum excitandam & adiuuandam, ad solius dei gloriam, non ad quamcunq; uanitatibus auram, uel satiandam cupiditatem, aut auaritiam, ueluti fideles pastores regis Christi curam habentes.

Zelus animarum

Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autē pauci. Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam.

Consyderans Christus in pharisæis lupos agentibus non pastores, nullam esse charitatem gregis, iamq; populum miraculis utcunq; præparatum ad accipiendum doctrinam Euangelicam, dixit discipulis suis, quos iam aliquam multos collegerat: Messem quidem multam uideo, cæterum operarios admodum paucos. Rumor Euangelij quaqua uersum sparsus est, excitatus est ardor plurimorum, qui maturi uidentur audiendæ Euangelicæ philosophiæ: sed ubi sunt qui suscipiant prædicandi docendiq; negotium? ubi qui pure sincereq; doceant, neq; gloriam humanam, neq; quæstum affectantes, sed ea sinceritate tradentes, qua me uidetis tradere? Certe non oportet negligere tantam hominum multitudinem, iam flagrantem studio doctrinæ cœlestis. Quid igitur super est, nisi ut rogetis dominum messis, ut operarios etiam cessantes ac detrectantes extrudat in messem suam? Urget enim occasio, nec est tuta contatio. Scio uobis esse gratius hæere mihi, sed tempus est, ut & uos aliquod uestri specimē præbeatis, & quod à me accepistis, in aliorum salutem incipiatis expromere.

CAPVT X.

A Marc. 3. b
Luce 6. b. c
T conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum ut eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

Commemorauit hætenus Euangelista pleraq; quæ Christus dominus gessit & docuit. Iam uero dixerat de messe magna, in quam extrudendi essent qui operari possent: nunc se declarat dominum messis, mittens duodecim quos ad hoc elegit, specimen ædens sui spiritus, quo ecclesiæ perpetuo præsens doctrina & operibus salutiferis, ipsam nunquam desitui patitur. Quia uero domino uisum est, ut legem Mosaicam & propheticam doctrinam, ita & Euangelicam orbi magnificis signis commendaret, dedit his suis electis apostolis uirtutem pellendi & dæmones & morbos quoslibet. Eorum ergo qui mittuntur potestas, non ab homine sed à deo est, aduersus immundos spiritus, ut eos eijciant, non propria sed mittentis uirtute, nec non & aduersus omnem morbum ut sanent eos, sed eadem diuina non sua uirtute, ut nullus ex dono ullo gloriatur. Multa est igitur distantia inter habere & tribuere, donare & accipere. Iste quodcunq; agit, potestate domini agit: illi, si quid faciunt imbecillitatem suam & domini uirtutem confitentur, dicentes: In nomine Iesu surge & ambula.

Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc, Primus Simon, qui dicitur Petrus & Andreas frater eius, Philippus & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi & Ioannes frater eius, Thomas & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi & Thaddæus, Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum.

Catalogus apostolorum ponitur, ut extra hos qui pseudapostoli futuri sunt excludantur. Apostolorum autem ordinem et meritum uniuscuiusq; illius sit ut distribuere, qui cordis arcana rimatur. Primus scribitur Simon cognomento Petrus, ad distinctionem alterius Simonis qui appellatur Cananæus, de uico Cana Galilææ, ubi aquam dominus uertit in uinum. Iacobum quoq; appellat Zebedæi, quia & alius sequitur Iacobus Alphæi. Et apostolorum quoq; parricidia

ria iugacq; confociat. Iungit Petrum & Andream fratres, non tam carne quam spiritu: Iacobum & Ioannem, qui patrem carnalem relinquentes patrem uerum ac coelestem sequuti sunt: Philippum & Bartholomæum: Thomam quoq; & Matthæum publicanum. Ceteri Euangelistæ in coniunctione nominum primum ponunt Matthæum, & postea Thomam, nec Publicani nomen adscribunt, ne antiquæ conuersationis recordantes, sugillare Euangelistam uiderentur. Ille uero et post Thomam se ponit, & publicanum se appellat, ut ubi abundauit delictum, superabundet & gratia. Simon Cananæus ipse est, qui in alio Euangelista scribitur Zelotes. Cana siquidem zelus interpretatur. Thaddæum apostolum Ecclesiastica tradit historia missum Edessan ad Abgarum regem. Cho-
 fidene, qui ab Euangelista Luca Iudas Iacobi dicitur, alibi appellatur Lebbaeus, quod interpretatur corculum. Credendumq; est eum fuisse trinomium. Ad Iudam autem cum uenisset, non dixit pollutus ille inimicus dei, & sanguinarius proditor, sed Iscariotem illum nominauit à patria. Erat enim & alius Iudas Thaddæus.

Hos duodecim misit Iesus, præcipiens eis, dicēs: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel.

Per huiusmodi legatos aggressus est Christus orbem uniuersum innouare ad philosophiam Euangelicam, pauperes, rudes, humiles piscatores, peccatores & obscuros, ne quid in hac laude sibi mūdus uindicaret, si per eruditos, potentes, opulentos, nobiles, rem coelestem fuisset auspicatus. Nūc operæpretium est audire, quid illis mandauerit, quoue uiatiko suos legatos instruxerit. Ac primum quidem præscribit eis prædicandi limites, uetatq; ne Iudæam egressi, con-
 ferant sese uel ad gentes finitimas, uel in ciuitates Samaritanorum, quos abominabant Iudæi. Non quod Iesus ullum hominum genus abominandum duxerit, sed ne uideretur offensus iniurijs pharisæorum uindictæ gratia suos ablegasse ad exteros: neue Iudæis daret ansam causandi se indigne spreto, sibiq; fuerat promissum Euangelium, ut filijs regni, quorum erant propheta & patres, primum ueritas prædicaretur & regnū dei, sed mox cum se illo indignos fecissent, transferretur ad gentes, prout Paulus & Barnabas illis testati sunt, iuxta scripturas omnium prophetarum, qui id prædixerunt, Iudæis suum Messiam primum offerendum, sed ab ipsis contemptum, principem & caput mundi & omnium gentium constituendum, demum tamen & Iudæos ad illum reuocandos. Voluit ergo Christus nihil excusationis relinqui Iudæis, sed omnibus esse perspicuum, eos suapte peruersitate submotos à regno dei: gentes autem sua simplici credulitate fuisse receptas. Ab illis igitur, inquit, abstinete in-
 terim: ite autem potius ad oues perditas gentis Israëliticæ, ut resipiscant ad salutem. Nec enim omnes pharisaica sunt malitia, sunt et inter hos oues simpliciter & per ignorantiam errantes, quæ doctæ monitæq; facile resipiscant ac uocem audient boni pastoris.

Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum caelorum.

Voluit dominus ad eundem modum Euangelicam prædicationem ab apostolis auspicari, atq; prosequi, quo Ioannes & ipse Christus fuerant auspicati,

iam iam scilicet resipiscendum esse, quia appropinquasset regnum caelorum. Hæc autem summa dumtaxat & caput prædicationis Ioannis, Christi, & apostolorum fuit, quod diligenter animaduertendū ne quis putet eos ista sola uerba, Appropinquauit regnum caelorum, Resipiscite, prædicasse. Verum de his ipsis rebus & summa Euangelicæ doctrinæ, quam complectuntur, dictum est, ut resipiscentes à uita ueteri se præpararent ad nouam, quando primus iustitiæ gradus sit abstinere à peccatis, ut primus ad sanitatem agnoscere morbum.

Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, demonia eijcite: gratis accepistis, gratis date.

Ne uestris auditoribus fides desit, & obscuris doctoribus uobis ac noua doctentibus, miraculis ædendis doctrinæ fidem astruite, quemadmodum uidistis à me factum. Sanate agrotos uirtute mei nominis, & modo medicis reliquis non consueto, subito, & per miraculum uirtutis meæ. Excitate mortuos, dum id fidei promouendæ & gloriæ dei propagandæ uideritis oportunum. Mundate leprosos, non ut sacerdotes tantum declarantes mundatam luem, sed uirtute mea, & uestro iussu, sine medicorum naturali arte curate, et sacerdotibus iudicandam lepram transmittite. Eijcite demones ab obsessis hominibus, similiter mea uirtute & nominis mei. Hæc quidem maxima sunt, tamen uobis ex mea uirtute perficienda dabuntur, conciliabunt authoritatem doctrinæ uestræ, & uobis ad propagationem regni caelorum, ad agnitionem gratiæ dei per me munda do largiendæ. Huiusmodi modis allicietis imbecilles, quos sic attrahi ad doctrinæ uestræ fidem nunc oportebit, donec cum tempore fides & ueritas eatenus inclarescant, ut miraculis opus non sit. Vos interim caute, ne his, uel ad inanem gloriam, uel ad quæstum abutamini. Ut à me gratis uirtutem & doctrinam accepistis, ita gratis date. Ne uel minima gloriæ quæstusue suspitione contaminetis Euangelicum munus. Ita demum uos uerè magnos homines iudicabit, si conspexerint tanta potestate præditos, nec intumescere fastu, nec tangi cupiditate lucri, eaq; fortiter contemnere pro quibus uulgi hominum nihil non & facit & patitur. Non sunt à uobis uendenda aliena beneficia. Deo foenerari debent diuina beneficia, non nobis. Quid enim non gratuita dei bonitate ante accepimus?

Gratis bene a-
gendum.

Lucæ 10. c
& Timoth. 5. c

B Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis uestris: non peram in uia, neq; duas tunicas, neq; calciamenta, neq; uirgam: dignus est enim operarius cibo suo.

Si gratis accepta dei munera, gratis quoq; ad dei gloriam & Euangelij profectum reddideritis, si pro mercede prædicationis pretium non acceperitis, superflua uobis erit aurum argentiq; & numerorum possessio, quæ si haberetis, uidebimini non causa salutis hominum sed causa lucri prædicare. Vnde si etiam pro tempore & causis aurum habueritis, nolite illud possidere ut proprium, sed ut egentibus ilico exponendum, pro charitatis & fidei lege quæ id requirit, & à uobis docenda est, cum multa diligentia. Quin & uite necessaria non uestra sollicitudine assequemini, sed eius prouidentia fidei & sancta, cui fideliter ministratis, quo minus de crastino uobis cura incumbat. Cœlestia docebitis, nolite curare terrena. Vos tantum curate munus delegatum, necessaria uobis uitæ ultrò suppetēt à patre cœlesti, illius agitatis negotium, non sinet operarios fraudari mercede sua, in diem & secundum naturam uiuentibus facile suppediatur necessitas. Nec deerunt qui sponte suppeditent talia patrantibus taliaq; doctentibus.

Curarum resipiscatio.

centibus. Ita fiet, ut nec uos huiusmodi curis torqueamini, quæ & minuunt uestram auctoritatem, & suspicionum reddant obnoxios; nec ij quos docetis ingrati sint erga uos, à quibus longe maiora accipiunt. Vult ergo his uerbis Christus apostolos suos & uiros apostolicos instructos esse fide in dominum, cui fideliter seruiant, qui necessarijs non patietur indigere, aurum & diuitias quaslibet non attedere, de pecunia in suis crumenis nihil cogitare, in crastinũ nil reponere, superfluis non uti, nec tunicis nec calciamentis, curiosa pretiosa superflua ex animo odire, nihil ducere antiquius quàm dei gloriam promouere & salutem animarum, regnum dei prædicare, uerbis & exemplis fideliter & sine omni hypocrisis, sine otio inerti, & cupiditate uel honoris uel lucri. Alioquin necessaria quidem sunt inter homines, aurum, argentũ, uictus & amictus, sed ea non sunt nisi ad præsentem necessitatem à regni cœlestis prædicatoribus sectanda, quibus abunde deus, cui seruiunt, prospiciet, ut necessarijs minime egeant, qui superflua non sequuntur. Is dominus suos ubique & per omnia seruos tuebitur, ab omni hostili insectatione tuebitur, instructos in bono semper uincere malum, facile relinquere propria, qui aliena minime cupiunt, necessarijs tantum abunde contenti. Hæc sic intellecta, perpetua sunt mandata, secundum literam uero temporaria: sicut & iussi sunt Samaritas negligere, ad quos tandem post Christi ascensionem mittuntur. Solidus sensus horum est, ut fideles Euangelistæ & Christiani omnes, quos docent, omnem uitæ suæ provisionem & defensionem patri suo cœlesti certa fide committant: ipsi uero integrim intendant iustitiæ fidei & operum, quisq; id pro suo statu in quem ipsum prouidentia dei ad pie agendum ordinauerit, expliciti omnibus superfluis curis huius mundi, solliciti eorum quæ sunt gloriæ dei & salutis, commodiq; proximorum & sujsipius.

In quamcunq; enim ciuitatem aut castellum intraueritis, interroga-
te quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis.

Lucæ 10. c

1. Timoth. 5. c

Docet regni dei prædicatorum pro doctrina sancta docenda circumeuntes, exemplo Christi delectum habere eorum ad quos diuertant hospites, & cum quibus uiuant. Positi enim in hoc sunt à domino, ut fructum plurimum adferant. Dispiciendum ergo illis est, ubi fructificare possint, & semen idoneo committere solo, non minus quàm agricola, quam terram aratro proscindat aduertit, bonoq; semine imbuat. Apud reprobos canes & porcos uerbum Euangelicæ doctrinæ promendum non est, unde & p̄ij homines huiusmodi impios eorumq; hospitia & mores ferre non possunt, nisi in casu necessitas cogat, ad instinctum boni spiritus, ad spem lucri spiritualis, ubi ipsis quamlibet malis, necessaria bona non grauatim ministrabunt. Dignum esse eum intelligit, qui testimonium bonum pietatis & humanitatis obtinuit ab eis qui foris sunt, ut spes apostolorum eligendus doceatur indicio uicinarum, & populi testimonio, ne prædicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur. Huiusmodi autem hospes, non aestimabitur beneficium tribuere ei quem suscipit apud se mansuro, sed accipere potius. Talis cum repertus uobis hospes fuerit, in eius ædes diuertite, non mutant hospitium, donec Euangelij negotium hortabitur in aulam demigrare ciuitatem. Neq; enim opus erit nec decorũ uobis subinde mutare hospitium, quasi uel leues sitis, uel appetentes mensæ lautitias, uel ingrati prioribus. Quæuis domus quiuis uictus sufficere debet uiris Euangelicis, qui didicisse debent abundare, & pati penuriam; non quæ corporis cogitare, sed

uictus prædicatorum.

quæ animarum salutis & dei gloriæ.

Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus digna, ueniet pax uestra supra eam: si autem non fuerit digna, pax uestra reuertetur ad uos.

Salutare do-
mum.

Salutare domum, est familiam totam domus non solum comiter, humanita-
ter, & humiliter alloqui & ei bene precari, sed & de timore domini, et Euāgelia-
co salutifero negotio instituire & docere, credentes & fideles in domo sanare
infirmos, et quod multo est præstabilius, annunciare saluatorem mundi ad cae-
se, cœlitus missum, & cœlesti disciplina instruere: pacem & salutem impreca-
re incolis, & quantum in ipsis est, discordiæ causas discutere, hortari ad meliora.
Huiusmodi spiritualia bona ibi seretis, fideliter & sine hypocrisis, nō pro lucro
quocumq; sed ad amplificationem regni cœlorum. Id agentes, magno thesauri-
ro ditabitur, quem omnibus uenditis debeāt uelle cōsequi, nedū sponte uos pas-
scere, & necessarijs prouidere. Si intra eam domum uel familiam filius pacis,
ac Euangelio dignus non fuerit, ad uos pax uestra, quam illis obtulistis deum
ac omnia cum eis habituri communia, reuertatur: mittite illos, & uestrum uos
bis Euangelium habetote: erunt nihilominus qui uos recipient alij, & pacem
quam offertis appetiunt cum salutari doctrina, per fiduciā in propitium
dominū, cuius uobiscum filij esse uolent, qui ita uos tractabunt, ut eorum quia
bus fuerit opus nihil omnino sitis desyderaturi.

Acto. 13. 2

Et quicumq; non receperit uos, neq; audierit sermones uestros, ex-
euntes foras de domo uel ciuitate, excutite puluerē de pedibus uestris.

Reijcientes E-
uangelium.

Ut isti ingrati deo & uobis uideant quantam domini dei gratiam à se reie-
cerint, repulsa uestra pace & societate, exeuntes de illorum domo uel ciuitate
progredimini in plateam, uel extra urbem, etiam puluerem de pedibus uestris
excutite, palam testificantes uos adeo nihil terreni commodi uenari ab his qui
reijciunt dei Euangelium, ut ne puluerem quidem uilissimum, qui pedibus he-
sit uelitis uobis imputari. Non est enim sanctum dandum canibus, neq; marga-
ritæ proijciendæ sunt porcis. Tantum illud ingratis istis ingerite, uelint nolint
instare regnum dei, magno bono eorum qui receperint, summo malo eorum
qui fuerint aspernati. Nihil commune habeatis cum talibus, quando audien-
tes appropinquasse dei regnum, adfuisse Euangelium gratiæ, Christum promi-
sum in lege & prophetis, miserī omnia suscipere recusarunt. Vnde & ad gena-
tes transferetur dei regnū, quæ illud cupidissime amplectētur, quod nunc uos
auerfamini. Id autem non impune agent impij illi.

Amen dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomor-
rhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.

Ob huiusmodi ingratiudinē & impietatē manebit illos in die iudicij mul-
to grauior ac durior ultio, quàm Sodomitas & Gomorrhitas, quia oblatam ul-
tro domini gratiam repulerunt, longe atrociori excidio delendi Iudæi, Chris-
tum recusantes, & gehennæ ignis æterno supplicio afficiendi prædicuntur,
cuius ueluti typus illi Sodomitæ erant, per sulphur et ignem de cœlo pluentem
sublati. Dies quidem ut plurimum nouissima intelligitur uniuersalis iudicij, ra-
men & particulare iudicium graue imminens transgressoribus populis: & il-
lud dicitur saepe iudicij dies, dum puniuntur scelesti, & uerbi domini contem-
ptores.

ptores. Id quod Iudæis cōtigat per Romanos, qui ultionem grauiorem sumpserunt de eis, quæ fuerat Sodomorum, qui subito igne extincti sunt: isti uero lentis & atrocissimis cruciatibus sunt confecti. Quo enim maior est clemētia dei, tot miraculis tot beneficijs prouocantis illos ad pœnitentiā, hoc grauius puniuntur, si reiecerint.

Ecce ego mitto uos, sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Luce 10. 4

Nullum ouibus præsentius est periculum, quàm cum in lupos inciderint: ita extrema uobis imminere uidebitis, quamlibet mihi charissimi sitis, à quibus tamen periculis et malis uos certissime liberabo grandeque miraculum edam, ut non solum à lupis non lædamini, uerum etiam multos ex eis eo adducturi estis, ut abiecta lupina rapacitate, agni uobiscum reddantur. Interim tamen uobis necessaria erit prudentia, qua sic inter illos lupos uersemini, ut negotio uestro nusquam desitis, rursumque ea simplicitate, ut omni dolo malo uacetis. Serpentes nihil est in animantibus astutius: columbis nihil candidius, nulli natum struere dolos aut insidias. Ouibus ergo similes sunt Christiani, ut nihil sibi profermere ualentes, à solius Christi pastoris fide & charitate curaque pendeant: inspicere quoque sunt, & iniuriæ uiolentorum expositi, simpliciter se committunt protectioni & defensioni diuinæ, tum uerba & facta cuncta ad frugem spectant ferendam proximis, ut oues plurimum commodi afferunt omniquaque, ut in uile nihil teneant. Sic charitate Christiana fideles uiuunt sibi & alijs, iniuriam quoque nec inferunt cuiquam nec referunt, omnem uindictam domino relinquentes. Lupi autem dicuntur homines carni uiuentes, propter ferum studium proprii commodi, cuius causa uiolant ius omne & fas. Agite ergo circumspecte omnia & caute, constituti inter lupos, ne quid peccetis & incommodi aliquid incidatis, studentes doctrina & exemplo prodesse multis: præmoniti ergo sitis, ut cum periculum luporum incideritis, non quasi nouum perhorrescatis, sed tanquam cognitum fortiores excipiatis.

Cauete autem ab hominibus. Tradent enim uos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt uos, & ad præsidēs & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus.

Excitabit uestra doctrina magnos in orbe tumultus, quo uobis magis cauendum, ne quid uestra culpa natum uideri possit. Non poterit autem, si uos gratis communicantes omnibus bona uestra, erga malos etiam seruetis mansuetudinem, ac bene merendi studium. Cum huiusmodi igitur pessimis hominibus uobis agendum erit, qui instigati à satana, Christi hostes sunt, innocentiam impugnant, & impietatem propugnant. Hac quoque causa mouentur reges quoque & principes contra pietatem, quam si saperent ut deberent, pro uiribus illam plantarent, cum nihil sit æque tolerans onerum, patiensque iniuriarum, nihil magis morigerum, & ad conseruandum statum reipublicæ idoneum, ut uera pietas, quæ ualet ad omnia. Vnde & qui uere sunt Christiani, principibus per omnia obtemperant, adigentibus ad unum miliare parati sunt ire duo, dare nihil recusant, alios ad idem hortantur, sedulo orant pro salutem omnium, tantum pietati student, sacrum & necessarium uerumque dei cultum pro

Pij seruantur
à Christo.

Obedientia
quieta sanctorum.

mouere contendunt. Sed est mundi princeps, cui nihil æque inuisum est ut pietas. Is complices suos in sanctos concitat, Christianos detestatur, quos ducit in concilia & synagogas, ut flagellentur tanquam malefici, quasi scelerati flagrantur, & ut reipublicæ subuersores producantur ad præsidēs, pietatis tantum causa. At hæc omnia, ait Christus, cum prohibere liceat, fieri tamen patiar, ut omnibus testatum sit ac perspicuum, illos suo prope uitio perire, qui tot miraculis, tot beneficijs, tamq̃ obuia doctrina, uestra simplicitate lenitateq̃ prouocati, tam odiose reiecerunt salutem oblatam. Interim uero in singulis prætorijs ueritas prædicabitur, Iudæorum perfidia ostendetur, gentibusq̃ ad salutem credentibus pietatis mysterium reuelabitur.

C Cum autem tradent uos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini, non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis.

Audientes discipuli se constituendos ad principes & iudices, dicere poterant, Nosti domine nos homines piscatores, & sine literis, coram eruditis & eloquentibus nihil posse respondere: non nos loqui docuisti, sed credere: non nos inuenisti in scholis legentes, sed retia in mare proiciētes: conscientias non eloquentias nostras elegisti. Quibus Christus respondet, Mea ista est causa, deus non indiget humano auxilio, uos mihi personam præstate, ego uobis sensum. Si ex uobis loquamini, secundum uerbum uestrum respondebitis. Simite potius ut in sua causa loquatur deus in uobis, qui conscientiam interrogantis agnoscit. Verum non uult dominus quamlibet de defendenda ueritate cogitationem uetare, sed sollicitam tantum anxiam ac trepidantem. Pius enim dies noctesq̃ meditatur in lege domini, ut non tantum uita sua exprimat, sed etiam ut eam alijs commendet. Causa hæc patris est, patronus spiritus sanctus, qui in uobis loquitur, is nulla anxia cura uel studio reddetur eloquentior. Securos autem defensionis reddere uoluit suos dominus, non negligentes: solitudinem diffidentem eximere, non ueritatis fidelem meditationem. Prodit ergo uocati, iussi respondete, ne merito uos arguant contumaciæ, sed respondete simplicitate & fortiter, confisi de domini spiritu, non oratione meditata, sed quæ fortitudinem præ se ferat cum prudentia modestiaq̃ coniunctam. Etiam nihil præmeditatis dabitur in tempore oratio, nõ ornata, sed prudens et efficax, dignaq̃ Euangelio. Spiritus patris uestri loquetur per ora uestra. Huius igitur præsidio fretos, non oportet ullis malorum procellis commoueri.

Patrocinium ueritatis.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgēt filij in parentes, & morte illos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit.

Doctrinarum tumultus.

Tantis tumultibus mundus insurget aduersus doctrinam meam, ut frater oblitus germanæ charitatis, fratrem adacturus sit in mortem, ut pater oblitus pietatis naturalis filium accersat capitis, ut filius abiecta omni reuerentia, coorietur contra patrem, eumq̃ morte afficiat. Quid multis, nihil in mundo tutum esse potest illis, qui Euangelium propagare uolent. Omnibus, inquit, inuisi reddemini, propter odium nominis mei. Non fert enim mundus ambitioſe, superbiam, auaritia, libidine, cæterisq̃ terrenis cupiditatibus undiq̃ corruptissimus doctrinam cœlestem, nimirum aduersantem studijs ipsius: & atrocius

eius crimen erit esse Christianum, quam parricidam aut ueneficum. Has turbas excitabit diabolus aduersus Euangelium, sed nolite diffidere, uincet diuina sapientia malitiam humanam, uos modo fortibus & infractis animis pertendite ad negotium uobis delegatum. Nam qui inter hæc mala perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Neque enim oportet ullis terroribus fractos Euangelij negotium relinquere. Nihil est omnino periculi, nisi uos deficiat animus Euangelio dignus. Hæc autem consolatio salutisque promissio, quantalibet pericula fuerint, si modo fides adsit, abunde animos potest erigere. Etenim qui domino sui tutelam committens in finem usque sustinuerit, is tandem saluus fiet, quamlibet in mortem traditus, & morte affectus, atque odio habitus sit omnibus. Sustinendo non repugnando hæc salus aditur. Quam o si credere detur esse dei promissionem, fide hic non interpretatione est opus.

Cum autem persecuetur uos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico uobis, non consummabitis ciuitates Israel, donec ueniat filius hominis.

Christiani ut gloriæ dei uiuunt & loquuntur, & omnia agunt, ita etiã Christum imitati & apostolos, secundum tempora & causas fugient uel consistent spiritu sancto ducti. Christus uero his uerbis non tam fugam periculorum præcepit, quam festinantem migrationem ex ciuitatibus indignis uerbo ad eas quæ dignæ illo essent. Viuent quidem sancti usque ad horam à domino constitutam. Fugere tamen nonnunquam deus uult suos pericula, si quidem hoc medio seruare tales statuerit. Indicat autem his uerbis potissimum præproperam fugam suscipiendam in tempore, ut diutius & magnificentius ad dei gloriam euangelizando proficiant, in hunc sensum: Si qui Euangelium salutis quod offertis à domino missi, non sustinuerint suscipere, sed persecuti uos fuerint, cito illos obmittite, thesauro tanto indignos, sed concedite potius ad alios cito, ubi plurimum fructus afferatis: semper enim erit quod prædicatum ire licebit. Nam uel paucas Israëlitas urbes, ad quas nunc uos ablego, non poteritis prædicando omnes percurrere, & Euangelij participes efficere, donec filius hominis ueniat. Semper ergo locus relinquetur uobis Euangelium prædicaturis, quamlibet multis locis pellamini. Nullas igitur moras nectite eis locis, ubi indigni uerbo uitæ uos repulerint, euestigio uero aliò properate, satis locorum uobis erit ubi durare possitis, usque dum gloriosus orbem iudicaturus rediero. Quin & Iudæi iudicem suum experti sunt in gentis suæ horribili uastatione, & urbis euerfione, quia saluatorem in tempore gratiose uisitantem agnoscere noluerunt, experti eum esse dei filium & iustissimum ultorem, simul & orbis totius regem & dominum, cui reges obediunt.

Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum: sufficit discipulo ut sit sicut magister eius, & seruo, sicut dominus eius. Si patrem familias Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius?

Vulgo creditur et dicitur, satis bene agi cum discipulo et seruo si habeatur sicut suus præceptor & dominus, quandoquidē multis ne huc quidem nedum ultra perueniendi sperare licet. Si igitur contigerit uos haberi, ut equidem habitus sum & habeor, nihil adhuc mali uobis accidisse uidebitur. Considerate

Fuga persequutionum.

Lucæ 6. f
Ioan. 13. b. 15. 6

ergo me dilectum patri filium, cui indubie et bene uult & bene facit: ita tamen exercet per malos, ut grauissime persecutionem nunc patiatum factis, extremum paulò post supplicium subiturum. Quin & quæ ad dilecti populi salutem uerissima & salutaria loquitur, illi demoniorum uirtuti malitiose ascribunt, ipsum uocantes Beelzebub, & ignominiosissime dicunt me habere dæmonium. Id autem exercitij mei, quod patre imponente suffero, hoc pacto geritur, ut dum lædere me per maximam iniuriam putant, promoueant meam felicitatem. Idem uobis quoque usu ueniet, ubi mei discipuli perseverantes propter nomen meum, ab illis persecutionem sustinebitis. Perpendendum itaque hoc loco, quid nostri causa Christus pertulerit ipsa iustitia & sanctitas. Quid nobis neget, aut si defere possit pro quibus tanta pertulit? Deinde si ipse tam male audit, quo nihil fuit unquam inculpatius, nihil esse mirum, neque nobis debere graue uideri, cum & nos falso infamamur, qui in sanctis quoque nostris operibus defectuosi inuenimur. Domesticos autem uocauit suos discipulos, suam erga illos familiaritatem & amoris dulcedinem immensam contestans.

Marci 4. c

Luce 8. c

32. d

Ne ergo timueritis eos. Nihil enim opertum est, quod non reuelatur: & occultum, quod non sciatur. Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

Prouerbium & id quoque est in hunc sensum, hoc loco: Nihil tectum est quod non tandem retegatur, ita & mea doctrina & Euangelium regni habebit. Hoc cum mundo occultum sit, propalandum tamen erit, & quidem per uos meos apostolos, qui in luce & super tecta, hoc est quam maxime luculenter & clare orbi prædicare debetis, quæcumque in tenebris & in aurem, id est quantumlibet secreto à me dicta percepistis. Id autem facietis, non sine sæuissima persecutione à mundo sustinenda. Iubeo autem uos non timere illos, quod nihil plus in uos possint quam in me, me autem adeo lædere nequeunt, ut gloriam meam suo furore promoueant. Sufficiat ergo uobis, si ad hunc modum pater meus res attemperet uobis discipulis meis, uti mihi attemperauit uestro magistro, nec dubitate uos simile passuros, si in discipulatu meo probe perduraueritis, nempe sæuitiam impiorum.

Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

Nostra doctrina fucos nescit, uult in lucem proferri, non ueretur cuiusquam conscientiam. Sed erunt fortasse qui contemnant infamiam, cæteraque mala, mortem uero quis posset contemnere? Istos uero iure timeretis, si totum hominem possent occidere. Vos autem qui nostis corpus uilissimam esse partem hominis, animam quæ potior est hominis portio, nequaquam ab istis lædi possitis, quantumuis sæuiant, non est quod illos metuatis. Magis læderent, si non occiderent sibi obsequentes, quam si occidant contempti. Ostendam uobis qui magis sit metuendus, eum metuite, qui ut totum hominem condidit, ita potest totum hominem eterno damnatum exitio tradere gehennæ. Quanquam corpus quod ad tempus extinguit tyrannus, non omnino perit: reddetur enim in resurrectione longe melius, sed idem. Hacenus igitur corpus dumtaxat periclitatur, si constanter obtemperantes iussis meis contingat occidi. Cæterum si Euangelium deseratis, iam non corpus solum perit, uerum & anima tradetur æternis

ternis incendijs. Quid autem refert, utrum persecutor auferat uitam, an moribus, alijsue casus? Certe gloriosius est ob Euangelium mortem oppetere, quæ quanquam est uiolenta, non tamen ueniet absq; prouidentia dei. Vnde fit, ut si conemini uitare non possitis. Non patietur deus uos occidi, nisi cum maxime uobis expediet mori. Quare hanc quoq; formidinem omnẽ ex animis pro pellite, deus hoc quoq; curabit, cui non est difficile uobis immortalitatem largiri, nisi maius esset mortem contemnere quàm effugere.

Nõne duo passeress affe ueneunt, & unus ex illis non cadet super D terram sine patre uestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numeri sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis uos.

Hæret sibi sermo dominicus, & sequentia pendent ex superioribus. Est autem hic sensus: Si parua animalia & uilia usque adeo absque deo auctore non decidunt, & in omnibus est prouidentia, & quæ in his peritura sunt, sine dei uoluntate non pereunt, uos qui æterni estis, non debetis timere, quod absque dei uiuatis prouidentia. Iste sensus & supra dictus est, Respiciate uolatilia cœli, quoniam nõ serunt &c. Nõne uos pluris estis illis? Quod si, inquit, uos multo pluris estis patri passeribus innumeris, nõ est quod metuatis, ne quid in uos possint homines, secus q̃ illi uisum est, qui uestri iugem habet curam. Huic igitur uitæ mortisq; uestræ curam relinquite, nec ullo metu malorum, quæ possunt hominibus inferre, deterreamini à publica p̃fessione mei nominis, quamlibet inuisi mundo. Miram hic locus habet consolationem, docens deum omnia dispensantem, cuius prouidentia omnia quamlibet minuta proueniunt. Is pater est credentium bonitate incomparabili &c.

Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est.

Marc. 9. d

Luce 9. c. 12. b

2. Timoth. 2. b

Optabilius nihil est prædicanti Euangelium & audienti, hoc est discipulo Christi, quàm coram patre cœlesti agnosci et commendari à filio. Debemus ergo & nos illum uicissim Christum agnoscere, & coram hominibus prædicare, quamlibet id carni uideatur periculosum. Quod si nos eius atq; sermonum eius puduerit in hac generatione peccatrice & adultera, quod est ipsum negare, pudebit eum quoq; nostri, & nos suos esse negabit, ubi uenerit in gloria patris sui cœlestis iudicaturus uiuos & mortuos, cū angelis suis. Negabit autem nos iure optimo suos fuisse, qui prætulerimus gratiam & fauorem mortalium peccatorum, & à creatore adulterantium, gloria & gratiæ Christi, & patris cœlestis: qui tamen Christus dominus noster, nostra causa mortem dignatus est oppetere. Et quid certè magni fecerimus, si etiã Christum confiteamur, & prædicemus coram mortalibus malis & impijs, unde sibi modica gloria accrescit cum interim ipse nos ad nostram immensam gloriam agnoscat coram suo patre & omnibus angelis, ut simus beati in cœlis semper? Nihil minor erit Christus etiam si nos eum non confessi fuerimus coram impijs, at si nos ipse neget coram patre suo & nostro, actum de nobis erit. Coram electis uult se Christus prædicari ad salutem, coram malis uero & adultera generatione, ut impietatis suæ impij conuincantur.

Christum confiteri et negare

Luce 12.f
Mich. 7.b

Nolite arbitrari quia uenerim pacem mittere in terram: non ueni pacem mittere, sed gladium: ueni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurū aduersus socrum suam: & inimici hominis, domestici eius.

Disidium euan-
gelicum.

Prædixerant prophetae miram futuram pacem in regno Christi, & rerum omnium beatam tranquillitatem, Isaia 11. & 9. Habitabit lupo cum agno &c. quibus quia hæc prædicta à Christo parum responderant, ideo occurrit discipulorum cogitationi, pacem externam expectantium. Non est, inquit, facilis res professio Euangelij, præmia quidem ingentia, sed ad hæc prætinacibus animi studijs grassandum est, non contingent otiosis ac cessantibus, uiolenta manu sunt assequenda. An putatis quod uenerim ut in terris seram pacem inter homines? Luge secus habet, imò nō ueni ut seminem pacem & concordiam, sed gladium & bellum, etiam intestinum & domesticum, non modo ciuile. Quum enim Euangelica doctrina plerisque sit inuisa futura, & hæc tam ardens sui studium requirat, ut oporteat omnes humanos affectus quantumuis impotentes cedere, fieri non potest, quin magna dissidia inter coniunctissimos etiam exoriantur, dum & ij qui mundum deamant, citius sauient in sibi charissimos, quam uitia sua quibus asueuerunt relinquunt: & quos semel attigit ardor Euangelicæ charitatis & fidei, nullis affectibus se patientur auelli ab eo quod coeperunt amplecti. Sed felix dissidium quod sincera prouehit, putria refecat: felix gladius, qui noxias cupiditates omnes ab animo recidit. Hic tumultus mihi imputetur non uobis, qui dato pharmaco corpus omne perturbarim, sed ita, ut qui belligerantur aduersus affectus suos odio nominis mei, sibi debeant imputare non mihi. Omnibus offero salutem, quam si amplectantur omnes, nullum erit dissidium. Per se quidem Euangelium res est pacifica, sed aliorum uitio concitatur seditio. Ut pharmacum per se res est salutifera, sed interim in corpore mouet tumultum, dum consulit omnium membrorum tranquillitati. Verum expedit amputare noxia, quo magis inter puros constet uera sancta concordia. Hunc igitur gladium defero in terram, qui dirimat concordiam naturalem inter filium & patrem, qui dissecat naturæ coniunctissimum uinculum, & inter filiam & matrem, qui distrahat concordiam inter socrum & nurum. Nullus est naturæ aut amicitia nexus tam tenax, quem hic gladius non queat dirumpere. Quos domestica consuetudo fecerat homini coniunctissimos, hos Euangelij gladius inimicitia subita diuullet. Sed hætenus constabit hoc bellum, ut qui stant à nobis contemnant tantum hostes, non lædant autem, quod quidem in ipsis est, seruent etiam si queant. Et hætenus consistet contemptus, nō ut fastidiant, sed ut modeste reddita ratione non obtemperent iussis impijs. Vobis danda est opera modis omnibus, ne per uos turbetur communis reipublicæ status, ne desitis officio, quod filius patri, quod filia matri, quod frater fratri, quod maritus uxori, quod affinis affini, quod amicus amico, quod familiaris familiari debet ex lege naturæ. Non enim abrogo naturæ legem, sed perficio. Publicis magistratibus in omnibus obtemperandum est, nisi cum præscribunt impia. Vocant in ius, eundem est; exigunt rationem, reddenda est. Sin iubeant imolare simulachris, inuocare diuos, erigere aras diuis, negare Christū saluatorem, si imperent cessare à prædicando nomine & uerbo ueritatis, nequaquam est obtemperandū. Nec sunt cōuitijs irritandi, sed sobrie reddenda

Pax et concordia Ecclesiastica.

clenda est ratio, cur magis deceat obtemperare omnium principi deo, quam humana potestati. Aequum enim esse, ut praescripta dei praescriptis hominum praeponderent. Quod si praescribant iniqua, sed quae non faciant impios eos qui obtemperent, tolerandi sunt, pro eis orandum, domino supplicandum, in cuius potestate sunt regum corda, peccata nostra huiusmodi meruisse, dominum sic nos exercere uelle, sicque prauenire ne prouocati durius sauiat. Quod genus sunt, si uestem aut pecuniam auferant praeter ius, si conijciant in carcerem, si flagris cedant. Haec enim adeo non auferunt pietatem, ut per occasionem augeant & illustrent uirtutem Euangelicam. Erit ergo in Christi regno pax & concordia, sed conuersorum ab impietate, sed sanctorum, et Christo obedientium, sed conscientiae tranquilla securitas, ut cunctis foris mundus et impietas sauiat, unde ueri Christiani non laedentur, nec turbabuntur, sed intra conscientiam deo confisi, perfecta solidaque pace semper duratura fruuntur.

Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

Expectandum ergo discipulis erat, ut a parentibus et filiis in mortem traderentur propter Christum, consequens erat quod inimicitiam horum propter Christum suscipere oporteret, ac eos in extremis malis deserere. Huic ergo natura affectus repugnat, ideo rite opus esse omnimoda sui atque rerum omnium ab negatione docet. Haec uero est illud odium, de quo Lucae 14. Si quis uenit ad me & non odit patrem &c. non potest meus esse discipulus. Idem enim quod hic sed uerbis minoribus affirmat. Qui enim Christum praeter omnibus diligit, is quoque posthabitis rebus omnibus gloriam illius unice promouebit: quo pacto simul animam quidem suam, nedum res alias in periculum adducet certissimum, & non raro charissimorum capitalis suscipienda illi inimicitia erit. Unde qui id non poterit, habueritque quicquam domino charius, is neque discipulus eius esse poterit, quia Euangelio promouendo studere non poterit ut oportet. Ceterum si cum Christo charas adeo personas seruare possumus, in nullo fidei nostrae obstrepentes, sed nostro potius officio indigentes, adeoque domesticos, et illos non summa charitate complecteretur. Dicit aliquis, Durum est huiusmodi affectus in parentes & filios pro Christo uincere, quos natura nobis penitus inseuit. Sed tales requirit Euangelii professio, fortes & masculos, quique nullis affectibus dimoueantur a caelesti negotio. Hanc uiam me uidebitis ingredi, eadem me sequatur oportet, qui se uelit haberi in numero discipulorum meorum. Nequit enim absque cruce & persecutione praedicari in mundo regnum dei. Quando propter nihil certius cruce manet eum qui serio uoluerit Christum sequi, illum praedicando, mundoque testimonium ferendo, quod opera eius mala sunt, Ioannis 7. Ad idem autem facit quod sequitur.

Qui inuenit animam suam, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

Quemadmodum praeposterus amor parentis aut filii odium est uerius quam amor, quum utriusque sit noxius: ita praeposteram curam seruandae uitae uerum est exitium uitae. Seruauit uitam qui religiose & propter dei amorem perdidit. Perdit qui male seruauit, qui deserto Euangelio, et me abnegato placuit iudicem, effugit carcerem, effugit crucem, euasit mortem, quum uideatur hominibus lucrifacere.

Lucae 14. f

Infra 16. d

Lucae 9. c

14. f. 17. g

Abnegatio sui

Ioan. 12. d

uitam lucrifacere.

fecisse uitam, uere iacturam uitæ facit. Rursus qui constanter adherens Euangelio, fortiter sese periculis omnibus ac mortibus obijcit, uidetur hominibus subire uitæ dispendium, quum is demum uitam lucrifecerit. Non perit anima quum ob Euangelij professionem occiditur, sed in æternum seruatur. Vere perit, si breuem in corpore moram impietate depaciscitur: quanquã ne tum quidem uiuit in corpore, quæ uiuit in uisa deo. Crux quoque propria cuiuscumque est, quicquid Euangelij causa unicuique ferendum dominus dispensarit, nõ autem quæcumque molestiæ aut castigationes, quas quis pro suo arbitrio eliget, ut sibi fingunt præpostere religiosi, qui cum in laboribus hominum non sint, & cum hominibus non flagellentur, satanæ crucem gestant multiplicem sine fructu & benedictione dei.

Lucæ 10. c

Ioan. 13. c

Qui recipit uos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.

Discipulos
Christi susci-
pere.

Consolatio necessaria superioribus infertur. Quasi diceret: Quantumlibet mundo sitis futuri odio atque omnium reiectamentum habendi, tanti tamen mihi eritis, patri quoque meo, & electis omnibus, ut qui uos receperit & uerbis crediderit, & uobis beneficia impendens me recepturus sit, atque adeo non solum me, sed & patrem qui me misit. Contra quoque qui uos reiecerit, me & patrem eadem opera sit reiecturus. Iam esse electos aliquot dubitare nõ potestis, qui uos suscipient atque ita habebunt, ut præter fidem quam uerbis uestris tanquam meis habebunt, quam in primis uos quæritis, sitis ipsi gloriaturi in media etiam persecutione, centuplum uos recepisse, quicquid propter me dimiseritis, siue parentes, siue uxores, siue liberos, siue domos, aut substantiam. Dotes namque quibus uos instituo, uestraque sinceritas, uobis ubique parabit domos, parentes, filios, cognatos, & amicos. Tot enim habebitis fratres ac filios, quot habebitis discipulos. Ut nunquam defuturi sunt qui uos aspernentur & persequantur: ita nusquam non erunt, qui uos sincero refocillent affectu. Atque ut illos, uobis non ulciscantibus, sed bene precantibus, olim grauissime puniet deus, uos se speretum interpretatur quum uos spernimini: ita his pro uobis etiam si nihil referatis gratiæ mercedem amplissimam reponet. Non enim uobis sed sibi uult imputari deus, si quid officij fuerit in uos collatum Euangelij respectu.

Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.

Qui dei prophetam uel iustum hoc nomine quod dei propheta ac iustus sit recipiat, iam hac beneficentia sua illi se quodammodo æquauit, ut pari loco cum propheta & iusto illo apud deum habeatur. Iuxta illud 2. Corinth. 8. ubi Paulus hortatur eos, ut ipsorum abundantia sanctis in Ierusalem communicaret, ut esset æquabilitas in presenti tempore, utrarumque diuitiarum spiritualium & temporalium. Ingens enim lucrum est spirituales ac perpetuas opes corporali temporarioque beneficio commutasse. Qui enim prophetam amplectitur propter uerbum dei & agnitam per eum domini uoluntatem diuinamque promissa, prophetæ mercedem accipiet, nimirum factus & ipse propheta: sic & de iusto. Antiam? Ab hoc lucro nec fortunæ tenuitas quenuquã arcebit. Hic enim affectus dantis æstimatur in ratione præmij non doni pretium. Christum sanè communitatem præstabilius Christo? quo inferior non est, qui in eius nomine prophetam eius

eius recipiet, quod sibi accepto relatum habebit Christus.

Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli: amen dico uobis non perdet mercedem suam.

Qui discipuli mei nomine cuiquam benefacit, magistro mihi benefacit, studiumque suum ad me declarat, meque uere possidebit, ac demum audiet, Sitiui & dedisti mihi potum &c. Veni & accipe regnum paratum tibi ab exordio mundi. Quae autem Christo ipso & possessione regni aeterni amplior merces uel excogitari potest, quae prophetam iustum uel discipulum excipientibus optima fide, & hoc nomine quod domini sunt, competere possit? Sic quoque qui sancta uel utilia operantem alit, ut operae eius ita & mercedis quam illa meretur partem sibi iure uendicat. Gratuitam autem dei repensionem mercedis nomine intelligit. Quis autem usque adeo tenuis est, ut non possit sitiienti porrigere aquam frigidam? Ut autem non refert quantum sit quod datur, sed quo affectu cuiusue nomine detur: ita non refert, quantus sit ille cui praestatur officium, hoc satis est, quod est meus discipulus, et quod meo id nomine agit, gratificari mihi cupiens, ut mihi possit imputari pro magno beneficio: ut inde intelligamus quanti Christo sint sui discipuli & amici, per quos Christum demereri possimus.

Marc. 9. f

Merces prophetae receptoris.

CAPVT XI.

Factum est, cum consummasset Iesus praecipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret & praedicaret in ciuitatibus eorum.

Cum finem fecisset dominus docendi & praecipendi discipulis duodecim, transiit ex loco illo in aliam, iam ab apostolis praeparata, qui abierant, ut doceret & praedicaret in eorum ciuitatibus, id est ad quas illi praemissi iam fuerant. Nam quia messis multa erat, prius autem solus ipse fuerat operarius, qui dominus erat, ipse bonitatem suam communicando, & potestatem largiendo faciendi miracula, ad ea loca praemiserat successurus. Multum sane dissimilis nos *Episcopi nostri* stris uulgo episcopis, qui ne per apostolos quidem euangelizare dignantur, curareque miseram plebem. Cum interim pulchre praemissa iam ante uerba ad se pertinere uelint, contententes Christum audiri atque recipi, cum ipsi audiuntur & recipiuntur, etiamsi nihil sani loquantur uel doceant, sed pro suo fastu uel quaestu pro arbitrio quicquid stantur: Christum sperni uolunt, si ipsorum commenta quis non adoret. Sed isti nimium se fallunt, cum neque discipuli Christi sint, neque prophetae, aut in nomine iusti ueniant. Abnegent prius semetipsos, & Christum sublata sua cruce sequantur, nihil agant aut loquantur nisi in nomine Christi, & ex spiritu patris, & audient eos prius in nomine Christi, atque digne excipient.

Ioannes autem cum audisset in uinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? *Luce 7. c*

Cum passim aeditis miraculis doctrinaeque mirabili indies magis ac magis increbresceret fama Iesu per uniuersam Iudaeam, & in Iordanis regionibus finitimis, ubi prius praedicauerat Ioannes ac baptizauerat Iesum, discipuli Ioannis iam dudum subinuidentes gloriae Christi, de quo nihil adhuc eximium sentiebant, quum de Ioanne nescio quid homine maius suspicarentur, renunciarunt

Ioanni in carcere, quantus esset successus omnium quæ gerebantur per illum quem paulo ante tinxerat in Iordane, cuius testimonium perhibuerat apud populum. Porro Ioannes uir absolute sanctimonie, gaudens iam euenire quod ipse prædixerat, suam opinionem quæ re maior erat decrescere, Iesu famam in dies inclarescere, sentiensque discipulorum suorum subinuidos affectus, ut illorum infirmitati mederetur, & ab se alienatos Iesu uelut in manum traderet, misit duos ex illis delectos ad Iesum, qui suis uerbis hæc illi referrent, Tunc es ille Messias, qui dicebatur aduenturus, an non es, quem esse prædixeram, an adhuc alium expectamus? Hæc faciebat Ioannes, non quod ipse adhuc dubitaret, sed ut confirmaret suorum animos, & immodicam de se suspicionem cum fide aboleret. Etenim si ipse negasset se Christum esse, & repetisset quod sæpe iam dixerat Iesum esse Messiam, discipuli modestiæ tribuissent, ex hoc magnificentiis de illo sensuri, quo magis sese deiecisset. Sciebat autem Iesum ipsum melius huic imbecillitati medicaturum. Monemur hic quoque, ut ad unum magistrum nostrum cœlestem dominum Iesum Christum cunctos ablegemus discipulos & auditores nostros, ne quis sibi quenquam discipulum uel addicat uel addici sinat. Ministros ueros Iesu Christi agnoscant se omnes cum Paulo, quotquot ueritatem docent. Pseudapostolorum est, seipsos magistros facere, & post se discipulos trahere, & non potius Christo remittere. Nihil proficientem: in uerbū dei, canonicā scripturam iurauimus iam dudum & iurabimus, illuc nostros discipulos remitemus, eidem submittemus doctrinam nostram, præter illam si quid dicitur, docetur, scribitur, urgetur, iudicabit sanctorum ecclesia, & damnabit omnes hominum adinventiones, & dogmata, sine scripturæ claræ & certæ autoritate obtrudenda.

Magister unus
Christus.

Et respondens Iesus ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis & uidistis: cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.

Iesus non ignarus certius esse testimonium, quod à factis proficiscitur, & à uerbis, præsertim si quis ipse sit testis, nihil quidem primum respondit, sed in illorum conspectu multis æditis prodigijs nouis & inauditis, sanans ægros, profligans impuros spiritus, restituens debiles, cæcorum oculos aperiens, ait illis: Nihil opus est ut de me qui sum pronunciem, tantum ite & renunciate Ioanni quæ uestris oculis uidistis, quæ uestris auribus audistis: cæci recipiunt uisum, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, dæmoniaci liberantur, mortui reuiuiscunt, denique iuxta uaticinium Isaïæ 61. omnia nunc implentur, quæ per Messiam agenda prædicta fuerant per prophetas. Dixerat enim Spiritus domini dei super me, eo quod unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis libertatem, & clausis apertionem carceris, ut prædicarem annum gratiæ, & diem ultionis deo nostro, ut consolarer lugentes &c. Et capite 35. Dicite pusillanimis &c. Tunc aperiuntur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc salietis, sicut ceruus claudus, & laudabit lingua mutorum &c. Ad hæc enim propheta nunc impleri, pro fide fulcienda discipulorum Ioannis. Pauperes nunc, inquit, & humiles uel mansueti nunc amplectuntur salutis æternæ nuncium, quem feroces

feroces & arrogantes aspernantur. Hæc, inquã, facta satis loquuntur, qui sim, nempe prophetarum oraculis dudum significatus, & à uestro magistro digito demonstratus. Beatus autem est cuius animo successus tantus Euangelij non præbuerit occasionem mali. Hoc adiecit Iesus, modeste subtaxans inuidiam discipulorum Ioannis, sed sic, ut non apud turbam pudescerent, sed taciti secum agnoscerent uitium suum, temperato modis omnibus responso, ut & ipse fugeret arrogantia suspicionem, & maiorem fidem faceret discipulis, illorū quoque affectioni mederetur potius quàm traduceret. Hodie quoq; multi in eo offenduntur eisdem de causis, quia nimiam humilitatem intuentur in Euangelij disciplinis & Euangelistis, quam mundi arrogantia non potest nõ fastidire. Et quia dei uerbum damnat præter se omnes doctrinas & traditiones humanas, uti & præter illud nihil boni & sancti est, pro quo offensi mundi huius amatores nihil æque execrantur ut Christum. Cruce quoq; Christi quæ illum semper comitatur, alienantur hi qui hic perdere animã suam timent, ideo & Christum repudiant, faciuntq; sibi iacturam uitæ aternæ.

Scandalum in ecclesia.

Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanẽ, Quid existis in desertũ uidere? arundinem uento agitatam? Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt.

Christus dominus ut uerbo patris quod Ioannes prædicauerat pondus adijceret, & turbas impœnitentiæ & fœcordiæ admoneret, uicissim Ioanni testimonium perhibet, sed in absentia discipulorum Ioannis. Sic autem intendit, En ante me insignem habuistis poenitentia prædicatorem hunc Ioannem, ad quem magnis turbis in desertum usq; egressi estis, sed adeo nihil inde meliores facti estis, ut sine causa profecti uideamini. Arundinis instar uobis fuit, uento agitata similem habuistis, quasi nihil certum aut firmum dixerit. Contemnitis enim quæ monuit, nempe securim ad arborem positam, atq; mox si distulerit fructus bonos ferre, excindendam. Non est arundo Ioannes, fixa dei sententia est quicquid dixit. Sed fortasse uisus est uobis delicatior, quippe qui mollibus uestiatur, à quo debueritis mollia & mundaniora audire. Sed alius omnino paruuit, si nihil aliud certe uel uestis illa ex pilis camelorum contexta mouere uos debuerat fortia esse & firma quæ docuit, ut sunt quidem, adeo ut omnem etiam humanam uirtutem superent, quippe totius uitæ renouationem, quæ sola dignos respicientia fructus tulerit ille præcepit. Cuius ipse exemplum præbuit arduum, locustis tantum uictitans & melle syluestri, pilis camelorum textus, zona coriacia cinctus; in quem non cadit inconstantis doctrina suspitio. Nec aulae regia familiaritas potuit illius institutum inuertere. Illum adulari ne scisse carcer arguit, quo nunc à tyranno detinetur.

Sed quid existis uidere? prophetã? Etiam dico uobis, & plusquàm B prophetam. Hic est enim de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelum *Malachia 3. a* meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te.

Magnum aliquod spectaculũ fuerit oportet, quod uos tam frequentes pertraxerit in desertum. Quid igitur ueniebatis spectatum? num aliquem prophetarum? nam ij solent ferè in desertis uitam agere. Et id quidem recte, imò plusquàm prophetã. Excellētior enim fuit Ioannes reliquis prophetis, qui de Christo diu post futuro prædixerunt, hic subingredienti etiam uiam muniuit popu

lo reuocato ad pœnitentiam, eiq̄ præsentiam illius est attestatus, digito adesse commonstrans. Vt recte uideatur esse is propheta, de quo Malachias prædixit, dicens: Ecce ego mitto angelum meū ante conspectum tuum, qui tibi mox uenturo uiam præparet. Certe prophetarum excellentia æstimatur à certitudine prædictionis, & magnitudine rei prædictæ. Ioannes autem digito ostendit Christum deum, & adesse monstrauit. Explicatio autem huius prophetiæ suo loco Malachiæ 3. cap. uideatur, ut clare testetur de Christo domino eius præcurfore maximo prophetarum.

Amen dico uobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo.

Communi iudicio & sensu is maior est, qui melior, melior uero à quo cumulator ad plures prouenit utilitas. Iam ut nullum est bonum præstantius q̄ dei cognitio, quæ est uita æterna: ita non potest diuinius ac melius beneficium cuiquam præstari, quàm si deum nosce doceatur. Meliores ergo in hominibus sunt prophetae dei, & pietatis cultores, qui diuinissimo beneficio afficiuntur homines. Non ergo hic indigne Christus prætulit Ioannem omnibus prophetis, iuxta Lucam, qui ipsissimum sanè Euangelium prædicauerat, Christum digito ostendens, per quem & in quo demum deus uere perfecteq̄ cognoscitur. Non enim Messiam Ioannes ambiguè uaticinijs promisit olim uenturum, sed iam uenientem ostendit, & regnum cœlorum adesse prædicauit. Hinc uero patet, quomodo hoc Ioanne maximo omnium, qui ante eum prophetauerant Christum, maior adhuc sit, qui in regno cœlorum minor est. Minimus enim apostolorum, aut etiam ex septuaginta discipulis Christum uere prædicantibus, quos ante faciem suam dominus miserat, explicatius adhuc Ioanne gratiam Christi prædicabat, adiectis etiam miraculis attestantibus: prædicaturiq̄ erant eā paulo post, tanta uis & profectu, ut totus orbis eiusmodi cognitione illustraretur. Hac ergo ratione possunt maiores haberi Ioanne, in noua ista dei ecclesia, quæ tunc inchoata Euangelij prædicatione cœperat colligi, in qua prophetae erant & sancti plures, dei gratiam annunciantes, quorum nemo tam erat abiectus, qui non hac ratione maior Ioanne esset, quia plenius Christum docebat. Satis simpliciter Theophilactus exponit, Quoniam, inquit, multas Ioannis laudes dixerat, ut ne putent quod & se maior sit ille, inquit hoc loco manifestius, Quod ego minor & natu iunior, & iuxta uestram opinionem inferior, maior illo sum in regno cœlorum, hoc est in spiritalibus & cœlestibus bonis. Nam hic quidem ipso minor sum, secundumq̄ hoc prior me natus est, & uobis magis uidetur, sed illo maior sum.

Lucæ 16. d

A diebus autem Ioannis Baptistæ usq̄ nunc regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Omnes enim prophetae & lex usq̄ ad Ioannem prophetauerunt,

Hactenus expectabatur promissa dudum dei gratia uniuersalis, doctrina cœlestis & diuina agnitio, quam patriarcharum typi & uatum oracula plurima iam multipliciter promiserant. Nunc Ioannes sic excitauit animos multorum ad Euangelicæ doctrinæ studium, ut ab exordio prædicationis illius, usq̄ ad hunc diem, ad hanc doctrinam uiolentia fidei perrumpant: etiam peccatores & ethnici, meretrices & publicani, & uolentibus nolentibus uobis Iudæis, uis diripiunt, nolentes excludi diutius à regno cœlorum, à fidelium cœtu, à uero dei ueri cultu. Nolunt diutius in umbris hære, legis quoq̄ uetustæ arum gnamis

gnatis detineri, sentientes adesse lucem Euangelicæ ueritatis & salutis, prædicam olim & promissam à prophetis. Iamq; adesse salutem & ueritatem sentiunt spiritus impulsu, libris sacris adumbratam, nec aliam prophetiam expectandam de Messia uenturo. Siquidem omnes legis typi, omnia prophetarum uaticinia, de rege Messia uenturo, simulatq; Ioannes uenit, desierunt rem futuram promittere: stulte enim expectatur quod adest. Nihil ergo superest, nisi ut quod prophetae promiserunt, & quod nunc offertur præsens, ardentibus studijs rapiatur.

& si uultis recipere, ipse est Helias qui uenturus est. Qui habet aures audiendi audiat.

Vt planè uideatis posthac non esse uobis alium prophetam, qui Messiam uobis annunciet adfuturum, Ioannes ille est, quem Malachias sub Heliae nomine, quem uictus & uestitus austeritate, quem libertate in arguendis regibus retulit, uenturum esse prædixit antequam ueniret Messias. Hunc igitur si recipitis, credite iam adesse Messiam, tot sæculis expectatum, uidistis illius Ioannis uitam, audistis testimonium, auditis quid & ipse loquor uobis. Si cui sunt aures ut admittat ueritatem, audiat. Si quis obturarit aures suas, sibi imputet exitium suum. A nobis nihil ommissum est, quod ad monendos animos omnium factum sit. Agnoscite quæso tempus uisitationis uestrae, offertur uobis regnum dei, & uita æterna. Habetis Heliam illum qui restituere omnia aduenit: sed contemnitur uobis omnia, aures desunt, quæ Euangelium exaudiant, ut ei credentes ab imminente gentis & terræ huius exterminio seruemini. Intendite quæso animum ad ea, quæ Ioannes docuit, ego & mei discipuli plenius explicamus. Hactenus lex & prophetae promiserunt multa, nunc ego discipuliq; mei præsentissimam promissorum gratiam exhibemus, uerbis, signis, & portentis contestando, aduenisse nunc regnum dei, peccatorum indulgentiam, ueritatis claritatem, & spiritus libertatem. Neq; id solum iam solis Iudæis, sed gentibus uniuersis passim in spiritu & ueritate deum uerum et unicum adoraturis. Huic Euangelio regni oportebat uos primos auscultare, sicut nunc populus facere inuidiosior uobis pharisæis, qui consilium dei circa uos spernentes, tarde poenitebitis.

Cui autem similem æstimabo generationem istam: Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus suis, dicunt: Cecinimus uobis & non saltaſtis, lamentauimus, & non planxistis. Luce 7. c

Admonuerat resipiscentiæ, si qui forsitan inter eos sanabiles, tempus suæ uisitationis possent agnoscere: nunc ad deplorationem eorum, quibus omnia frustra occinebatur descendit, opprobrians eis inuictam animi obstinationem, quæ quomodocunq; uerbo dei tentarētur, in impietate tamen perseuerabant, & gratiam dei blasphemare per occasionem tentabant. Nihil, inquit, à nobis obmissum est, quod ad mouendum uestros animos facere potest. Et tamen uideo multos tam pertinaciter incredulos esse, ut nec austeritate Ioannis terretur, nec mea humanitate beneficentiæ delinuti recipiant, quod tot iam sæculis ex fide prophetarum expectarunt. Qualem esse dicam hanc generationem: aut qua similitudine possem illam adumbrare? Similis uidetur pueris sedentibus in foro, qui sic uulgata cantatione procul acclamant sodalibus suis, Tibijs cecinimus uobis læta, nec saltaſtis; lugubria cecinimus uobis, nec planxistis. Diuersis uis idem tentatū est à nobis, neutra profectum est apud incredulos.

C Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens, & dicunt, Daemonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, Ecce homo uorax, & potator uini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia a filiis suis.

Pœnitentiæ prædicator primus Ioannes uenerat seuerus; & ut eandem perfraderet citius, ipse omnium durissime corpus suum habuit, ignorans adeo quicquid est deliciarum, ut hic dominus dicat eum nec edisse nec bibisse, communione hominum usus, id est cibo & potu quo uulgo homines utuntur non esse usum. Hanc uitæ seueritatem cum uiderent ferè modum excedere, damonibus adscribebant. Successerat Christus ipse, qui ut recreare uolebat omnes laborantes & oneratos, & potissimum se peccatoribus medicum exhibere; ita uulgari modo uiuebat, omnibus sese attèperans, quo uel aliquos lucraretur, quod & ipsum uitio maligni dederunt, calumniantes eum tanquam comedonem, uini potorem, peccatorum & publicanorum amicum & socium. Sic non solum a neutro profecerunt, sed utrunque falso calumniati sunt, probantes se canes esse, quibus frustra sanctum obijciatur, & in quos superior illa puerorum cantio contempnat. Tale est ingenium reproborum, cum uerbo dei tentantur ad resipiscentiã, ut dum improbitatem suam excusare uel agnoscere non uolunt, ad iniurias rependendas, & ad contumeliam sese uertant. Sic ista Iudæorum natio ad omnem occasionem fit deterior, nullumque remedium sibi non uertit in materiam maioris morbi. Sed quo pluribus modis prouocata est ad salutem, hoc omnibus erit euidentius eam suapte malitia perisse, ac dei sapientiã, cuius hæc consilio geruntur omnia & iudicio. Iustitiæ laudem feret apud filios suos, quum uiderint eos qui magni iusticie uidebantur sibi, & apud homines, ob incredulitatem suam repulso a regno cœlorum; contra peccatores, publicanos, meretrices, ethnicos, humiles, & abiectos ob fidei promptitudinem ad salutem æternam.

*Iudei semper
deteriores.*

Luce 10. c

Tunc coepit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ uirtutes eius, quia non egissent pœnitentiã. Væ tibi Chorozaïm, uæ tibi Bethsaïda, quia si in Tyro & Sidone factæ essent uirtutes quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiã egissent. Veruntamen dico uobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij quam uobis.

Superiora Christus dominus dixerat in hunc finem, ut his oppidis in quibus plurimas uirtutes adiderat, neque tamen scelerum suorum eos pœnituerat, incredulitatem & dei uerbi auditionem miraculorumque contemptum exprobraret. Sunt autem Chorozaïm, Bethsaïda, & Capernaum oppida, adiacentia lacui Genezareth. In ea autem portione Galilææ dominus frequentius egit, prædicauit, miracula adidit, discipulos multos elegit, multos ad resipiscentiã conuertit, unde & multi illum fuerant ex turbis sequuti, multi uero & maxima principaliorque pars in huiusmodi urbibus, ex diuitibus & scribis, uerbum & facta domini persequabantur & contemnebant, ex quibus uulgus pendebat, ut sit in urbibus, ubi licentiora omnia sunt sub iniquis mundanisque magistratibus, quam in uillis & agricolarum tugurijs. Volens ergo hic dominus uulgari loquendi modo insignem impœnitentiã denotare horum oppidanorum, prætulit eorum obstinationem ac rebellionem agnitæ ueritatis, deploratissimis uerbis.

bibus, & contaminatissimis ob diuitias & commertia, præterquam quod gentes sine religione & prophetia erant, crassa negligentia errantes in fide & moribus, ob defectum magistrorū. Et Sodomorum flagitijs, uel ob inauditam ultionem, nihil habebatur detestabilius. Quibus iam quantumlibet perditis & impijs, deteriores prædicauit istos, quibus tantis iam miraculis diu frustra prædicat. Quibus uerbis dominus uoluit persuasum esse, eis qui sanabiles inter eos erant, quo respicerent, alijs uero induratis, quo essent inexcusabiles. Sic peius quoque habebunt hæ regiones & oppida, nisi emendentur, in quibus multa uirtute prædicari contingit de dei gratia euangelium Christi. Quanquam in manu hominum non sit etiam prædicatorum, ut Euangelio prædicato habeatur fides uel secus, quando & Christus ipse, in quo omnia summa fuerunt, frustra illis diu prædicauit. Vnde & dicit, Si prodigia quæ sunt in uobis ædita uisa fuissent in Tyro aut Sidone, quas uos ut ethnicas et impias execramini, iam dudum compuncti in cilicio & cinere ut Niniuite pœnitentiam egissent. Interim autem uobis placetis, quod Israëlitici generis sitis, quod non immolatis idolis, quod Abrahæ filij sitis, quod legem & prophetas habetis; imò nisi respueritis, hæc omnia uobis cedent in cumulum damnationis. Illud enim affirmo uobis, in die iudicij diuini, quum non ex opinione sed ex merito quisque à deo æstimabitur, mitius agetur cum Tyro & Sidone quàm uobiscum, lenius punientur, quia non perinde atque uos fuerunt ad pœnitentiam prouocata.

Et tu Capharnaum, nunquid usque in coelum exaltaberis? usque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent usque in hunc diem. Veruntamē dico uobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij quàm tibi.

Ostenditur non continuo eos melius habituros, quibus palam & magnificentiùs Euangelium fuerit annunciatum, cum Capernaum quanto præ alijs ob Christi gloriosum adeo municipatum, & frequentem præsentiam celsius fuit, ad coelos usque, ut Christus ait, exaltatū, tanto infra alias postea ultione fuit deiectum, detractum nimirum ad inferos cæcitate & calamitate infra quosque abiectissimos. Idem multis alijs euenit urbibus, & eueniet, si in uanū gratiam dei suscepisse uidebuntur: quandoquidem Christus positus est in resurrectione & ruinā. Si uero curiosior Lector quærat, cur Tyrus & Sodoma propter obmissam pœnitentiam puniantur, dum silentij uitium non in eis fuerit, sed in Christo, qui acturis pœnitentiam noluit prædicare: respondet Hieronymus, Ignorare nos iudicia dei, & singularum dispensationum eius sacramenta nescire. Propositū autem fuerat domino, Iudææ fines non excedere, ne iustam phariseis & sacerdotibus occasionē daret persecutionis. Chorozaïm igitur et Bethsaida damnantur, quod præsentī domino credere noluerunt, Tyrus & Sidon iustificantur, quod apostolis illius crediderunt. Non quæras tempora, sed credentium intuearis salutem. In Capernaum autem quæ interpretatur uilla iucunditatis & pulchritudinis, condemnatur Ierusalem, cui dicitur per Ezechielem, Iustificata est Sodoma præ te.

In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi pater domi D
ne cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & Lucæ 10. d
reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.

Dixisse quidem hæc dominū Lucas narrat eo tempore cum reuerfi septua-

ginta discipuli gloriarentur de miraculis. Sed satis est uerisimile, non semel hęc dominum dixisse, sicut & alia multa. Cum igitur secum reputasset dominus, quanto bono, nempe æterna uita, & Iudæi illi priuati essent, dum Euangelio credere nolunt, & sui illi simplices & rudes discipuli ditati, quibus datum erat illi non solum credere, sed simul feliciter idipsum quoq; propagare, ut uerus homo fuit, & uiuis affectibus sanctis, & ad dei gloriam comparatis, exilię præ lætitiã, & gestijt animus erumpens in gratias deo patri, gloriam suam mirifice secundum prophetarum uaticinia prouehentem. Non quidẽ Christus patrem ea ratione laudat, quia aliquibus absconderit cognitionem sui, quæ est uita æterna; sed quia iusto optimoq; iudicio superbis, sapientibus, proprio sensu ditatis, reijcientibus ueritatem, quæ illis pariebat odium, Euangelium ipsum quod scandalizabat eos, æquissima dispensatione rudibus, humilibus, & pauperibus sensu & rebus, donasset, ac pietatis ueræ & doctrinæ Euangelicæ gustum & desyderium cum fructu infudit, in quibus peculiariter impleretur uoluntas patris, qua nihil potest melius cogitari. Vnde & exultãs addit: Certe pater, sic fuit placitum ante te. Sunt autem ista, Domine cœli & terrę, & repetita uox patris, indicia animi sancta uoluptate perfusi, diuinãq; quadam lætitiã gestientis, tum dei potentiam digne admirãtis, ut dicat: Gratias ago tibi pater, qui dominus es cœli ac terræ, cuiusq; sapientiã reguntur uniuersa, quod hanc cœlestem philosophiam cœlesti sapientiã prudentiãq; mundanã persuasionem turbidos clarosq;, & eam aperuisti pusillis, humilibus, & iuxta mundi æstimationẽ stultis & balbis. Profecto sic est pater, quia sic uisum est tuæ benignitatĩ, quod doceres tibi non placere feroces, uanos, ambitiosos, suæ iustitiæ suæq; prudentiæ fidentes, & eloquentiæ sæculari, eos autem esse magnos apud te, ob simplicitatem fidei, quos mundus habet pro stultis & abiectis. Sic placitum est tuo diuino consilio, damnare sapientiam humanam, & per humilitatem Euangelicæ doctrinæ bonos ad te pertrahere. Huiusmodi quoq; affectus, & in hunc modum formatas orationes, Paulus nouit & sensit, noruntq; qui gloriam dei ex animo cupiunt & querunt, ut sanctificetur per omnia nomen dei.

Lucæ 10. d

Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare.

Ne suspiceris filium Christum nihil facere: omnia enim patris esse dicit, omnia mihi tradita sunt, potestas & bonitas una est patris & mea. Quum uero audis tradita esse, ne suspiceris quod tanq; seruo & inferiori iuxta naturam tradita fuerint, sed tanq; filio iuxta naturam diuinam, secundum quam & natus est à patre, & nascendo communicata accepit, omnia quæ patris sunt iuxta naturam, personalitate & proprietate exceptis; nisi enim natus esset ab eo, & eiusdem naturæ filius non esset, nec tradita accepisset. Non, inquit, à domino, sed à patre meo. Nec miretur quispiam me omnium dominum constitutum, quum scilicet & aliud maius possim, nempe sic scire me patrẽ, ut & alijs eum possim reuelare. Videns autem superius Christum dixisse, patrem reuelasse mysteria paruulis, hic uero quod filius patrem reuelarit, agnosce unã uirtutem patris et filij, siquidem pater reuelat et filius. Omnium ergo horum, inquit, bonorum pater est author, à quo mihi tradita sunt omnia, illum meq; nosse uera felicitas est. Sed non insinuat se nisi placidis & modestis animis. Hęc arcana quædam est

est & mundo incognita philosophia. Non patefacit eam pater superbis. Nihil agit doctrina, nihil agunt miracula, nisi secretus accesserit afflatus. Sed hoc non dignatur nisi eos, qui prorsus diffisi suis praesidijs, totos se credunt bonitati diuinae. Qui sibi uidentur sapientes, indigni sunt hac sapientia. Qui sibi uidentur diuites, non admittuntur ad has opes. Qui sibi uidentur nobiles ac potentes, non recipiuntur ad haec adyta. Qui sibi uidentur iusti, non sunt capaces iustitiae diuinae.

Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, & ego reficiam uos.

Postquam omnia a patre accepta habet, recte ad se inuitat, & patris cognitionem solus donat, nos pronis animis illam amplectamur, adeo clementer inuitati. Vocat autem nominatim Laborantes & Oneratos, qui iam peccata sua sentiunt, & pauperes spiritu existunt, quando non alij quid Christus sit agnoscere possunt. Satisfactio enim est pro peccatis mundi, mediator & intercessor eorum. Qui iratum deum timent, haec ignorant, qui uel deplorate sunt impij, ut peccati sensum amiserint, uel hypocritae, qui alijs medelis frustra fidunt. Venite, inquit, ad me quotquot uarijs afflictionibus, curis mundi, uitiorum concupiscentia, humanarum traditionum onere laboratis, quotquot malorum in hoc mundo sarcina degrauiamini. Ego uos refocillabo, ego aduersus omne malorum genus solatium impartiam. Nec opes, nec honores, nec uoluptates huiusmodi praestant animi ueram tranquillitatem, nec philosophia huius mundi, nec pharisaeorum religio liberat a molestis curis & a conscientia peccatorum, quae ego condonare possum & uolo, cohaeredes mihi assumere & in filios dei formare mihi credentes. Quid autem boni desiderari poterit ab his qui iam deum patrem habent per Christum fauentissimum. Certi sunt, quotquot hac fide praediti sunt, omnia in bonum sibi cooperari. Peccati onus in carne si quando sentiunt, ad Christum currunt, unde & mirifice refocillantur, & animi pacem reportant. Haec illa pax est, exuperans omnem sensum, quam suis Christus promisit, utcumque in mundo tribulentur.


Tollite iugum meum super uos, & discite a me quia mitis sum & *Jeremia 2. d*
humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim *1. Ioan. 5. d*
meum suauis est, & onus meum leue.

Quae docet Christus, onus quoddam sunt carni: at cum quis sese fide dederit Christo, sentit in spiritu, quem ab ipso percipit nihil illis esse commodius, nihil portatu facilius. Ad haec nos libere prouocat, si ipsius uelimus esse discipuli. Nihil, inquit, est mihi modestius, nihil aequae expositum omnibus aut magis. Vna mea cura est uestra salus: hic nihil uobis metuendum. Ne ergo pigeat mihi uos discipulos addicere. Habet mundus quoque suum iugum prima facie blandum, sed re uera molestum & asperum. Illud in primis excutite, ad me currite, lubentes & alacres iugo meo colla uestra submittite. Ex me discite quae res sola uereque tranquillet animum, & quo fonte nascatur totus iste mortalium turmultus. Nimirum hic est elatus ac ferox animus, plurimum sibi fidens, deo parum fidens. Hinc scaturit ambitio, studium pecuniae, uindictae libido, simulas, liuor, bella, seditiones, impietates in deum; quibus rebus quid esse potest tumultuosus aut turbulentus? Quod si uultis semel ab omnibus malis liberari, fontem tollite, accipite doctrinam meam, imitemini uitam meam. Discite ex me quod mitis sum, & corde minime elato. Quid possim declarauit miraculis, & tamen nec opes nec honorem affecto, neque quicquam omnino ambio, quod magnum ac

*A Christo quae
discenda.*

præclarum mundo uidetur. Neminem quamuis humilem ac peccatorem fastidio. Non regero conuicia, non reprecor male precantibus, non referio ferientem. Totus ex patris nutu pendeo, ille poenas exiget ab improbis, ille præmia reponet benefactis. Illi cedo totam gloriam, illi committo omnem sollicitudinem. Ego simpliciter illius uoluntati per omnia morem gerens, quod in me est studeo benemereri de omnibus, nocere nemini. Hoc solum si à me didiceritis, sentietis considerare miseros istos tumultus, quibus nunc sine fine iactamini: parietisq; quietem & tranquillitatem animis uestris, quæ uos etiam in medijs malorum circumfremetium procellis comitabitur. Mitis ac mansuetus animus fons est omnis tranquillitatis humanæ. Tantum fidentes colla submittite. Non est quod metuatis iugum meum, durum & graue uidetur incredulis, sed ijs qui toto pectore fidunt bonitati diuinæ, qui conceperunt ignem charitatis Euangelicæ, molle & commodum est iugum meum, leuis est sarcina mea. Siquidem illud reddit suaue certa spes præmiorum, hanc leuem efficit amor ineffabilis in deum. Quid autem non dulce amanti, si mens sibi bene conscia fuerit, & omni sollicitudine uacans?

CAPVT XII.

A  **N** illo tempore abiit Iesus per fata, sabbato: discipuli autem eius esurientes coeperunt euellere spicas, & manducare.

Marci 2. d
Lucæ 6. d

Quædam in hoc capite narrantur ab Euangelista, ex quibus sententiam Christi de ceremonijs legis uniuersæ manifestissime cognoscimus, utq; externis utendum sit quibusuis, nimirum pro arbitrio ueræ dilectionis: tum de obstinatione reproborum, & pro quibus ipsi potissimum pugnet. Non autem sine dispensatione dei peculiari factum est, ut sabbatis potissimum ita discipuli esurierint, perq; segetes iter fecerint, deniq; præsentibus pharisæis, qui nihil Christi poterant non calumniari. Oportebat dari domino occasionem, quid de magnifica & sancta sabbati religione iudicandum esset, qua non alia in lege ceremonia æque sancte præcepta est. Tale autem sabbatum fuit, in quo nequitas esset operis aliquid facere. Vnde et notandum quomodo non luxuriant discipuli Christi, quos ad uellendas spicas in sabbato fames compulerit, ut manibus confricantes ederent grana.

Pharisæi autē uidentes, dixerunt ei: Ecce, discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis.

Pharisæi per omnia falso sibi iustitiam arrogant, & zelum legis simulant, inimici cum sint ueræ iustitiæ, nihil solidæ dilectionis præstantes captant uel diq; calumniandi materiam, nunc quoq; occasionem se habere gaudentes, ut Christo dicant, Non uides tantus propheta & legis doctor, quid faciant tui discipuli, sabbatum uiolantes? Non arguebant discipulos agere contra legem, quasi aliena rapientes, uellicando spicas in agro alieno, quia id non erat illicitum, intrare segetem proximi, & comedere, non tamen metere falce, iuxta illud Deuteronomij 23. sed quia sabbatum uiolarent, cuius cibaria præparanda erant in præcedenti die, ut habetur Exodi 16. Non tamen magis id illo die prohibitum erat, quam legere florem, aut obiter ex arbore decerpere fructum, & mandere. Sed & necessitas famis excusabat, etiam si spicæ fuissent sacra, aut ex loco sacro acceptæ, quorum neutrum erat.

At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit Dauid, quando esuriit, & 1. Regum 21. 3
 qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?

Duobus exemplis duabusque sententijs factum discipulorum defendit cle-
 mentissimus magister. Primum Dauidis est, qui fugiens Saulem, cum uenisset
 in Nobe ad Achimelech sacerdotem, panes sanctos facierum uel propositionis,
 qui ex lege à solis sacerdotibus, & in loco sancto edi debebant, & ipse Dauid co-
 medit, & comitibus suis edendos dedit; nulli enim aderant alij panes, & urge-
 bat omnes fames. Hoc factum Dauidis scriptura non damnat. Debuerat ergo
 ex eo discere pharisæi, externa omnia propter hominem esse, non hominem
 propter illa, atque ita sicut iure Dauidis necessitati tum cessit externa sanctitas
 panum, ita discipulorum fami etiam debere cedere sanctitatem sabbati. Alibi
 scribitur hoc factum sub Abiathar principe sacerdotum. Is filius fuit Achime-
 lech, & in sacerdotio successor. Vnde mirum non est, quod pro patre Euange-
 lista Marcus filium nominat, qui etiam tunc cum patre sacerdotioungebatur.
 Si, inquit Christus pharisæis, probatis quod fecit Achimelech sacerdos, si non
 damnatis quod fecit propheta Dauid, cur meos ob rem multo leuiorem calum-
 niamini. Quantulum est enim hoc operis, spicas obuias uellere, & granis con-
 frictu palmarum erutis uesci? Deinde alterum exemplum opponit.

Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum uiolant, & sine crimine sunt? Dico autem uobis, quia templo ma- Numeri 28. 4
 ior est hic.

Sacerdotes quoque ex lege in sacris operabantur, multa etiam in sabbato ma-
 ctando, membratim secando, spargendo sanguinem, ignem inflammando, &
 abluendo, & multa huius generis. Ex quibus omnibus satis Iudæi intelligere
 poterant, non quodlibet opus uetitum esse in sabbatis. Iam autem necessarium
 est cibare corpus, quo sufficiat labori necessario in diem, igitur eundem para-
 re necessarium erat. Vbi quoque notandum, Christum dominum æquasse cibi
 preparationem sacrificijs sacerdotum: adeo pluris est deo benignitas, qua iu-
 uantur homines, quam sacerdotum cultus & pietas, quibus deus ipse colitur.
 Poterant quidem discipuli istum diem sine magno periculo absque cibo transige-
 re, sed quia sabbatum propter hominem erat, ne quidem leui incommodo de-
 bebant eius causa affici. Temere quidem in illo operatos esse, impietas fuisset et
 dei contemptus: dum autem ita res ferebat, fames urgebat, & ad manum erat
 unde paruulo labore cibum necessariū sibi pararent, quo comodius Christum co-
 mitarentur, in qua uocatione aliās fortasse fuissent nonnihil impediti, iure opti-
 mo in sabbato tantillum operis sibi indulserunt. Sententiam autem insignem
 adiecit, Templo maior est hic, in hunc sensum: Si templi sanctitas non solum ex-
 cusat, sed et exigit opus à sacerdotibus die sabbati, magis debet hos meos disci-
 pulos excusare meus comitatus: maior enim templo sum, eoque mea causa plus
 quam templi causa licebit. Cum itaque famelicos nunc libuerit circumducere e-
 os, qui panes creare possum dum opus est, & multiplicare: recte fecerunt sibi
 ad mihi complacendum cibum parando, quo sequerentur expeditius. Cætera ui-
 de in Marco.

Si autem sciretis, quid est, Misericordiam uolo & non sacrificium, Osee 6. 6

nunquam condemnassetis innocentes. Dominus est enim filius hominis, etiam sabbati.

Instituta media
 Aequum est ut obseruatio sabbati cedat hominū utilitati, propter quos est institutum, non ut homo sabbati causa pereat. Si tantum tribuitur sacrificio, ut qui illi seruit impune uiolet sabbatum; cur nō & illum habetis excusatum, qui necessario beneficio subleuat proximum in sabbato? Quandoquidem hoc sacrificium deus sibi fatetur esse pluris, quā si quis immolet pecudē. Ait enim, Misericordiam uolo, & non sacrificium. Vos legis peritiam profiterimini, & tamen hoc in lege scriptum est, quod si uere intelligeretis, nunquam ob rem leuem & nulli noxiam culpassetis inculpabiles. Sunt enim quaedam instituta, non quod per se bona sint aut mala, sed quod conducant aliquo modo ad pietatem, nec tamen praestant sanctimoniam quam significant, quod genus sunt, cuius genus, uestis color aut forma materiae, ieiunium, festi dies. Harum rerum non oportet adeo superstitiose tenaces esse, ut ob has quis uel omittat quae per se semper quae bona sunt, aut faciat quae per se semper quae sunt mala. Adulterium, homicidium, obretractio, liuor, nullo non die mala sunt ac nefaria, & tamē qui pharisaica sunt imbuti religione, minus abhorrent ab his, quā a uiolando sabbato. Subuenire proximo egenti nullo non die pium & sanctum est, & tamen pharisaei sabbati seruandi pretextu patiebantur affligi proximum. Hanc superstitionem perniciosissimam Christus studuit eximere animis suorum penitus. Dominum autem esse filium hominis etiam sabbati. Is quem uos dicitis filium hominis, is dominus est sabbati, ideo lege sabbati meos absolueri possum. Quae sententia Christus praedicauit se esse uerbum domini, per quod sunt instituta legalia, cui in ceremonias dei ius sit, qui in tempore correctionis ea omnia perficere possit & uelit. Sed stupor pharisaicus percipere non potuit Euangelij huius sensum. Nos autem amplectamur, agnoscentes Iesum hunc nostrum, de cuius uero esse non tantum sabbati, sed rerum omnium, quare ipsius mandatum uerum charitatis & mutuae dilectionis, omnium ceremoniarum & legis totius explicatio est certissima, animorum quoque sancta libertas, ac spiritus piorum decretum infallibile & certum.

*Marci 3.4
Luce 6. b*

Et cum inde transisset, uenit in synagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet in sabbatis curare? ut accusarent eum.

3. 3. 3. 3.
 Vbi uerbis non satis de sabbati obseruantia Iudaeis persuasisset, adhibuit miraculum ceu testimonium patris, quo se dominum sabbati clarissime comprobaret, & fidem doctrinae suae faceret, recta scilicet se & pia docere. Ingressus ergo est alio sabbato in synagogam illorum, locum docendi in primis accommodum. Nam ut doceret a patre missus Israelitico populo, hoc diligenter nihil omittendo obiuit. Aderat autem homo, habens manum aridam. In quo iterum nota, ut deus omnia certis prouidentiae legibus disponat. Neque enim huic temere manus exaruerat, neque durauerat malum usque ad hoc tempus, sine speciali uoluntate dei. Committamus ergo nos libere optimo patri, & operam demus, ut illi per omnia nos probemus, & agamus quae illi placere cognoscimus & iussit se scimus, & ad salutem pulchre nobis occasionem & facultatem suppeditabit. Quid autem Iudaei hic instructi in sabbato meditatur? Obseruant eum, captantes astute occasionem, ipsum non solum accusandi, sed etiam calumniandi. Ita non possunt improbi nisi propriam ipsorum salutem ubique impugnare. Ipse

Ipse autem dixit illis: Quis erit ex uobis homo qui habeat ouem uenam, & si ceciderit hæc sabbatis in foueam, nonne tenebit & leuabit eam? Quāto magis melior est homo oue? Itaq; licet sabbatis benefacere.

Volens dominus omnibus palam facere calumniam illorum non ex zelo religionem proficisci, sed ex inuidia, iussit hominē cui manus erat manca prodire in medium, quo uitium esset omnibus conspicuū, & uel misericordia commouerentur erga calamitosum, qui membrum omnium maxime necessarium non inscius quid cogitarent pharisæi, per contactus est eos dicens: Vtrum fas est sabbatis sanare hominem? Et utrum tolerabilius est apud uos, benefacere homini an male? seruare hominem an perdere? perdit enim qui quū seruare possit non seruat. At illi simul obticuerunt, ne uel crudeles uiderentur populo, si nefas esse pronūciaffent homini calamitoso subuenire sabbatis, uel ansam præberent accusandi si respondissent licere. Tacentibus autem illis, Iesus ipse collato exemplo soluebat nodum quæstionis. Quis, inquit, inter uos reperietur tam religiosus obseruator sabbati, ut si contingat unam ex ouibus suis sabbato delapsam in foueam periclitari, non protinus admoueat illi manum, ut extrahat eam? Si tantum apud uos ualet auaritia, ut malitis uiolari sabbatum, quam unam pecudem interire rebus uestris, quanto magis hoc debet impetrare charitas, ut proximum, qui longe melior est oue subleuetis die sabbati? Palam est igitur etiam uobis iudicibus, fas esse beneficio iuuare proximum sabbato. Dicimus sabbato non negligendos quos iuuare possumus. Quanta quoq; sit crudelitas pharisaica, qui & tacere malunt dum uincuntur in conscientia quam faceri quod uerum est. Deniq; Christi domini miram bonitatem, qui mansuetissime rationem reddit facti sui, & conuincit ratione aduersarios suos.

Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati, sicut altera.

Cum ratione & exemplo probasset non licere tantum, sed omnino oportere sabbato benefacere, præcipue homini, sentiretq; nihil ex his illorū inuidiam miscere, nec hominis miserandi conspectu, nec ratione tam euidenti commoueri, circumferens oculos suos indignabundus, & indolens de tanta cæcitate illorum, uersus ad eum qui manum habebat aridam & contractā, Protendit, inquit, manum tuam: simulq; cum dicto protendit manum iam sanam, & agilitatem, non minus quam erat altera. Solo autem uerbo curauit, non admota manu, ut aliās erat solitus, quo minus in illum insaniendi causam haberent, quia sabbatum uiolasset ex opere. Adeo studuit sancte agendo, ut nullius id ageret offensione hoc loco. Sic summa modestia nobis quoq; agendum est, ut uincamus in bono malum, et ab irritatione proximorum, quantum fieri cum deo potest, caueamus.

Exeuntes autem pharisæi, consilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum. Iesus autem sciens secessit inde: B

Hoc tam insigni facto in rabiem acti pharisæi, cum uiderent hanc ansam sibi ereptam accusandi Iesum, digressi à synagoga, relictaq; turba, quam intellegebant esse propensiore studio in Iesum, cum Herodianis, qui & ipsi commertium habebant cum discipulis Ioannis, subinuentibus gloriae Iesu, clam inire consilium, qua uia Iesum tollerent e medio. Iam aderat homicidij uoluntas,

nec quicquam deerat præter occasionem idoneam. Iesus autem non ignarus quid molirentur, subduxit sese ab eo loco, ne furientibus ansam aliquam dedisset se uideretur ad extrema ueniendi. Poterat illos odiose retundere, poterat miraculis obruere, poterat & perdere, sed ostendere uolens Euangelicam mansuetudinem, cessit illorum furori, si forte mitescerent aut resipiscerent. Hoc pharisaicum ingenium referunt omnes reprobi, cum diuina bonitate tentantur, tum maxime aperit se illis uis satanica, & regnum perditionis, ut domino resistere & ueritati audeant, sed incassum.

Isaie 42. a & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes: & præcepit eis, ne manifestum eum facerent. Ut impleretur quod dictum est per Isaïam prophetam, dicentem: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet neque clamabit, nec audiet aliquis in plateis uocem eius: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiciat ad uictoriam iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt.

Cessit dominus hæcenus improbis pharisæis, ut nihilo secius alijs in locis turbis confertis sese comitantibus impartiret doctrinam cœlestem, & quotquot offerebatur ægroti aut alioqui calamitosi, sanaret. Nondum enim uenerat tempus illius, nondum satis erat proditum Euangelium. Cessit igitur, non uti sibi consuleret, sed ut illis subtraheret occasionem impij facinoris, simulque moneret Euangelicam philosophiam non terroribus, non conuictijs aut contentiõibus esse defendendam aduersus rebelles, sed mansuetudine. Præcepit igitur turbis affectantibus, ne se facerent palam, ne latius increbescente rumore, pharisæi magis ac magis accenderentur. Neque enim hoc casu factum est, sed ita futurum iam olim prædictum erat per prophetam Isaïam, apud quem pater filij sui uictoriam insigni mansuetudine, & patientia partam, ac salutem Euangelicam ob satis omnibus spectatam Iudæorum pertinaciam, ad gentes delatam describit his uerbis: Ecce, inquit, Isaïæ 42. filius meus quem præ cæteris elegi, ecce dilectus meus, in quo sibi complacuit anima mea, impartiam illi spiritum meum, mansuetum ac lenem: & huius instinctu iudicium annuntiabit non solum Israëlítico populo, uerumetiam omnibus gentibus. Non hoc autem aget per tumultum aut uim: non enim litigabit neque uociferabitur aduersus contentiosos, neque quisquam audiet uocem illius in plateis, quod solent qui lingua belligerantur. Dabit locum inuincibili malitiæ, sed omnes conabitur ad salutem adducere. Nec malis dabit occasionem immedicabilis exitij, sed seruabit omnes, si forte se uertant ad meliora. Non aspernabitur imbecilles & infirmos, in quibus erit aliquid bonæ spei reliquum, hos fouebit potius quam opprimet. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec progressu temporis per se uincat ueritas strenue prædicata, & proposita iusto zelo, eoque culpa sua proruperit uesania impiorum, ut omnes intelligant illos merito reprobos & abiectos. Tunc gentes amplectentur illius doctrinam à Iudæis speratam, & in eo collocabunt spem suam, cui Iudæi fidere recusarunt. Hæc uero uideas suo quoque loco exposita.

Marci 3. c
Luce 11. b

Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus, & curauit eum, ita ut loqueretur & uideret. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant

cum dæmone, sicut regnū diaboli, quod est malum, cum regno dei, quod est omne bonum: Eijciens autem diabolus diabolum delusorie non aduersum se facit, sed pro se, quia non eijciendorum dæmonum gratia eijcit dæmones, sed hominum seducendorum. Hoc autem fit per falsos prophetas ad hominum subuersionem. Commune enim opus est ministrorum dei & diaboli eijcere dæmones: ueritatem autem & iustitiam loqui & facere, priuatum est opus non nisi sanctorum. Aliud quoque dat Christus testimonium.

C Et si in Beelzebub eijcio dæmones: filij uestri in quo eijciunt: Ideo ipsi iudices uestri erunt. Si autem ego in spiritu dei eijcio dæmones: igitur peruenit in uos regnum dei.

Si ego uirtute uel præsidio Beelzebub principis, ut dicitis, dæmoniorū eijcio dæmonia, isti mei discipuli, filij uestri, quos agnoscitis, cuius præsidio dæmones eijciunt: Eijciunt enim & illi quos misi ad prædicandum, dans illis potestatem spirituum immundorum, ut eijcerent eos, qui redeuntes dicebant, Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt. Interrogate ergo & filios uestros: eijciunt enim & illi, nec illos interim calumniamini, me unū calumniamini, & tamen illi ut eijciant à me potestatem acceperunt. Itaque fieri non potest, ut illi uirtute dei profligent dæmonia, ego præsidio Beelzebub, quum isti per meum nomen id faciant. Et ideo possunt homines idiotæ tanta, quia simpliciter credunt me uirtute dei profligare dæmonia. Proinde horum pia credulitas uestram damnabit incredulitatem, qui calumniari mauultis quā ut uobis libeat imitari. Quod si res ipsa clamitet me non præsidio dæmonis, sed uirtute dei pellere dæmones, dubitare non debetis amplius, quin aduenerit ille filius David, & regnū dei, quum uideatis ad inuocationem mei nominis factam ab ijs qui profitentur Euangelium, euanescere uires aduersariorum, qua mentes hominum exagitare solent, ut inde sermo regni dei confirmaretur. Ut solius Christi domini meritis propitium ex hoc sibi credant homines deum, à quo petant ubique omnia, non ab hominibus opinione sanctis uel impostoribus, etiam qui diuorum intercessionem dæmones se pellere fatentur.

Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & uasa eius diripere: nisi prius alligauerit fortē, & tunc domum illius diripiet.

Ut inter dæmones ipsos concordia est ad perdendum omnes, ita mihi, qui in hoc ueni ut seruem omnes, cum illarum cohorte nulla est concordia, sed capitale dissidium. Hactenus Beelzebub tyrannidem exercuit in homines peccatis obnoxios, malisque cupiditatibus addictos: ego sublatis hominum peccatis, Beelzebub principem cum suo satellitio protero, & quos ille per iniustitiā possidebat, per innocentiam deo uindico. Viribus non pacto res agitur. Sentiant illi & fatentur adesse potestatem cui cogantur cedere. Alioquin qui fieri potest, ut aliquis ingrediatur arcem uiri potentis, ac suppellectilem illius diripiat, nisi prius potentem dominum superatum coniecerit in uincula? Tum uero coercito eo, qui poterat obsistere, populabitur domum uniuersam, ac ueluti prædam auferet. Mundus domus est Beelzebub, in hoc, quoniam totus seruiebat ambitioni, luxui, libidini, auaritiæ, iræ, liuori, cæterisque cupiditatibus noxijs, per quas ille potens est, & regnum quoddam sibi uendicabat. Ego ut uir fortior ingressus sum illius regnū, eoque superato, quod ille iniuste possidebat, uero principii assero. Nihil igitur inter nos conuenit, diuersi principes sunt, diuersa regna.

regna, nullo fœdere concilianda. Ille ceu spoliū detinet in hoc mundo quotquot patrem ignorant, ad suam uoluntatem captiuos: nam patri qui eos contulit debuerant esse addicti. Ex eis autem ego iam rursus inuito in patris regnum, modis omnibus etiam reluctante satana, & ceu recuperatum spoliū distribuo in usum electorum, quosdam faciens apostolos, quosdam prophetas, aliquos Euangelistas, pastores, & doctores, ad instaurationem sanctorum &c. Nemo quod suū est inter hos queret, quilibet aliorum inter sese ministri erunt, ad hoc ut numerus sanctorum augeatur. Huius potentia ac uictoria contra principem mundi in praesenti tantum specimen exhibeo quoddam, depellens uim satanae à corporibus, & eximens interim non paucos illius tyrannidi, paulo post uero, cum morte mea plenè hostem hunc principem tenebrarum deuicero, sicut & longe lateq; spargi faciam Euangelium regni, ita quàm plurimos eius potestati adimam, & regno patris feliciter adseram. Igitur nihil mihi cum principe daemionorum commune fuerit, quod uos falso cogitatis.

Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit.

Qui uult inscribi regno dei, à regno Beelzebub se subducatur oportet, cumq; illo belligeretur in castris meis, is hostis & aduersarius est meus. Et qui me non adiuvat in colligendo, is aduersatur dispergendo. Cum satana me facere, nihil est in omni doctrina & uita mea quod suspicionē faciat. Adsero ubiq; gloriam patris, uindico iustitiam, peccatum oppugno. Ego quoq; dispergo ad uitam, quod ille sibi collegerat ad perditionem. Mauult ille homines superstitione & infania laborare, ut regnet in illorum animis loco & nomine dei. Ego autē daemonia prorsus eicio, praecipue autem ex animis, ne quid ibi ualeant per incredulitatem & peccatum. Quod uero hominem externum libero à manifesta illorum uolentia, in hoc potissimum facio, ut ita declarem me illum esse, qui uim istam aduersariam prorsus sim deiecturus. Ut satis aperte uidere possitis, me digito dei, hoc est uirtute & spiritu sancto daemonia eicere, adeoq; nihil habere cum satana commune. Ille cupit animas hominum tenere captiuas, ego liberare. Ille praedicat idola, ego unius dei notitiam. Ille trahit ad uitia, ego ad uirtutes reuoco. Quomodo ergo possum cum illo habere concordiam, cuius tam diuersa sunt ab illo mea opera?

Ideo dico uobis: omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemie non remittetur.

Marci 3.d

Luce 12.b

Desinite seruire peccatis, et nullū uis in uos habebit diabolus. Ab illo transfugas recipiet deus in regni sui consortium, nec poenitentibus ac resipiscentibus imputabit uitae superioris commissa quamlibet enormia: tantum ne quis excaecatus inuidia malitiaq; peruersus, aduersus suam ipsius conscientiam aduersetur gloriae dei, uerbo ueritatis, profectuiq; uirtutum in mundo, & cum oculis cernat uirtutem diuinam manifestis signis & prodigijs mundo sese prodere, tribuat ea spiritui Beelzebub. Proinde illud affirmo uobis, quicquid commissum fuerit facto dictoq; uel, condonabitur hominibus modo resipiscant. Facile condonat deus quod aliquo pacto ueniale facit humanae naturae fragilitas. Ceterum si quis conuictum dixerit in spiritum dei, cuius manifestam uim uidet ex ipsis factis, ut negare non possit, is non inueniet ueniam, hoc est difficulter resipiscendi gratiam uel desyderabit uel assequetur.

cabant, dicendo de Christo ex sola inuidia, Spiritum immundum habet, cuius sunt ipsius uirtutes.

Et quicumque dixerit uerbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

Peccatū in spi-
ritum sanctum.

Contra filium hominis plurimi Iudæorum blasphemabant, uidentes conuersationem eius cum publicanis & peccatoribus, iudicantes non esse ex deo eum, qui sabbato iussisset lectulum portare &c. Ista uero remissibilia erāt, quia poterant ex ignorantia accidere; sicut & Paulus se blasphemasse confiteretur. Humilitas enim filij hominis & paupertas, neglectusq; multiplex, Christi dignitatem tegebat, adeo ut in ipso humana ratio nihil minus posset aduertere, quam filium dei esse. At in presenti tam praesenter sese declarauerat dei uirtus, & spiritus ille, quo Christum fore praeditum prophetae praedixerant, ut iam mens illorum uim huius spiritus sentiret certissime, uiderentq; non satanae sed dei opus esse quod gerebatur, adhuc tamē qua erant percussi caecitate & amentia ac inuicta malitia perditū, non potuerunt gloria hanc deo in humili Iesu dare, ut quod sentiebant eius hic spiritum operari, etiam fuissent confessi, sed ferentes odio contra innocentissimum dominum, omne id, contra suā propriam conscientiam, dum nulla esset alia calumniandi occasio, satanae attribuerunt. Hinc iam manifestum est, quod demum peccatum sit in spiritum sanctum. Blasphemia enim & uituperatio est diuini spiritus aperte iam cogniti, & odium agnitae ueritatis tale, ut libeat contra conscientiam blasphemare ea quae dei sunt, & intelliguntur deo grata & sancta, ex malitia & odio rerū omnium diuinarum. Dum uero spiritus & uis dei esse ignoratur, blasphemari & uituperari tantopere non potest. Necessē est autem, ut sese spiritus ante sic exerat suo modo, ut iam spiritus sanctus certa ratione agnoscat, si debeat in illum peccatum tantum & blasphemiam committi. Sic in spiritum sanctum Paulus peccasset, si post ipsius uocationem expertam ad Damascum persequi Christum in discipulis perrexisset. Sic qui hodie uerbum dei agnoscūt, & ipsissimam ueritatem praedicari intelligunt, nihilominus tamen ex odio uel auaritia contemnant & persequuntur, in spiritum sanctum peccant. De quibus Paulus asserit, fieri non posse, ut qui semel illuminati fuerint, & gustauerint caeleste donum &c. si prolabantur, ut denuo renouentur per poenitentiam. Id autem est blasphemare spiritum sanctum, cuius opus est ueritatis & praedicatio & agnitio. Non remittetur uel hic uel alibi. Multi sunt, qui hic quidem patiuntur, sed alibi poenae immunes sunt, ut pauper Lazarus: alij autem & hic & alibi, ut Sodomitae, & hi qui in spiritum sanctum blasphemant: alij uero neq; hic neq; alibi, ut apostoli & praecursor. Nam licet uideantur persequutionem pati, sed non patiuntur illa pro peccatis; sunt enim probationes & coronae quibus glorificantur & proficiunt.

Lucas. 2

Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum: siquidem ex fructu arbor cognoscitur.

Quum iuxta communem etiam sensum de fructu dignoscatur arbor, cur uos arborem calumniamini, quum fructum non approbare non possitis: Miracula quae facio subleuant miseras hominum, neminem laedunt, nec adhibentur ad inanem ostentationem aut quaestum, sed ad beneficentiam & opitulationem. Hoc

Hoc esse bonum nemo potest inficias ire, gratis bene mereri de afflictis. Cur igitur quod per se bonum est, dicitis à Beelzebub proficisci, qui uestro iudicio totus malus est? Si uultis latere cæcitatem animi uestri, consistentia loquamini oportet, nunc ne cohærent quidem iuxta communem hominum sensum quæ dicitis. Aut igitur fateamini me spiritu bono agi, qui fatemini opera mea esse bona, aut opera dicite esse mala, ut probabile fiat quod dicitis me spiritum habere Beelzebub. Quod si facta mea talia sunt, ut non possitis non fateri bona, nolite quæ bona sunt auctori malo tribuere.

Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo, de bono thesauro profert bona: & malus homo, de malo thesauro profert mala.

Ex malis maioribus orti estis mali, ut uiperarum progenies, ideo ex uobis ipsis facite coniecturam: Nonne uos quales estis talia loquimini, et opera uestra declarant quem habeatis spiritum? Inuidentes gloriæ dei calumniimini spiritum illius. Vnde fructus isti tam pestilentes, nisi ex mala arbore? Sicut etiam fieri non potest ut arbor agrestis fructus ædat mites, ut arbor uenenati succi poma ferat salubria: ita qui uos potestis bene loqui cum sitis mali? Ut enim ex succo radicis fructus trahit saporem: ita ex eo quod reconditum est in corde nascitur oratio. Ut bonus homo de bono thesauro cordis profert bona: ita malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Quorum cor oppleuit pietas, oppleuit inuidia, superbia, & auaritia, talem ædunt orationem quæ reddat ore cordis affectum.

Dico autem uobis, quoniam omne uerbum otiosum quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.

Si otiosum uerbum quod nequaquam ædificat audientes non est absque periculo eius qui loquitur, & in die iudicij redditurus est unusquisque rationem sermonum suorum, quanto magis uos qui opera spiritus sancti calumniimini, & dicitis Me in Beelzebub principe demoniorum eijcere demonia, reddaturi estis rationem calumniæ uestræ? Otiosum uerbum est, quod sine utilitate & loquentis dicitur & audientis, si obmissis serijs de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Cæterum qui scurrilia replicat, & cachinnis oras dissoluit, & aliquid profert turpitudinis, hic non otiosi uerbi, sed criminosi tenebitur reus. Coercenda est itaque lingua, sicut & cogitatio praua & pestifera: unde quoque pro factis imputabuntur. In iudicio autem dei uerba per linguam uenenum in multos transfunditur. Sed rident hoc uerbum homines, in magnum malum suum. Re uera autem ratio reddenda de omni uerbo otioso, perpetua carnificina erit qua impij torquebuntur, ubi sublati uitæ huius illecebris, quibus ceu ebrii sua modo peccata non uident, agnoscent uitæ suæ prauitatem, ditiorum et factorum suorum uanitatem: tum nihil non occurret, uel otiose tantum dictum, non solum peruerse aut impure, & peculiari tunc tormento excruciabuntur, cum scilicet occulta tenebrarum illustrabuntur, & patefient consilia cordium. Credentibus autem hic non timendum: non enim ueniunt hij in iudicium, nihil est ipsis damnationi, ex fide in deum & proximum omnia loquentibus & facientibus: unde & filij dei sunt, non iam homines uani, quorum sermo semper & ex more quodam est sale salutus, quibus eatenus deus charus est,

otiosum uerbū

& quicquid deo placet, et ad gloriam dei facit, ut in huiusmodi longe maiorem uoluptatem sentiant quam in prophanis, superuacaneis, friuolis, & inutilibus colloquijs. Bonus profecto homo, ex bono thesauro cordis sui profert bona.

Ex uerbis enim tuis iustificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis,

Iustificari.

Nihil certius de animo testatur atque sermones, quare nihil quoque est quo certius item de animo iudicatur. Si enim is bonus est homo, non poterit mala loqui; si malus, non loquetur bona; utcunque enim malus aliquandiu dissimulet uerbis quod est, facili tamen discrimine notabitur, si quis modo animaduertat, quæ quisque spiritum mentis suæ præsidem habeat. Hic iustificari opponitur Condemnari, ne quis ex dictis putet parari iustitiam. Iustificari autem hic idem est quod iustum pronunciari, non iustum reddi. Fide iustificamur, id est iusti efficiamur, operibus ac dictis iusti declaramur & iudicamur. Cauendum ergo fideli ab omni inutili loquacitate. Verbum quod non ædificat proximum, indignum est homini Christiano. Vbi iam manebunt obtretractores, mordaces, et fratrum famam arrodentes, non tantum uerbis, sed & scriptis, & his sic multiplicatis & disseminatis in orbem & tam diu extantibus indelibilibusque, quando non subito effutitum ex passionibus, subito quoque euanescit, atque negligitur calumniam inurens & iniuriam, sed stilo ferreo insculpitur in silicem, hoc est in omnia sæcula legendum disseminatur literis, sapientibus insipientibusque diiudicandum prædicatur publicitus. Cauendum igitur summopere à scriptura diffamatoria, multo magis impressura, qua te magis condemnas quam alium.

Lucæ 11. d.

Tunc responderunt ei quidam de scribis & pharisæis, dicentes: Magister, uolumus à te signum uidere. Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.

Ionæ 2. d.

His uerbis auditis, scribæ quidam & pharisæi dissimulato animi furore blandioribus uerbis aggrediuntur Iesum, ueluti illi iam credituri, si in gratiã suam miraculum aliquod æderet, ipsis seque dignum, qui sibi uendicaret spiritum dei, & qui semper haberet in ore patrem cœlestem. Magister, inquiunt, nos qui plebei non sumus, sed eruditi, cupimus ex te uidere signum aliquod eximum, quasi quæ uiderant signa magna non fuerint. Sed in alio Euangelista quid per tant plenius explicatur: Volumus à te signum uidere de cœlo, uel in morem Helix ignem de sublimi uenire cupiebant, uel in similitudinem Samuelis tempore æstiuo contra naturam loci mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres irruere, quasi non possint & illa calumniari, & dici ex occultis & uarijs aëris passionibus accidisse. Nam qui calumniaris ea quæ oculis uides, manu tenes, utilitate sentis, quid facturus esses de illis, quæ è cœlis uenirēt? Vtiq; respondebis & magos in Aegypto multa signa fecisse de cœlo. Iesus autem sciens subdolum illorum cogitationem et obstinatam malitiam, quo non in aliud poscerent signum nisi ut hinc quoque nouam calumniandi fumerent occasionem. Non ferens illorum peruersitatem tantam, respondit uelut auersus ab illis & apud semet indignans, O nationem, inquit, malam & adulteram, quæ se gloriatur habere patrem deum, quæ se iactat de progenitore abraham, quum eos potius referat qui derelicto deo coluerunt uitulum aureum, qui seditionem mouerunt aduersus Moysen, qui obmurmurauerunt in deserto, qui prophetas occiderunt, quum se declaret patrem habere Beelzebub, cuius spiritu plena rebellat nunc quoque aduersus

aduersus spiritum dei. Sed non dabitur ei signum de cælo, quod calumnietur & quo est indigna, sed aliquando dabitur ei signum è terra quo conuincatur, & si conuerti nolit, pereat. Signum autem Ionæ uocat signum resurrectionis suæ, de quo sequitur:

Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

Vobis, inquit, signum dabitur quale in Iona uisum est. Ego uobis tantopere exosus tandem manibus uestris tradar, & occidetis me, atq; in tertium usq; diem in sepulchro detinebitis. Id quod intelligendum est per Synekdochen, toto per partes intellecto, nempe, ut in parte parasceues & dominicæ, & tota die sabbati tres dies & totidem noctes intelligantur. Tertia autem die cum uirtute resurgam, & regnum dei inibo, administraboq; potentissime: id autem agam per ministros omnium humillimos & abiectissimos, contra quos tamen omni uestra & sapientia & potentia nihil omnino quamlibet id conaturi sitis, proficietis. Ex eo signo quicquid est reliquum potentia meæ, in hoc quidem tempore reuelandum uobis est, ut sitis omnino inexcusabiles. Hoc sanè signum experti sunt, cum contra ipsorum mandata & contemptis pœnis, quas fuerant minati apostoli, magna fiducia testimonium reddebant resurrectioni domini nostri Iesu Christi, signis quoq; & prodigijs eam illustrantes, ipsiq; inde attoniti diffecabantur quidem cordibus, nec inueniebant tamen quid illis facerent.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hïc. D *Ionæ 3. b*

Quod Niniuitis fuit Ionas, hoc ego sum uobis. Ille denunciauit illis imminere uindictam diuinam & excidium urbis ni resipiscerent, ego idem uobis omnibus denūcio. Sed Niniuitæ quos præ uobis ut ethnicos & idololatrias conueniatis, surgent in iudicio diuino, uosq; declarabunt merito damnatos, si ad ipsos conferamini. Siquidem illi quanquam erant scelerati, tamen ad prophetam minas expauescunt, deiecerunt sese ad pœnitentiam. Et ecce hïc est Iona maior, qui uobis frustra prædicat. Niniuitæ gens erant à dei cultu aliena. Ionas ignotus & humilis ad eos uenit, nullus illum commendarat, aut aduentum illius prædixerat, nulla ædebat miracula, neminem beneficio sibi conciliabat, nihil magni promittebat, tantum comminabatur exitium, neq; diutius quàm triduo prædicabat. Ego promissus prophetarum oraculis, toties commendatus testimonio Ioannis, testimonio patris, ciuis, & ex eisdem ortus maioribus, quibus uos gloriamini, tanto iam tempore doceo uos, tot miraculis testificor, non esse uanam doctrinam, tam multos gratuitis meis beneficijs adiuui, non intorreo sætas minas, sed ultrò polliceor remissionem omnium peccatorum, offero regni cœlestis æternam felicitatem, & dicor habere spiritum Beelzebub, apertor capitalibus insidijs, tantum abest ut flectamini ad pœnitentiam. In iudicio surgent, hoc est iudicabunt de uobis, & condemnabunt impœnitentiã uestram.

Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia uenit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hïc. *3. Regum 10. d*
2. Paral. 9. d

Eodem modo condemnabit regina Austri populum Iudæorum, quo condemnabunt uiri Niniuitæ Israëlẽ incredulum. Ista est autem regina Saba, de

qua in Regum uolumine & in Paralipomenon legimus, quæ per tantas difficultates itinerum, gente sua & imperio derelictis, uenit in Iudæam audire sapientiam Salomonis, & ei multa dona detulit. Hæc, inquit, regina Arabum exorietur in iudicio in probrum et condemnationem huius generationis, quod ad rumorē è longinquo allatum, relicto regno patriæq; sua, tam longo itinere profecta sit ad Salomonem, aueritate audiendæ sapientiam. Et ecce hoc in loco est qui Salomone sit maior. Quid enim simile gessit Salomon, qualia me uident gerentem? aut quid simile docuit? & ultrò ad uos deferentem Euangelicam doctrinam, per quam seruemini, omni contumeliarum genere afficitis, atrociora etiam insuper molientes in beneficium. Hic uero mirabiliter sese uirtus dei in Christo exeruit, quæ malignos illos terruit, ne auderent quicquam contradicere magnificentiæ istius Christi de seipso prædicationi. Satis namq; aperte se Christum hic professus est, quum se Iona & Salomone præstantiorem affirmaret, ipsam utiq; dei iustitiam & sapientiam & uerbum dei Christum. Notandum quoq; hic, uti fiant nouissimi primi, & primi nouissimi, quo neminem præ nobis cõtemnamus, humiliemus autem nosmetipsos infra quoslibet: & quod semper deus in gentibus suos quoq; habuerit cultores, ut nõ fuerit tantum Iudeorum, sed & gentium deus.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, unde exiui. Et ueniens inuenit uacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc uadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.

1. Petri 2. d

Cum hac peruersa generatione Iudaica erit, ac si quis dæmon ab homine pulsus uagetur aliquandiu per deserta, quo solent diuina uirtute ablegari, cūq; in deserto moleste agat reuertatur ad hominē, unde fuerat pulsus, inueniatq; apud illum sibi locum paratum, non minus commode quàm si quis cupide aliquem excepturus hospitem domum alijs uacuet, atq; scopis purget, tum & ornent, quo magis illi libeat in eam sese recipere. Quia commoditate dæmon ille non solum frui, abeat & adducat septem, hoc est quàm plurimos alios dæmones se nocentiores, atq; cum eis inuadat rursus locum pristinum. Quo sanè pacte, hominis eiusmodi postrema erunt multo calamitosiora quàm prima. Sic sanè uos Iudæi, cum legem olim receperitis, & ab alijs gentibus seligeremini donati à deo cognitione sacra, expellebatur à uobis immundus spiritus. Is cum maluisse apud uos imperare, habitationem quæsiuit quo pristinum apud uos locum recuperaret. Eidem uos illi non tantum permittitis, iam ita Euangelium rejicientes, sed eum ad uos etiam ultrò inuitatis, utq; commodissime uobis dominetur cuncta illi apparatis. Quid igitur putatis futurum? Non solus sanè ille, sed innumeris comitatus uos repetet, & sæuissima tyrannide uobis imperabit, eritisq; multo quàm unq; calamitosiores, percussi cecitate interna, quam sequetur mox excidium, cuius atrocitas & crudelitas à nemine possit cogitatione cõsequi. De dæmone autem uelut de homine loquutus est, mutuata similitudine de homine, qui semper uult magis in ornata domo quàm in deserto locis agere. Voluerunt quidam parabolam hanc intelligere de homine peccata confitente, & cessante post pœnitentiã à bonis operibus, & ornata specie sanctimonie frustra splendente. Hieronymus de hæreticis in peiores semper hæreticos

les prolabantibus exponi eam non probat, sed eam quam diximus insinuat germaniorem, & uere literalem ac aptam. Quæ certe parabola horrenda pertinet etiam ad eos & ad omnes, qui uisitati ueritate uerbi dei, & spiritu Euangelicæ doctrinæ, pergunt ingrati esse tanto dei dono, & rursus satanæ locum permittunt, quem proculdubio potētius quàm unquam & uiolentius occupabit. Sicut & Iudæi à Christi passione multo maiore numero dæmonum possidētur, blasphemantes in synagogis suis Christum Iesum, quàm in Aegypto possessi fuerant, ante legis notitiam: quia aliud est uenturum non credere, quàm non suscepisse qui uenerit, quem malunt semper uenturum credere, quàm suscipere uenientem sine corporali regno totius mundi, in quo soli uellent imperare.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te alloqui. Marci 3. d.
Lucæ 9. c.

Coram turbis hæc locutus fuit dominus, ut uideas eum sanctum non dedisse canibus, hoc est, hæc non solis obstinatis pharisæis frustra deseruisse, quanquàm et illis ad conuincendam ipsorum impietatem eadem dixerit quo omni excusatione nudarentur. Dubium enim non est, adfuisse multos, apud quos hæc fructum aliquem bonū attulerint. Chrysostomus & Theophilactus quid hic scripserint de peccato propriæ complacentiæ, in uirgine matre de suo filio, extat, ut sciamus priscis sæculis & sanctis non tantum fuisse diuorum cultum, quem admodum posterioribus sæculis profecisse uidetur, ob deuotionem in sanctos. Recte Erasmus optat quorundam sedulitatem omnia in sanctis in immensum exaggerandi, uerti potius ad studium æmulandi, id quod illos uere beatos reddidit. Hieronymus hic dicit, eum qui renunciauit adesse matrem & fratres, id insidiosè fecisse, tentantem, num ob suorum affectum intermissurus esset prædicandi munus, atque ob id acrius illi à Christo responsum. Potuit maligniter insulasse uerbis Christi, quibus dixerat se Ionæ & Salomoni maiorem, cum cernerentur fratres eius tenues, & mater humilis adstare plebi. Fratres autem Christi dicuntur cognati matris suæ, & iuxta carnem proximi, non de Maria nati alij filij, uel ex Iosepho: locutione enim Hebraica cognati frequenter fratres dicuntur.

At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit uoluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est.

Egregium hic Christus exemplum hominis dei et uere pij exhibuit, cum in negotio patris constitutus, eos dumtaxat agnouit proximos & cognatos, qui ex regeneratione cognati eius erant, nempe ex spiritu dei regenerati, et secundum deum uiuentes. Sic autem respondet loquenti: Quos tu matrem & fratres meos nuncias? Quibus sum addictus maiore necessitudine quàm hisce hic nunc audientibus uerbum? Scio quidem honorandam matrem, diligendos fratres, sed simul obseruandum super omnia deum. Huius mandatum pluris mihi sit oportet, quàm quorumlibet necessariorum affectus. Hic ergo cum agam patris negotium, nullius hinc charitate uel cura debeo auocari. Dei filius sum, talem referam me addecer, eoquæ eos, qui mihi ut filio dei diuina cognatione coniuncti

sunt, ut hi sunt uerbum meum audientes, longe pluris facere, & propinquiores mihi agnoscere debeo, quam qui ex carne & sanguine mihi attinēt. Ad maiorem uero asseuerationem faciebat, quod protensa manu in discipulos dicebat: Ecce mater mea & fratres mei &c. Facere ergo uoluntatem patris, idem est atq; audire sermonem Christi eumq; facere, hoc est ipsi perficiendo ex animo studere. In hoc enim & nulla re alia ut cognatio cum Christo, ita & felicitas sita est. Negligendi hic sunt uel docendi religiosius, qui quæ carnis sunt tanrope re efferunt, ac Christi domini parentem uirginem Mariam sacratissimam quæ dē, propter opus carnis generatæ usq; ad diuinos honores magnificant. Quod enim gratiam inuenit apud deum, & dominus cum eo semper fuit, qui & benedictam illam, non solum benedicto semine filio suo, sed & alijs donis spiritalibus reddidit, hinc demum ut beatissima fuit, ita & prædicanda est & laudanda quam maxime, sed in domino. Sine his enim omnia quæ carnis sunt nihil profuissent. Discamus potius fide omnia constare electis. Si credere possumus mater, frater, & soror Christi domini erimus: si non, nihil omnino ad ipsum attingebimus, etiam si ipsum carne genuissemus, uel illius corporaliter corpus & sanguinem comedissemus & bibissemus. Mittamus ergo illos superstitiosos magis quam pios, & diuæ uirginis uere studeamus atq; gratificemur, quod faciemus, si uera fide ipsius nos filio addixerimus. Sic eadē opera filio patri & matris nos approbauerimus, quæ si desit fides, abominationi sumus patri filio matris & omnibus sanctis.

CAPVT XIII.

A N illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in nauiculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore, & locutus est eis multa in parabolis, dicens:

Marci 4.4
Luce 9.4



Cum cerneret eodem tempore Iesus locum non esse tantæ multitudinis et pacem, egressus domo concessit ad locum. Quò cum uenisset sedit in ripa docens populum insatiabiliter inhiantē doctrinæ ipsius. Porro cum uideret multitudinem adeò condensari, ut premerent Iesum, quo liberior esset à turba, ingressus est nauim, atq; ex ea ueluti è suggestu locutus est multitudini stanti in littore. Sic enim commodius à multis & uideri poterat & audiri, quod harena littoris paulatim insurgens, & ipsa littoris ora speciem quandam præberent amphitheatrī. Quoniam autem in ea multitudine nō erat eadem mens omnibus, multa proposuit eis per similitudinis inuolucra: siue quod hoc orationis genus familiare sit prophetis; siue quod accommodatissimum est ad docendum, & ad flectendos animos populi, quod collatio sumpta à rebus omnium etiam idiotarum sensibus notissimis, statim permoueat unumquemlibet: siue quod hac illecebra & iucundius irrepunt in animos hominum, quæ dicuntur, & hærent tenacius: siue quod hæc admonitio nullum traducens, sed tacite perimaginem taxans cuiusq; conscientiam minus offendere solet.

Ecce exiit qui seminat, seminare. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus uiam, & uenerunt uolucres cœli & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam, & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ: sole autem orto, æstuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt

cecidērunt in spinas, & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. Alia autem ceciderūt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimū, aliud tricesimum. Qui habet aures audiendī audiāt.

Occasio huius parabolæ uidetur fuisse ipsa nimia hominum frequētia, qui accurrebant undiq̃, atq̃ ut Lucas habet, ex ciuitatibus properabāt ad ipsum. Volebat autem ipsa significare illis non satis esse audisse uerbum, neq̃ omnes qui ipsum audirent inde meliores reddi. Id autem non accidere docentis culpa, sed audientium uitio. Nec parem gigni fructum in ijs qui audirent, sed ut quisq̃ adferret animum à mundanis curis & cupiditatibus uacuum, ita sermo nis audiri maximum esse fructum. Hortatus igitur ut auscultarent, parabolam talem proposuit; Egressus est, inquit, quidam seminator in agrum, ut seminaret semen suum, & dum late spargit, grana quædam ceciderunt iuxta uiam; ea quoniam manebant nuda aduolauerunt aues & comederunt. Alia rursus inciderunt in loca petricosa & aspera, quæ quū obsistentibus saxis non tegerentur profunda terra, nec potuerunt altius agere radices, mox ad teporem solis ante tempus enata sunt in herbam, propterea quod non esset multum terræ, quæ seruaret condita in tempus suum, nec radix profunda quæ suggereret humorem. Rursus alia ceciderunt in terram spinosam, atq̃ in crescentibus spinis suffocata sunt, nec potuerunt in liberio rem auram emergere. Alia porro ceciderunt in terram bonam & frugiferā, & feliciter enata produxerunt fructum, non parem quidem omnia, sed pro soli bonitate, alia centuplum, alia sexagesuplum, alia trigecuplum: sic ut ex alio grano nasceretur spica ferens grana centum, ex alio quæ sexaginta, ex alio quæ triginta. Hæc locutus Iesus, tum quidem non explicuit in uolucrum anigmatis, sed suo cuiq̃ animo reliquit coniectandum. Tantum adhortatus est, ut quibus essent aures idoneæ non oscitanter audirent eam parabolam. Non omnia autem locutus est eis in parabolis, sed multa. Si enim dixisset omnia in parabolis, absq̃ emolumento populi recessissent. Perspicua ergo miscet obscuris, ut per ea quæ intelligunt prouocentur ad eorum notitiam quæ non intelligunt.

Et accedētes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? **B** Qui respondens, ait illis: Quia uobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem nō est datum. Qui enim habet, dabitur ei & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. *Infr 4. 25. c. 13.*

Alio tempore, ut uidetur quum discipuli nacti essent Iesum solitarium, audierunt eum rogantēq̃ pijsimi homines ac fidelissimi, quare populo per similitudinem anigmata loqueretur. Quibus hūc in modum respōdit Iesus, Quia se nondum satis idoneos præbent, quibus aperiatur ueritas, quia non solum non sunt meliores quidam admixti turbæ, uerum etiam irritantur ut fiant sceleratiores. Propterea quales illi adferunt animos ad audiendum, tales illis propono sermones. Illi quæ sunt manifestissima nolunt intelligere, ego tenebris inuoluo sermonem, ut uel sic prouocē ad discendī uestigandiq̃ studiū. Vos autem, qui quod datur simpliciter auideq̃ accipitis, digni estis, quibus secretiora quædam Euangelicæ philosophiæ comunicētur. Siquidem habentī dabitur ut abundet, cæterum nihil habentī adeo nihil addetur, ut eo quoq̃ quod habere uidebatur sit spoliandus. In alijs facultatibus crudele est spoliare egenam, hic quoniam inopia nascitur ex egeni uitio, iustum est auferre quod ha-

bet ingratus. Nos gratis offerimus aliqua rudimenta cœlestis philosophiæ, nimirum pro capacitate simplicitateq; animorum, ueluti semina quædam iacientes. Ea si quis auide imberit, nimirum prouocat nos ut plura illi tradamus. Cōtra, qui quod gratis datum aspernatur ac reijcit, sibiq; uertit in occasionem maioris malitiæ, nōne dignus est, ut eo, quod indignus habebat, spoliatur? Aderant sanè in turbis illis quidam reprobi, nullas ad audiendum aures habentes, quibus ad conuincendam ipsorum impietatem, ueritatem prædicari quidem oportebat, quam licet agnoscant, nō tamen per eam persuadeantur. Non tamen deerant nec pauci in turba electi, qui per parabolas illas saltem aliquid erudiebantur, ac omnino ad hoc apparabantur, ut scilicet suo tēpore etiam ipsi mysterium dei agnoscerent. Nam omnino in reuelanda sui cognitione deus ordinem quoq; obseruat. Vulgo autem iactata sententia est prouerbialis, Qui habet dabitur ei &c. qualibus Christus in præcedentibus usus est, & plerumq; utitur.

Isaie 6. c
 Marc. 4. b
 Luce 8. b
 Ioan. 12. f
 Acto. 28. f
 Roma. 11. b

Ideo in parabolis loquor eis: quia uidentes non uident, & audientes nō audiunt, neq; intelligunt: ut adimpleatur in eis propheta Isaia, dicentis: Auditum audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & non uidebitis. Incaffatum est enim cor populi huius, & auribus grauitate audierunt, & oculos suos clausurunt: ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.

Paulo quidē aliter citatur à propheta Isaia 6. sed sensus idem est, nempe reprobros uerbo dei magis exceçari dum audiunt, atq; inde digne reprobari & damnari, cum eò adiguntur praua uoluntate sua, ut spiritum sanctum blasphemant etiam agnitum, atq; ita peccatum suum consumment. Ideo domini iudicio fit, ut siue parabolarum obscuritatem, siue sermonis humilitatem, siue aliquid huiusmodi uerbum dei habeat, semper illi offendantur, & ad salutis scientiam tanto stupidiores reddantur: apparatus enim sunt ad interitum, siue eo electi erudiuntur ad salutem, et uiuificantur, atq; ad hoc probandum dominus istuc oraculum hic adduxit. Sunt autem re uera tales infelices, sed miserandi nō sunt, quanquam miserrimi, qui scientes uolentes sibi accersunt exitium, & reijciunt salutem. Contra uero:

Luce 10. d

Vestri autem beati oculi, quia uident, & aures uestre quia audiunt: Amen quippe dico uobis, quia multi prophetae & iusti, cupierunt uidere quæ uidentis, & nō uiderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.

Certe multi reges & prophetae quibus Christus promissus est uenturus, & de eorum sanguine, diem illum diuine benignitatis uidere, atq; Euangelion regni dei audire optauerant, quibus id datū non fuit. Beati igitur hætenus sunt oculi discipulorum Christi, & beatae aures fuere, quibus contigit præsentem mundi seruatorem uidere, uocemq; eius audire, quandoquidem cognouisse deum solida demū beatitudo existit: nō enim loquitur de sola corporali uisione, & auditione Christi, cuius argumentum est, quod loquitur de mysterio regni, & de his quæ cœlantur sapientes & prudentes. Quanquam uero dominus prophetas illos reges & iustos multos habuerit, & ceu filios amauerit, non tamen reuelauit eis quæ his piscatoribus, nulla dignitate uel exigua uel rara, sapientia aut iustitia insignibus. Desyderium autem iustorum pulchre descriptum est in Simeone illo iusto: quia enim gloriæ dei studebant, & ea Christi temporibus maxime

maxime erat illustranda, quia amplior dei cognitio erat passim reuelanda, ideo perpetuis iisdemque ardentissimis uotis aduentum Christi optabant & orabant, ut sparsim in Prophetis atque Psalmis legitur. Vt nostro torpori, quod donatam iam nobis istam Christi cognitionem, tam tepide adeo amplectimur, & tam modico desiderio propagandae eius flagramus.

Vos ergo audite parabolam seminantis. Omnis qui audit uerbum regni, & non intelligit, uenit malus & rapit quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus uiam seminatus est. Marci 4.6
Lucas 8.6

Quandoquidem igitur hoc promeretur uestra simplicitas aueritasque cognoscendi, uos audite quid sibi uelit parabola, quam proposui de seminatore, faciente semen suum. Tria sunt hominum genera, in quibus semen Euangelici sermonis aut nullum aedit fructum, aut non perficit quod exortum est. Ac primum quidem est omnium sterilissimum. Hi sunt qui leuiter ac oscitanter audiunt uerba doctrinae coelestis, nec demittunt in animum suum, nec cogitatione infigunt ut illic radices agat: sed animum habentes nullo studio curaque septum aduersus insultus inanum cogitationum, ad quamlibet occasionem sinunt proteri conculcarique quod seminatum est. Id sentiens ille malus, qui insidiatur & inuidet exordiis melioribus, protinus immittit in animum curas aliquas uolaticas, quae perdant semen priusquam herbescat aut radices agat. Vt nihilo meliores sint quam si non audissent. Hos designat imago seminis, quod cecidit iuxta publicam uiam, qua comitantur homines & bestiae, hoc est curae qualitates, affectus cognatorum & affinium, cura publici magistratus, amores, odia, suspitiones, aliaque id genus. Haec sermonem Euangelicum penes prius expellunt ex animo, quam receptus sit.

Qui autem super petrosa seminatus est: hic est qui uerbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: non autem habet in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione & persecutione propter uerbum, continuo scandalizatur.

Alius est, qui sermonem Euangelicum ueluti semen accipit auribus, atque aude demittit in animum suum, secum meditando, ut ad illius regulam instruat uitam, sed quoniam non penitus infigit animi medullis, sed hominum more temporario quodam affectu leuiter agit quod agit, tantisper fouet semen acceptum, donec in herbam exeat, ac spem quandam praebet Euangelicae pietatis, abstinens a magnis uitijs ac uirtutibus mediocribus enitescens. Verum si qua orta fuerit persecutionum procella, et ob Euangelij professionem intente robur desiderant, tum uelut ad aestum solis uehementem exarescunt ac deficient in herbam, sed aduersus solis aestum humore non ualens tueri, quum per petras non liceat altius tendere radices. Attende autem quod ultimo additur Continuo scandalizantur. Est ergo aliqua distantia inter eum qui multis tribulationibus poenitentibus compellitur Christum negare, & eum qui ad primam persecutionem statim scandalizatur & corruit.

Qui autem seminatus est in spinis: hic est qui uerbum dei audit, & sollicitudo saeculi istius & fallacia diuitiarum suffocat uerbum, & sine fructu efficitur.

Est & alius, qui & auide audit sermonem Euangelicum, & satis alte demittit in animum suum diuicq; retinet, sed perplexis huius mundi curis, praesertim diuitiarum, irretitus animus ueluti spinis quibusdam densissimis obrutus, non potest quod amat libere sequi. Has spinas inter se cohaerentes, inter sese inuicem implexas, quoniam non patitur demeti, perit fructus iacti seminis. Hunc indicabat imago seminis excepti solo spinis ac uepribus obsito. Non dixit autem saeculum hoc suffocat, sed sollicitudo & cura saeculi, neq; diuitiae sed fallacia, hoc est deceptio diuitiarum. Diuitiae enim quando disperguntur & in pietatis usum insumuntur non suffocant, sed crescere faciunt uerbum. Spinæ autem sunt curæ & delitiæ, eo quod ignem concupiscentiæ et gehennæ accendunt; & sicut spina acuta in corpus penetrat & difficulter eruitur, sic & delitiæ inualescentes animum ingrediuntur & uix eradicantur.

Qui uero in terram bonam seminatus est: hic est qui audit uerbum & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud uero tricesimum.

Semen uero tandem exceptum in terram bonam, signat illos, qui audiunt attente & cum fide sermonem Euangelicum, quiq; secum repetunt uerbum domini & infigunt cogitationi: sic quoq; transfundunt in affectus animi sui, ut nec morte uelint ab eo deficere, quiq; semet explicant ab affectibus, & sordidus curis diuitiarum, quæ non sinunt animum esse liberum, sed totos se præbent auræ cœlesti. Huiusmodi mentibus non est infrugiferum semen Euangelicæ doctrinæ, sed quemadmodum triticum nõ in quouis solo fert fructum parem, sed pro felicitate terræ minore aut maiore fœnore prouenit, ita pro pio studio, captuq; eorum qui sermonem audiunt, fructus uberius pietatis prouenit. Testatur hic suo more scripturam Hieronymus propter uirginitatem, Centuplum prouentum suum referens ad uirgines: Sexageculum ad uiduas & continentias: Trigecuplum ad coniugatos. Cum alij primũ prouentum detulerint martyrio, secundum uirginibus, tertium uiduis & continentibus, nullum locum relinquentes honorabili coniugio. Augustinus uero contra, primas martyribus, secundas uiduis, tertias coniugatis tribuerit: sic alij aliter alijs. Simpliciter uera est & certius accipiendum, ut Christus iuxta præscripta, summum, infimum, & mediocre Euangelij fructificantis modum intenderit, quemadmodum fecit in talentis decem, quinq; & uno. Nihil hic de externis istis statibus, nec de percipiendis fructibus, sed reddendis agitur. Sunt enim fructus arboris nostri quæcumq; dixerimus uel gesserimus, unde alij utilitatem percipiant iustitiæ & salutis. Qui enim semen Euangelij uera fide percepit, & loqui eum & agere oportet, quæ ut ad salutem proximorum, ita & ad dei gloriam faciant.

Marci 4. d
Luce 13. d

D Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factũ est regnũ cœlorum homini, qui seminauit bonũ semen in agro suo: cum autem dormirent homines, uenit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nõne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis imus & colligimus ea? Et ait: Non: ne forte colligentes

tes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite utraq; crescere usq; ad messem: & in tempore messis, dicam messoribus, Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos, ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.

Proposuit et aliam parabolam dominus Iesus, cuius explanationem nō minus claram quā prioris ipse dominus, interpositis duabus alijs, tradidit. Voluit autem docere, & aliam seminis diuini pestem esse cauendam, si quis uelit triticum purum ac syncerum reponere in horreum. Nam reliqua quidem mala tantum solent lādere semen recens iactum aut herbescens, hoc iam enatam et adultam segetem corrumpere. Ea pestis est, cum Satanas qui nec uolaticis et oscitantibus cogitationibus, nec persequutionū tumultibus, nec curis opum, honorum, similiarumq; rerum, quibus humana uita distinetur, potuit obruere semen Euangelicæ doctrinæ, per pseudapostolos ac impios episcopos hæreticosq; cœlestem doctrinam ad suas cupiditate malas interpretatione subdolandetorquentes, ac uera falsis, syncera uitiolis admiscentes, conatur inficere. Parabola sic habet: Regnum, inquit, cœlorum simile est homini patrifamilias, qui cum bonus esset, bonum semen seminat in agro suo. Cæterum dormitantibus famulis, clam uenit inimicus quidam, qui male uolebat illi patrifamilias, quoniam non potuit noctu tollere semen, quod iam terra conditum erat in futuro, dolo molitur lādere. Zizaniarum inutile semen inspargit & admiscet seminato tritico: atq; hoc facto abiit. Hunc dolum primum nemo sensit. Quum uero iam semen emerisset in herbam, & culmi spicis essent onusti, tunc demum simul enata zizania, prodita dissimilitudine cœperunt apparere. Porro serui demirantes unde id accidisset, adierunt patremfamilias: Domine, inquiunt, nonne tu bonū semen seminabas in aruo tuo? Vnde igitur admixta zizania? Dominus autem suspicans authorem noxæ, Inimicus, inquit, homo hoc fecit, qui mihi tam male uult, ut etiam nullo suo bono me gaudeat lādere. Tum serui: Vis ne igitur eamus & colligamus zizania, segetemq; purgemus? Ait dominus, Nequaquam: Ne forte imprudentes dum euellit zizania, simul eradicetis & uicinum triticum. Sinite triticum simul & zizania crescere usq; ad tempus messis. Tum hoc negotij dabo messoribus, ut priusquam demetant, subleuant prius admixta zizania, eaq; separatim compingant in fasciculos ad ignis alimoniam, ac deinde triticum purum recondant in horreum meum. Quod uero hac parabola uoluit docere, est, fore in ecclesia semper malos & hypocritas, bonis ac ueris Christianis permixtos. Quæ omnia faciebant ad mouendū turbas, ne sibi ex eo placeret, quod Christum audirent ac uelut gregi ipsius afferentur, cum non solum sine fructu ipsum multi audiret quod priore parabola ostendit, sed etiam quod simul futurum esset, ut uani hypocritæ gregi suo ad finem usq; sæculi huius admixti agerent. Id uero totum clarius in Christi domini explanatione inferius describenda discetur.

Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus. Cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut uolucres cœli ueniant, & habitent in ramis eius.

Regnum cœlorum prædicatio est Euangelij, & notitia scripturarum sacra

rum, quæ ducit ad uitam æternam ac cœlestem, de qua dicitur ad Iudæos: Auferetur à uobis regnum dei, et dabitur genti facienti fructus eius. Huiusmodi regnum simile est grano sinapis, quod accipiens homo seminat in agro suo. Christus in mentibus fidelium seminator est fidei & uirtutis. Minima autem est omnibus discipulis, quia ad primam quidem doctrinam fidei uix credi potest, hominem deum mortuum, & scandalum crucis pertulisse pro hominis salute. Confer huiusmodi doctrinam dogmatibus philosophorū, & libris eorum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermonum, & uidebis quanto minor sit cæteris seminibus sementis Euangelij. Sed illa cum creuerit, nihil uiuidum nihil uitale demonstrat, sed totum flaccidum, marcidumq̄, & mollium, ebullit in olera & in herbas, quæ cito arefcunt & corruūt. Hæc autem prædicatio, quæ parua uidebatur in principio, cum uel in anima credētis, uel in toto mundo sata fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arborem, ita ut uolucres cœli, animæ credentium, & sapientes huius sæculi, ueniant & habitent in ramis eius, hoc est dogmatum utilium intellectibus, intelligendo, credendo, & approbando, per acceptam desuper fidem cum tempore perficiendam: quamlibet à principio parua habeatur, & modica æstimetur, succrescet tamen cum tempore, domino incrementum dante contra omnem sapientiam mundanam sese erigentem contra fidei Christianæ pietatem.

Lucæ 13. c

Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

Fermentum duplex.

Idem aliter dominus prædicere uoluit, nempe regnum dei breui inualiturum, & totum orbem occupaturum: sicut paulum fermenti totam farinam breui tempore peruadit & inflat. In quo simul notatur, qui uere regni dei participes facti sunt, integra fide præditi, eos non secus atq̄ fermentum, alios quoq̄ conari eidem regno adiungere. Sicut autem & malum fermentum quicquid contingit corrumpit, quare & expurgandum docet Paulus, & pharisæorum improbam doctrinam Christus fermentum uocat: sic multo efficacius serpere & insicere quoslibet debet fermentum sacrum doctrinæ Euangelicæ. Cui igitur non summæ curæ fuerit, quo latissime Euangelium spargatur, & saluifica cognitio dei imbuat multos, is prodit & seipsum nihil aut perparū esse nactum fermenti Euangelici. Satum autem iuxta Hieronymum genus est mensuræ, iuxta morem prouintiæ Palæstinæ, unum & dimidium modium capiens.

Marci 4. d

Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eruclabo abscondita à constitutione mundi.

Psal. 77. a

Non discipulis sed turbis per parabolas loquitur, quo simul & animos illorum obscuritate sermonis ad discendi studium excitaret, nec ansam tamen daret occasionem uenantibus calumniandi. Septuagesimus autem septimus Psalmus, de quo hoc sumptum est testimonium, Asaph prophete titulo inscribitur. Nam Idithun & Heman ac similes, sicut & Dauid prophete appellantur. Quo significatur, omnia Christum locutum fuisse in parabolis. Taliter enim se habuit, ut quadraret ei ita utenti parabolis, illud Psalmi de se dicere, Aperiam in parabolis os meum &c. Quod autem propheta dicit, Os suum se in parabola aperit

aperturum, & eructaturum enigmata ab initio, quæ Euangelista uocat abscondita à constitutione mundi, cum tamen potissimum beneficia populo Israëlita co diuinitus exhibita, & simul pœnas infidelitatis, quas dederūt, in eo Psalmo canat, huc spectasse uideatur, quod uere recondita, & uelut parabolica in illis, quæ patribus contigerant sapientia atq; institutio lateat, nota autē fiat posteris.

Tunc dimissis turbis, uenit in domum: & accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Ediffere nobis parabolam zizaniorum agri.

Cum solus esset domi Iesus, & sine turbis, adierunt eum discipuli familiares, oportunitatem proficiendi captantes, et magistrum rogantes ut explicaret ipsi parabolam de zizanijs tritico permixtis: nam aliæ parabolæ manifestiores eis uidebantur. Zizania autem dicuntur omnia quæ inter fruges pullulant etiā nociua, utpote lolium, uitiā, bromium &c.

Qui respondens ait: Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem, est mundus. Bonum uero semen, hi sunt filij regni. Zizania autem, filij sunt nequam. Inimicus autem qui seminauit ea, est diabolus. Messis uero, cōsummatio sæculi est. Messores autem, angeli sunt.

Sicut ergo colligunt zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi: mittet ergo filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.

Nihil grauatur dominus dilucide enarrare parabolam zizaniorum rogatus à discipulis. Bonus, inquit, ille pater familias, qui seminauit bonum semen, est pater cœlestis. Ager in quo seminauit, est mundus totus, non solum Iudæa. Porro triticum quod enatum est bonum ex bono semine, ij sunt qui ex institutione Euangelica sese dignos præbent regno cœlorum, professioni suæ uita factisq; respondentes. His admixta ex malo semine mala zizania, sunt improbi, qui non syncere profitentur Euangelicam doctrinam. Inimicus autem ille, qui nocte clam admiscuit suum semen, unde nascitur peruersa doctrina, est diabolus. Serui qui uolunt ante tempus colligere zizania, sunt ij qui pseudapostolos & hæresiarchas gladijs ac mortibus existimant e medio tollendos, quum pater familias nolit eos extinguere, sed tolerari, si forte resipiscant, & e zizanijs uerantur in triticum. Quod si non resipiscant, seruentur suo iudici, cui pœnas dantur aliquando. Tempus messis, est cōsummatio sæculi. Messores angeli sunt. Interim igitur mali bonis admixti ferendi sunt, quando minori pernicie tolerantur quam tollerentur. Porro cum uenerit extremum illud tempus, cum seruantur boni à malis, quū cuiq; pro factis sua dabuntur præmia, tunc filius hominis omnium iudex, mittet angelos suos, qui repurgent regnū ipsius, neque quicquam offendiculi sinet illic residere. Quandoquidem iam nec boni malis prodesse poterunt, nec mali sinentur amplius bonis negotium facessere. Sed quicumq; uiuentes inter bonos, maluerint illis esse molesti, quam eorum confretudine fieri meliores, separatos ab alijs congregabit, ac tradet illos incendio gehennæ. Ibi pro momentaneis falsisq; uoluptatibus, supplicijs nunquam finiendis afficientur, submoti ex area ecclesiæ, & coniecti in specū tartareum, hoc est in regnum patris sui diaboli, ubi fera iam & inutilis pœnitentia fletum eiulatum ac dentium stridorem extorquebit à miseris.

Parabole Christi
sicuti quomodo ex
ponende.

ne prognati perseverant ad finem usque. Quanquam hic interim humiles uidentur, & ab improbis affliguntur, tunc deposita omni mortalitatis humilitate, fulgebunt ut sol in regno patris ipsorum. Admonendi uero hic sunt prædicatores, ut nolint in Christi parabolis, & reliquis locis Christo uelle esse argutiores, sed ut satis habeant, id commendasse, quod uident Christum uoluisse commendare. Ut sunt in præfenti parabola quædam proposita, quæ in redditione non sunt explicata, in quibus ne tu quidē frustra philosophari uelis. Ita sane omnes Christi parabolæ sunt, ut si uelis singulis partibus suas explanationes dare, nihil plus agas, quam quod ea argutia tua, & id quod Christus præcipue uoluit amittas, & in meras teipsum nugas adducas. Hac in summa parabola, à Christo explicata, terreamus hypocritas, consolemur nos ad tolerantiam malorum, quia aliter fieri non potest, quam ut multi offendant in omnibus, & tamen tales uideri nolint, quod est hypocritam agere, quos ferre oportet dum hic uiuimus. Demus ergo operam, ut nostra quæ docemus certa sint & solida, quæ ut sermones dei loqui debemus. Ita uero erunt, cum puro dei uerbo, & nequaquam nostris commentis conuenient: id certe quod olim & nunc magni uiri scriptis non fecerunt, argute magis quam solide suis aptantes cogitationibus, quicquid interpretandum in sacris susceperunt.

Qui habet aures audiendi, audiat.

Hæc, inquam, iam dicta atque dicenda utrinque, maxima dum sint, non sunt oscitanter audienda: ad omnium uel felicitatem sempiternam, uel exitium perenne pertinent. Proinde quisquis habet aurem non surdam, & obturatam huius mundi cupiditatibus, audiat ut fugiat æterna supplicia, & uitam assequatur immortalē. Ad hæc quo magis accenderet animos suorum ad sitim Euangelicæ pietatis, adhibet & alias duas similitudines, quibus docet Euangelij professionem non esse rem leuiter aut uulgari studio expetendam, sed omnibus commissis, hoc unum summo studio conandum, omniumque bonorum iactura, summum illud bonum esse comparandum. Quod quanquam non sit cuius obuium, tamen semel repertum, summam habet felicitatem, & quanquam interim lateat apud homines, nec ostentat sese, tamen is qui possidet, tacitus apud se plaudat sibi, securus expectans illum diem, quo felicitas, quæ nunc in obscuro est, profertur in apertum. Sic autem loquitur Christus discipulis:

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius uadit, & uendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illum.

Regnum, inquit, cælorum simile est thesauro defosso in agro: quem si quis forte nactus fuerit, non iactat apud alios, ne quis sibi præripiat, sed in sinu gaudens, sibi gratulans, abit ad eius fundi dominum, & diuendit omnibus suis possessionibus, conflataque quanta potest pecunia, mercatur agrum illum, in quo nouit latere rarum thesaurum, sibi uidetur felix, qui nudatus multis medicamentis possessionibus, unico sed insigni, licet ignoto, sit fundo ditatus. Quo designatur pretium Euangelicæ salutis & gratiæ, quanto desiderio oportet suscipi, atque omnino à cognoscentibus uim eius suscipiatur. Atque hi sunt, qui uim quodammodo regno dei inferunt, qui nihil tam charum possident, quod cum eo commutare dubitent, cui nihil præponendum definiunt: quod qui non faciunt, ostendunt se gustum Euangelij nullum adhuc percepisse.

Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori, qui querenti bonas

bonas margaritas. Inuenta autem una pretiosa margarita, abiit & uendit omnia quæ habuit, & emit eam.

Rursum Simile, inquit, est regnum cœlorum homini negotiatori, qui delectabatur bonis margaritis, quum autem nactus esset unā insigniter bonam, illico diuenditis possessionibus omnibus, mercatus est eam. Nec sibi uisus est factus pauperior, quod iam nihil haberet pristinarum opum, imò tum demum opulentus sibi uidetur, qui sibi conscius esset quod secreto possideret margaritam, quod quamlibet exiguum, tamen omnium illarum possessionum pretium superaret. His adiecit & aliam parabolā non absimilē illi de tritico & zizanijs.

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quam cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in uasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi: exhibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.

Hac parabola rursus declarat malos cum bonis in regno dei adherere, & in fine sæculi demum separandos. Cum enim uerbum domini Euangelium regni prædicatur perinde est, ac si quis uerriculum in mare iaciat. Vt enim eo prius non omnes pisces capiuntur, sed aliqui, deinde ij uarij, inter quos multi quoque nullius usus habentur, & postremo ijdem mali pisces, non nisi uerriculo ad terram tracto à bonis separantur: sic primum prædicato Euangelio non omnes accedunt: deinde inter eos qui ipsum uidentur amplecti, plurimi existunt hypocritæ, & illi denique non nisi in fine mundi à bonis separabuntur. Exhibunt enim angeli tunc dispecturi quid trahat rete Euangelicum. Nec sinent amplius malos bonis admixtos intra eandem sagenam, sed ex meritis non ex professione quenquam æstimabunt. Malos semouebunt à consortio bonorum, atque hos quidem recondent domino suo, illos abiicient in fornacem ardentem, ibi erit cruciatus intolerabilis, qualem solet testari ploratus & dentium stridor.

Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & uetera.

Quo magis dominus animis suorum insingeret hæc iam dicta & alia, rogabat num hæc omnia satis intellexissent. Quum uero respondissent sese intellexisse, sibi eicit & aliam parabolam, qua submonebat eos, hæc et huiusmodi multa discenda, & in memoriæ penuario reponenda, quo mox ad omnem occasionem possent depromere, siue præmijs alliciendus esset auditor, siue supplicio se mundum, & thesaurum diuitem & opulentum: unde nunc ex ueteris instrumenti libris, nunc ex Euangelica philosophia facile depromant uaria, prout auditorum utilitas exegerit. Nec enim semper eadem docenda, nec eodem modo, nec omnibus rebus omnes commoueri. Opus est igitur diuite quodam thesauro, omni doctrinarum genere instructo. Sic autem habet parabola. Habent, inquit, scribæ Iudæorum quod ex libris consulti respondeant. Sed quisquis uult esse scriba doctus in regno cœlorum, ei non est satis proferre uetera, nisi profert & noua. Similis opulento cuidā patrifamilias, qui nihil non habebat in the-

Marci 6.4

Lucæ 4. c

Ioan. 4. f

Ioan. 6. c

sauro, siue quis noua desyderet siue quis uetera malit, ut omnibus satisfaciat. Et factum est cum consummasset Iesus parabolas istas, transijt inde. Et ueniens in patriam suam, docebat eos in synagoga eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc, & uirtutes? Nõnne hic est filius fabri? Nõnne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioseph, & Simon & Iudas? & sorores eius, nõnne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo.

Cum hisce multis & uarijs parabolis alijsq; doctrinis satis Christus populo Iu instruxisset, & discipulos suos dimisisset, ut subinde mutato loco latius spargeretur Euangelica doctrina, abiit in patriam suã, hoc est Nazareth. Vbi non auspicatus est prædicationẽ, ne quid tribuere uideretur humano affectui. Nec tamen præteritam uoluit, ut doceret omnibus bene faciendum. Ingressus igitur illorum synagogam, cœpit docere eos, quemadmodum alios docuerat. Hic obfuit Euangelico negotio, quod tamen prodesse debuerat, nisi uulgi hominum notis ac familiaribus inuidere mallet quã fauere, quum exotica stulte miretur, hoc ipso præclarum esse indicans aliquid, quod è longinquo uenerit. Quum igitur hic agnosceretur Iesus à nonnullis, qui nouerant humilitatem familiaritatis, ac parentum tenuitatem, simulq; artem qua Ioseph uulgo creditus pater, uxorem & priuignum suum alebat, cuius artis sciebãt & Iesum fuisse, nec unquam accepissent illum literis institutum fuisse; ita murmurant inter se, Vnde isti tam insignis sapientia? aut unde uis ædendi miracula? Nõnne hic est Iesus ille faber, Ioseph fabri filius? Nõnne mater eius paupercula est, & humilis apud nos, quæ dicitur Maria? Nõnne consobrini illius apud nos sunt, Iacobus et Ioseph, Simon & Iudas? Nõnne quotquot habet proxime cognatos, omnes apud nos hic degunt? Vnde igitur iste subito factus alius ad nos redit, docens et miraculis pollens? An credit sese nobis ignotum esse? Ita Iesu cognatio fortunæq; humilitas fuit illis offendiculo, nihil adhuc nisi plebeum & humanum de illo suspicantibus, & ob pristinae uitæ humilitatem nouæ claritudini subinulentibus. Dissimulare non possum, quod hoc loco Theophilactus Græcorum doctorum diligens lector & annotator recenset de Ioseph nutritio domini, pro eis qui nihil nisi uirginitatem laudant, cum sint parum pudici sensu et actibus. Qui hic ait: Fratres habuit dominus & sorores, Ioseph filios quos genuit ex uxore fratris sui Clopæ. Mortuo enim absq; liberis Clopæ, Ioseph iuxta legem uxorem eius accepit, & pueros procreauit sex, quatuor mares, & duas fœminas, Mariam quæ dicebatur Clopæ, filia secundum legem, & Salomen. Hæc si credantur, & uera sint, nihil uideo dedecoris accidere, neq; Christo domino, qui talem habuit educatorem, nec dignissime uirgini, quam à domino sponsus iustæ iam ætatis si non prouectæ iussus est accipere, & fouere fide sacratissima. Nec derogat sanctimoniam, si filios habuit iuxta legem Ioseph uir sanctus & innocens, ac à deo electus nutritus Messia domini Iesu. Vt frustra anxij sint, qui illi cū tutor Mariæ esset, iuuentutẽ asserere, & perpetuã quoq; uirginitatẽ ut laudatam sine autoritate docere, & mordicus uindicare, temere ne dicant stulte moliuntur. Sed de his iudicent pie eruditi.

Iesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua. Et non fecit ibi uirtutes multas, propter incredulitatem illorum.

Quam

Quoniam ipsum adeo contemnerent, magna tamen modestia illis se de eo purgavit, quod non apud eos ut in Capernaum signa æderet, idque adductis exemplis Eliæ & Helifai, quorum uterque non à patria tantum, sed ab omni cognatione Israël alienis, per miraculum benefecit domesticis præteritis. Quolatenter tamen simul eis incredulitatem ipsorum opprobrauit, quæ utique in causa erat, ne posset etiam apud illos uirtutes miraculorum ædere, nisi quod paucos infirmos impositis manibus sanauit. Hæc ipsorum incredulitas, & obstinata impietas, satis sese prodidit, cum admodum ciuilibiter admoniti adeo contra dominum sequerent, ut eiectionem oppido conarētur de montis supercilio, in quo erat oppidum situm, dare præcipitem. Credebant scribæ & pharisæi Christum non esse, eo quod in Nazareth nutritus esset, quem legissent nasciturum in Bethleem. Hi uero Nazarenū offendebantur, scientes parentes & fratres humilitate tradebat. Spiritu enim uacui, spiritus opera non iudicabant uel æstimabant, alia quamlibet minuta peruestigantes, quo ansam haberent calumniandi. Ea igitur incredulitas superuenit illis iusto iudicio dei, quo peccatum suum consummantes perirent. Despiciuntur autem dominus in domo, hoc est in familia, & in patria sua, hoc est, in populo Iudaico. Et ideo ibi pauca signa fecit, ne penitus inexcusabiles fierent. Maiora autem signa quotidie in gentibus per apostolos facit, non tam in sanatione corporum quam in animarum salute. Hoc die quoque dominus in patria sua, hoc est in Iudaica cæcitate ignominiosus est. Nos autem exteri gentiles, dominum & saluatorem ueneramus, legem & prophetas audimus, Christum promissum agnoscimus & amplectimur, Iudæis in uicia tabescentibus, & perfidia consopitis,

CAPVT XIII.



Nillo tempore, audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu, & ait **A** pueris suis: Hic est Ioannes Baptista; ipse surrexit à mortuis; & Marci 6. b
Luce 9. a ideo uirtutes operantur in eo.

Herodes hic tetrarcha Galilææ, filius erat eius qui pueros in Bethleem occidit. Considera autem hic factum uitæ tyrannicæ. Ecce enim post quantum tempus fama de Iesu ad Herodem peruenit, tarde illa discentem, eo quod non curabat eos, qui uirtute erant conspicui. Tandem uero audiens de doctrina & prodigijs Iesu, cum uariarent opiniones multitudinis, alijs eum dicentibus esse Heliam, alijs Ieremiam, alijs alium quempiam è priscis prophetis; nec deerant qui prædicarent eum esse Ioannem, qui cum in uita miraculum non ædidisset, iam ob insignem iustitiam & indignæ mortis meritum uitæ redditus, iam factus esset miraculis ædendis potentior. Credita enim tunc quoque fuit impijs Iudæis carnalis hominum regeneratio, & animarum remigratio, qua in hanc uitam mortales rursus quidam resurgerent, quam cum Pythagora multi quoque gentiliū philosophorum & poetarum tradiderunt. Herodes autem irridens rumorem, aiebat, Ioannem decollauit, & quomodo uos arbitramini illum uiuere? & non solum uiuere, uerum etiam miraculis pollere? Mox autem ubi de tam crebris tamque insignibus prodigijs factus esset à multis certior, ut iam rumor non posset uideri uanus, dixit secreto famulis suis: Hic de quo tam mira narrant non est Iesus qui iam pridem periit cum Bethleemiticis infantibus, sed est Ioannes, qui surrexit à mortuis, & ideo iam factus diuiniore clarescit miraculis. Vide autem

tem ut puerilibus erroribus homines inuoluantur, cum cadit pietas, ut illo ceciderat sæculo,

Marc. 6. c
Luc. 3. d

Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum; & posuit in carcere propter Herodiam uxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes; Non licet tibi habere eam.

Quia occisum ab Herode Ioannem per occasionem Euangelista memorauit, causam & rationem necis eius, eo quod sint memorabiles, simul uoluit subiicere. Coniecerat autem in carcerem Ioannem Baptistam, quanquam uirum haberet in pretio, nec pauca gereret ex illius consilio, ut Iosephi Iudæi causas arbitrer confictas, ut solet Iudæus ille multa. Euangelistis potius credendum, qui narrant hunc fauorem regis, ut facile fit, ob ueritatem uersum in odium, ob incestam mulierculam, cuius plus apud tyrannum ualuit turpi obsequio conciliata gratia, quam Ioannis digna ac sacrosancta autoritas. Siquidem Herodiam Philippi fratris sui uxorem, unde & filiam sustulerat uiuo fratre, in illius odium sibi adiunxerat, Ioannes libere admonuit regem, nephariū esse conubium, cum & uiueret frater, & superesset ex eo filia. Porro lex Mosaica subebat ut fratris defuncti uxorem duceret frater, si cōtigisset illum decedere abq; liberis. Herodes hoc insanius amans mulierē, quo minus licebat amare, uehementer offensus est hac libertate, adeo ut fuerit eum interfector, nisi metuisset tumultum populū, apud quem nouerat Ioannem esse uehementer gratiorisq; crederetur esse Messias, Nemo certe non existimabat illum esse uirū prophetici spiritus ac sanctimonie. Sed & dubium non est, oportune monuisse, & citra procacitatem, neq; deniq; sine spe fructus, ne quis credat eum sanctum dedisse canibus. Quod autem adeo nihil profecit, sed necem suæ monitionis præmium retulit, bona patris uoluntas fuit, qui statuerat eum ad hunc modum glorificandum, & ponere fidelibus in exemplum.

Infra 21. c

Et uolens eum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde & cum iuramento pollicitus est ei dare quodcunq; postulasset ab eo.

Hic uide fructum conuiuiorum, fructum saltationis, fructum deniq; illiciti amoris. His namq; occisum sanctissimum Ioannem, contra iura dei & nature, eodemq; tempore, quo etiam nocenti impunitas speranda esse debuerat, nempe in natali principis, quo publica lætitia uolebat omnes lætari. Et uide quales tyrannus conuiuas principes habuerit, nihilo humaniores primates, tribunos, primoresq; Galilææ, quos scilicet offendi timuerit, si quod bis stulte & insane iurauerat, nece innocentis non præstitisset. Illis in natalitio instruit gaudium, cum sanctissimi uiri iniuriosissima morte, luxum nephandum ex cibo & Venere, saltationem meretriciam cum homicidio infandissimo; ethnicorum more non piorum celebrat diem suum natalem, in quo nihil uoluptatū gentiliū non adhibebatur. Herodiadis filia puella lasciuia gesticulatione saltauit ad mensam regiam, adeoq; placuit Herodi, qui iam uino incaluerat, ut deiceret se nihil non daturum puellæ petenti, etiam si dimidium regni postulasset.

At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ,

Herodis

quo in loco sepelierint, ne consentire uideatur superstitione inuentioni eiusdem capitis, & sacrorum membrorum. Quod uero de discipulis dicitur sepelientibus corpus, & ipsius Ioannis & saluatoris discipulos possumus intelligere.

Luce 9. b
Marci 6. d. e
Ioan. 6. a

Quod cum audisset Iesus, secessit inde in nauicula, in locum desertum seorsum:

Christus uelut homo passus est sibi narrari quasi nesciret, quum praescisset etiam antequam fieret. Secessit autem in nauim, ut semotus a turba migraret in locum aliquem desertum, speciem quidem praebens humani timoris, sed reuera subtrahens occasionem scelerato regi, ne homicidium homicidio iungeret, praesertim cum Iesu tempus nondum adesset. Simulque docens nos, aliquando principum furori cedendum esse, ne benefactis irritati, & laedant innoxios, & ipsi reddantur sceleratiores. Vitare licet impios ad facinus paratos, quo prodesse liceat bonis. Atque hic quidem secessus quorundam eximiam fidem declarauit. Secessit autem nauigio trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis, id est per lacum Genesar in desertum ciuitatis quae uocatur Bethsaida.

& cum audissent turbae, sequute sunt eum pedestres de ciuitatibus. Et exiens uidit turbam multam, & misertus est eius, & curauit languidos eorum.

Non multum quietis indulgit sibi Christus, nam mox ut auditum est Iesum uitatis ciuitatibus in desertis agere ob metum, ut putabant, Herodis, ipsi relictis ciuitatibus adibant eremum, & recondentem sese in abditis secessibus: quoniam nauibus aut uehiculis ob impedita loca peruenire non poterant, pedestres sunt insecuti, nec itineris difficultate, nec inedia periculo deterriti, adeo iam doctrinam Euangelicam coeperant esurire. Ut autem hoc populi studium Christi gratiam commendat, ita humanam miseriam simul luculenter ostendit. Per pauci enim ex tam multis cum Christo perseverarunt, quod & si dominus sciret, ut uidit tamen eos, hoc est sensit, prodijt ex latebris suis, & occurrit auidis, qui se subdlexerat impijs. Porro cum uideret eodem quoque confluisse frequentem hominum multitudinem, qui secum adduxerant multos uarijs morbis obnoxios, misericordia motus est, & ex itineris difficultate perspectam habens fidem illorum, ultrò sanauit quotquot habebant aegrotos: deditque sese ipsorum saluti, non suae quieti, non solum sanando corpora, sed & docendo mentes. Adeo semper sui se similem Iesum ac saluatorem exhibuit, sed postquam fidei tot signa ostenderunt.

Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam praeterijt: dimitte turbas, ut euntes in caestella, emant sibi escas.

Notandum desiderium audiendi Christum, quo populus tantopere ardebat, ut cibi desiderium posthaberet. Certe ubi Christi sentitur gratia, ibi nihil non posthabetur. Porro discipulorum monitio de dimittendo populo ad quaerendos cibos, non tam charitatis quam tædij fuisse uidetur, quo afficiebantur. Tot enim conspectis miraculis, nondum satis perfecte sentiētes de Iesu (Sic enim uisum est sapientiae diuinæ, paulatim illos ad perfectionem fingere, quo firmior esset rerum gestarum fides, simulque ipsos doceret, quibus rationibus aliorum infirmitati mederentur) admonent praeceptorem suum, instare nocentem turbam esse ingentem, iamque plusquam tempestiuum esse capere cibum, dimittere

tere eos, ut dilapsi in uicos finitimos sibi quisque cibos emeret.

Iesus autem dixit eis: Non habent necesse ire; date illis uos manducare. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.

Christi dialogus cum discipulis de cibandis turbis, quod ipsos iubebat eis cibum dare, quod Philippum peculiariter interrogabat, ut Ioannes memorat, hæc omnia ad id faciebant, ut magis attentis miraculum quod facturus erat, commendaretur. Vere enim magnum ad erigendum fidem momētum habet præsens factum Christi. Testatur enim non posse ulla re necessaria destitui, qui *Sancti in solitudine.* Christum sequuntur, eiusque uerbo adherent, quamlibet in uasta solitudine agant. Ut plane agunt pijs omnes, uersantes in hoc mundo. Neque enim tam horrida solitudo, & destituta omni solatio hominum, & referta feritate bestiarum, esse potest, atque sunt uere sanctis etiam cultissima loca mundi. Nam & domesticorum immanius in eos sæuiunt quam ulli serpentes, leones, tigrides; igni & aqua illis interdicit, ut longe maiori miraculo uiuant, & necessaria accipiant, quam si agerent in deserto uastissimo. In desertum ergo nos Christum sequi oportet, hoc est in eam uitam, propter quam sumus odio omnibus, & amicissimos conuertamus in hostes, proque diuitijs & delitijs omnium rerum atque uitæ adeo dispendium adæamus: sed quia cum Christo sumus ubique, ideo nihil desyderare poterimus. Hæc præstiterit inculcare ecclesiæ, quam inanibus allegorijs de quinque panibus & duobus piscibus.

Et cum iussisset turbam discumbere super foenum, acceptis quinque panibus & duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem dederunt turbis.

Quod certo ordine fecit homines illos discumbere, factum arbitror, ut ad suspiciendum miraculum animi eorum magis erigerentur. Nam utique mirum fuit, tantum conuiuiarum facere discumbere, & ceu mensam eis sterni, cum non nisi quinque panes & duo pisciculi adessent. Benedicere autem laudare deum est, *Benedicere domino.* gratiasque ipsi agere: unde & alijs locis pro eodem utrunque usurpatur sæpe. Declarauit autem, quam memores esse debeamus diuinæ erga nos bonitatis, ac propensi, ut qualibet ipsam occasione prædicemus. Etenim non solum hoc locum, sed quoties Euangelicæ literæ ipsum panem sumpsisse in manus commemorant, gratias simul patri egisse testantur. Vnde qui sumendo cibum, aut quæuis alia dei beneficia usurpando, quiduis potius animo & ore tractant, quam dei laudes, cuius nunquam bonitate non fruimur: non profecto alio se probant spiritu agi, quam Christus actus fuerit. Quod autem ministerio discipulorum uoluerit dominus apponi panes & pisces, fecit ut uirtutem suam uelut in manibus ipsorum exereret, atque ita ad fidendum sibi tanto magis animaret. Nam ne sic quidem satis potētiam ipsius agnoscere potuerunt, quod probauit illorum diffidentia in tentatione mox sequente, ut memorat Marcus. Ostendit quoque Christus hoc facto, quo uictu oporteat esse contentos legatos apostolicos. Deinde ponit ob oculos syncerā multitudinis fiduciam, quæ cum uideret quantum esset commeatus, nec ignoraret quod essent hominum multa milia, tamen iussa discumbere discubuit. Et ut Christus suspiciens in cælum, indicauit se nihil docere, quod non manaret à patre cœlesti: ita uiri apostolici, quoties uiderint populum simplici fiducia pendere ex ore ipsorum, nihil eis proponant, quod non acceperint à Christo. Nec illi proponant uarias cupedias ex officio.

nis philosophiæ mundanæ, nec è suis affectibus depromant humana dogmata, sed simplicem & Euangelicam doctrinam illis distribuunt, quemadmodum acceperunt à Christo,

C Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque milia uirorum, exceptis mulieribus & paruulis.

Discipuli nihil hæsitantes distribuiebant, illi nihil addubitantes comederunt omnes, non ad luxum sed ad saturitatem. Et adeò nihil defuit numerofo conuiuio, ut perfecta cœta collecta fragmenta impleuerint cophinos duodecim, ut abundantia testaretur bonitatem dei in sibi fidentes. De numero duodenario philosophentur, quibus scripturæ certiora & simpliciora sordent. Vtinam nos uel unum hoc hinc discere possemus, quo indubie omnia hæc proprie pertinent, Christo adherentibus etiam in deserto, ubi humanum defuerit auxilium, nihil necessariorum & uerorum bonorum defuturum. Ad hoc enim panes multiplicat & pisces, ut ostendat quod ipse sit, qui terram & mare condiderit, & omnes cibi nostri ab ipso nobis dentur, & per ipsum multiplicentur.

Marci 6. f
Ioan. 6. b

Et statim compulit Iesus discipulos suos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare.

Supra quoque legimus simile 8. cap. ut cum paulò illustrius uirtutem suam ostendisset miraculis, iamque supra modum à turbis adobrueretur, dedisse operam ut ad tempus dilaberentur. Carnalis enim populi applausus nolebat, magis quærebat qui auido corde uerbum dei audirent. Ac in Ioanne quidem hoc loco aperte causa scribitur, cur uoluerit turbam fugere, nempe quod uellent ipsum regem facere. Iam terrenum regnum nolebat, qui rex erat cœlorum, & in præsentia serui non regis figura conspici uolebat. Denique cum ab omni malæ speciei alienum esse oporteat uirum bonum, ne alioqui à Iudæis seditionis affectuque regni ipse insimularetur, præstabat statim amoliri stultam illam turbam, quæ parabat rapere ipsum, & regem facere. Dimissis autem turbis, ascendit in montem solus ad orandum, exemplum proferens omnibus, qui ecclesiis præsentibus sunt in uerbo, ut orandi seriose pro se & ecclesia oportunitatem caperent ubi cumque possunt. Et ut frequentiora cum deo colloquia quæramus in locis secretioribus, secedamus ab omnibus hominibus, & ab omni eo quod ad se animum nostrum quoquo modo rapere possit. Si conuersatio nostra cœlestis esse debet, ubi ciues adscripti sumus, qui non cœlestibus potissimum delectemur?

Vespere autem factò solus erat ibi: nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius uentus.

Ostendens Christus nobis, quod oporteat absque distractione mentis præcari, solus in monte orat. Omnia propter nos facit: neque enim ipse precibus opus habet. Vespere autem precatur, docens, nos non statim ab oratione discedere, sed & nocte potissimum illis uacare: tunc enim maior est quies sensibus & mentis. Quia autem beneficium panum multiplicatorum non satis uirtutem Christi persuaferat, ideo nunc aduersa eos tentatione uoluit erudire, & animorum crassiciem pertundere crebrius, ut tandem aduerterent quem haberent magistrum, in cuius agnitione omnis ipsorum salus erat sita. Passus est ergo ipsis excitari tempestatem satis formidabilem, nec statim succurrit. Ventus illis

lis contrarius oritur, & turbat mare, & periclitantur apostoli; et tamdiu immi-
nens naufragium perseuerat, quam diu Iesus ueniat. Nox conduplicat illis me-
tum. Quid facerent? Urgebat periculum, nec aderat cuius implorarent opem.
In hoc periculo ferè tota nocte suos reliquit Christus, ut paulatim induraretur
aduersus omnes formidines, doceretq; nunquam defuturam opem diuinam
periclitantibus, etiamsi paulò serius obtingat.

Quarta autem uigilia noctis, uenit ad eos ambulans super mare. Et
uidentes eum super mare ambulante, turbati sunt, dicentes: Quia phan-
tasma est. Et præ timore clamauerunt.

In quatuor partes noctem diuidunt custodes iuxta militarem disciplinam,
singulis per tres horas suam seruantibus custodiam. Dominus autem post no-
nam horam noctis ambulans super aquam, penè desperatibus illis, ac iam iam
despondentibus animum, uenit non cymba uectus, sed ambulans super aquas.
Illi cum per tenebras uidissent ambulante aliquem, nec satis agnoscerent Ie-
sum, per noctem & metum magis horruerunt, dicebantq; intra sese, spectrum
esse quod uiderent, non hominem. Vulgus autem nauarum putat huiusmodi
trisa præsens exitium portendere nauigantibus. Tantus igitur terror illos inua-
sit, ut uelut impotentes sui facti, præ formidine exclamauerint. Discamus ergo
tempestiue dei beneficia agnoscere, cum gratitudine & fide, optimum patrem
nostrum nostræ salutis causa aduersa nobis immittere, ut salutis ancoram in so-
lo domino figamus. Sic exercitatos sanctos legimus per uniuersas scripturas
facras. Potuit quidem uidere Christus amantissimos suos per anxie dimicare
cum fluctibus, nequaquam tamen neglexit. Terruit quoq; priusquam libera-
ret & consolaretur. Vnde monemur, cum aduersitas summa fuerit, tum pro-
ximam adesse salutem.

Statimq; Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam, ego sum, no-
lite timere.

Non passus est illos diutius periclitari, sed ilico loquutus est, ut quem per
caliginem uidere non poterant uocis indicio agnoscerent. Animo bono sitis,
inquit, ego sum, nolite timere. Confidite in istis calamitatibus, ego sum, quem
ex uoce magistrum agnoscitis, qui auxilium præstare possum & uolo, fide tan-
tum opus est. Ego sum qui maiora possum, ideo non timeatis, quando nunc in-
stat salus uestra, ut tandem uirtutem magistri attendatis credentes.

Respondens autem Petrus, dixit: Domine si tu es, iube me uenire ad D
te super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, am-
bulabat super aquam, ut ueniret ad Iesum.

Ad Christi uocem ilico redditus est discipulis animus. At Petrus, qui sem-
per singulari quodam amore flagrabat & fide erga Iesum, nihil omnino credens
difficile, quod dominus iuberet, Domine, inquit, si tu es &c. Non mirabatur il-
lum ambulare, sed sibi idipsum quoq; licere putabat, illo uolente. At Iesus mo-
dis omnibus fingens ac formans illius imbecillitatem ad robur perfectæ fidei,
Veni, inquit. Ad hanc uocem nihil contatus Petrus, deiecit se e nauicula, cœ-
pitq; properare ad Iesum, ambulans & ipse super aquas. Id ostendere nobis de-
bet fidei omnia possibilis.

Videns uero uentum ualidum, timuit: & cum cœpisset mergi, cla-
mauit, dicens: Domine, saluum me fac. Et continuo Iesus extendens

manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti: Et cum ascendisset in nauiculam, cessauit uentus.

Quamdiu nihil uacillabat Petri fides, subseruiebat illi liquidū elementum. Cæterum ubi dimotis paulisper oculis à Iesu, cœpit circumspicere uentorum uehementiam, undarum tumultum, suamq̃ imbecillitatem, rursus extimuit, cœpit subsidere, periclitariq̃ ne mergeretur. Metus à uentorum uehementia nato resuscitauit igniculum fidei. Iamq̃ penè undis obrutus clamauit, Domine, serua me pereuntem. At Iesus admonens suum discipulum, periculum quod metueret non esse ab undis aut uentis, quæ potius subseruirent, sed ab imbecillitate fidei, porrecta manu corripuit ac subleuauit illū, dicens: O paruum adhuc mihi fidentis, quare uacillabas? Non enim satis est habere fidē uehementem aut temporariam, sed oportet habere perpetuam ac constantem; neq̃ discipere quantum sit periculi aut quid tuæ uires possint ferre, sed quid ego possim fidenti præstare. Mox igitur ut ingressus est nauim uenti conquieuerunt. Si igitur apostolo Petro, de cuius fidei ardore & mentis propensione in Christū constabat, dicitur hic à Christo, Modicæ fidei quare dubitasti: quid nobis dicendum est, qui huius fidei modicæ ne minimam quidē habemus portiunculam?

Qui autem in nauicula erant, uenerunt & adorauerunt eum, dicens: Vere filius dei es.

Ad unum signum tranquillitate maris reddita, quæ post nimias procellas interdum & casu fieri solet, nauæ & uectores senserunt ex tam subitaneo prodigio, in illo quiddam homine maius esse, ideo prociderunt ad pedes illius, & adorauerunt eum, dicens: Vere filius dei es, uere sermo dei omnipotens in re est, uerbum quo condita sunt omnia, quo compescuntur omnia elementa, cui naturæ rerum obediunt ad iussum & unicum nutum: quid is aliud esse possit uel haberi, quàm filius dei, non per adoptionem, qua omnes electi dicuntur filij, sed naturalis & proprius, coæternus & coequalis potestatis & naturæ cum patre, cuius est filius?

Marci 5. 8

Et cum transfretassent, uenerunt in terram Genezar. Et cum cognouissent eum uiri loci illius, miserunt in uniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes: & rogabant eum, ut uel simbriam uestimenti eius tangerent. Et quicumq̃ tetigerunt salui facti sunt.

Ad hoc discipulis illis in naui proderat duplex tentatio, & communis omnibus & propria Petro, ut ex lato auxilio dominus agnosceretur esse Christus, qui summa erat salus eorum. Terra autem Genezareth ex nominis interpretatione quæ est uallis Nazareth, intelligi potest regio humilior respectu oppidi Nazareth, quod intelligitur sitū in monte aliquo Galilææ. In qua ualle & plerumque regione prædicabat dominus Iesus, non procul à mari Galilææ, ubi & multa prius ædiderat miracula & frequenter prædicauerat. Cuius regionis homines ut audierunt posteaquam cognouerunt eum prius uisum rursus adesse, miserunt qui per omnem illam regionē diuulgarent adesse Iesum, ut adducerent, si quos haberent ægros. Iam enim ex superioribus miraculis fides illorum sumperat incrementum. Igitur undiq̃ confluentes, offerunt Iesu quotquot erant morbis obnoxij, rogantes illum, ut liceret uel simbriam uestis contere, si molestum esset cōtingere singulos aut alloqui. Tantum erat fidei re-

bur. Nec sefellit eos sua fiducia, quotquot attigerant sanati sunt. Ipse enim apparuit ex uerbis signis & factis esse seruator, qui potissimum ad afflictis & miseris opem ferre cupiat & delectetur, quod nobis & in ipsum fidem, & erga proximos dilectionem augere debet, quo & nos eadem ab ipso expectemus, & fratribus pro nostra uirili eadem praestemus. Exemploq; uirorum loci, quotquot possumus ad Christum requirendum, agnoscendum, & adorandum sollicitemus, ut saluentur per ipsum.

CAPVT XV.

Unc accesserunt ad eum ab Hierosolymis scribae & pharisaei, **A** dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lauant manus suas, cum panem manducant.

Marci 7.4.b

Haec iam praedicta de Christo domino, quo maiore cum gloria dei gerebantur, hoc magis urebantur pro suo more pharisaei, uidentes hisce rebus suam obsecrari gloriam, qua se hactenus uenditarant apud homines. Venabantur uerba calumniam, sed quo magis impetunt Iesum, hoc magis tradunt suam malitiosam caecitatem, adeo manifestam, ut populus etiam perspiceret. Aliquot simul adeunt Iesum, quia Hierosolymite; nam illic erant arrogantissimi, sed uetuisse uerbis legis quicquam adimi aut addi, pharisaei quo uideretur ipsi legum non interpretes modo, uerum etiam conditores, friuola quaedam adiecerant, quae & hodie maxime faciunt, thalmodicis praecipionibus inuertendo uerum intellectum legis diuinae. Quod genus sunt, Ne quis cibum capiat manibus impuris. Impuras autem appellabant illotas, quasi manus cibum aut hominem contaminaret, aut quasi liquor aquae sordes abstergeret animi. Item, Ne quis a foro reuersus, & in promiscua turba uersatus, cibum capiat nisi prius abluto corpore, perinde quasi contactus hominis inquinaret hominem, aut quasi purus sit qui lotus sit. Rursus ut subinde lauarentur urcei, pocula, aramenta, selle, lectice, reliquaq; suppellex, cuius usus erat quotidianus. His atq; huiusmodi multis superuacaneis ac friuolis onerabant simplicem plebem, quibus tantum tribui postulabant, ut harum praecipionum gratia, nonnunquam ea negligerent quae praeeperat dominus. Ergo quum non haberent quod impingerent discipulis Iesu transgressionem legis Mosaicae, praepotorem suggillant, quod pateretur discipulos negligere constitutiunculas humanas, non quod eas contemnerent, quanquam merito contemnendas, sed quod rebus serijs inuenti nonnunquam illa pro nihilo ducerent. Conueniunt igitur Iesum, & aiunt: Quare discipuli tui non seruant instituta maiorum suorum? nec enim lauant manus suas cibum sumpturi.

Ipse autem respondens, ait illis: Quare & uos transgredimini mandatum dei propter traditionem uestram?

Exodi 20.8

Deut. 5. b

Ephes. 6. a

Dei dispensatione factum est, ut discipuli communibus, hoc est illotis manibus coram censoribus istis cibum sumerent, non minus quam supra, dum sabato esurientes grana contererent edenda, quo Christo occasio daretur contra traditiones humanas, quae natura sua ad transgressionem mandatorum dei pertrahunt, differendi. Certe hi ipsi culpantes discipulos, quod illotis manibus ederent contra traditionem seniorum, legem dei interim traditione sua alia irritam fecerant; sicut hic, damnantes contra iura dilectionis innocentes, sicut &

aliās iam saepe fecerant. Falsam ergo Christus calumniā uera responsione confutat. Cum, inquit, uos propter traditionem hominū praecepta dei negligatis, quare discipulos meos arguitis, quod seniorum iussa paruipendat?

Exodi 21. c

Leuiti. 20. b

Proh. 20. c

Nam deus dixit: Honora patrē & matrem: &, Qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur: Vos autem dicitis, Quicumq; dixerit patri uel matri, Munus quodcumq; est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum dei propter traditionem uestram.

Lex dei erat de honorandis parentibus, id est magni habendis, ut omnia ministrare eis filij parati sint. Id enim demum honorare est, quod sanè ex praesenti Christi sermone, tum ex Paulo, ubi presbyteros qui bene praesunt duplici honore dignos affirmat, abunde patet. Contra uero hanc legem ita cauerant pharisaei quaestus causa, Si quis dicat patri aut matri Corban, id est sacrum donum quod ex me in dei cultum & sacrificium sacerdotibus defertur, tu adiutus eris, & legi dei de parentibus honorandis satisfeceris. Id ita statuentes pronunciat Christus irritam facere legem dei, quia impediunt filios dignis uel necessarijs donis honorare parentes praetextu sacrificiorum, consulentes auaritia suae, quo quod subleuandis parentibus erat impendendum, uertebant in lucrum suū. Docetis, inquit, homines sanctius et melius esse, locupletare donarijs templum, quam opitulari parētib; egenis, & technam commonstratis qua parentibus opem flagitantibus illudant filij, nimirum ut ita loquantur patri aut matri, Munus quod offero templo, tibi collatum puta. Siquidem quod deo offertur summo parenti, recte collatum est, ac filij pietas proderit & parētib;. Atq; hac arte sub praetextu falsae pietatis contra praceptum dei deseritur pater, ut melius habeant sacerdotes. Res ad uos redit, ad parentes subleuandos praeter uerba nihil redit, & impiū factum pietatis imagine praetexitis. Iniquum erat huiusmodi constitutionibus onerare populum plus satis oneratum legis onere, sed impietatis est non ferendae uestris commentis antiquare legem diuinam cum ipsa natura congruentem. Sic nostro saeculo actum, non est ut refricaretur, idq; longe turpius & perniciosius, quam unquam apud pharisaeos Iudaeorum. Vnde tot monasterijs & ecclesijs diuitiae prouenerunt cum iactura filiorum et posterorū, et damno reipublicae maximo, ut taceam pietatis & uerę religionis, quae tota uersa est in superstitiosas & sacrilegas traditiones humanas, contra sensum communem & dei legem, quae & hodie defenduntur & asseruntur longe studiosius ac mordicus, quam lex dei, & Christi domini doctrina & apostolica, pro quibus nemo sollicitatur, multum autem grassatur in transgressores mandatorum papae & episcoporum.

Traditiones
humane.

Isaia 29. d

Hypocritae, bene prophetauit de uobis Isaia, dicens: Populus hic, labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

Non sunt uerae pietatis hostes nocentiores, quam inuectores & uindices traditionum humanarum, ac nihil nisi uanissimi hypocritae: quare ueritatis solidaeque pietatis adsertor Christus, suo illos nomine ex spiritus grauitate & auctoritate appellauit. In uerbis quidem aliquantulum uariat Euangelista à propheta, sed nihil in sensu: quae uide suo loco, Isaia 29. Damnat deus sibi inuisum cultum, non tantum frustraneum, quod timor sui & cultus apud populum Iudaicum

daicum essent nihil nisi mandata hominum, quibus tandem ex doctrina hominum tantum adsueuissent. Nam corda non docebantur diuinitus, ideo præcepta dei illa externa, quæ de ceremonijs data erant, tanquam humana amplectebantur, iuxta institutionem scilicet sacerdotum & parentum; id autem est hominibus non deo seruire. Ideo uere frustra deum colebant, quippe qui missam facerent fidem & charitatē, & ore magnopere ipsum celebrantes, cor nimium alienum ab ipsius uoluntate haberent. Eoq; minatur stupenda se illis facturum mala, unde se expedire nequeat. Id profecto non solum populus Iudaicus, sed nos quoq; miseris modis experti sumus, stupendis malis adobruiti, perdita sapientia dei omni, præcipue eorum qui instituere Christi populum debuerant, unde & talia statuerunt iam olim, & mordicus manu tenent, quæ pijs omnes & in lege domini eruditi satis stupere non possunt: tot scilicet satisfactiones pro peccatis institutas, tot sacrificia pro purgatorio euadendo, tot uota ad domino complacendum, &c. Verū doctrinæ & mandata hominum intelligantur, quæ sed ad gratificandum potius deo sunt constitutæ, quales apud nos fuerunt de dierum discrimine, locorum, personarum, ciborum, qualia secundum Paulum inuenta sunt hominum, ueritatem auersantium, propter quæ deus contemnitur, qui omnia necessaria docuit in scripturis canonicis, per quæ fiat homo dei instructus ad omne opus bonum. Talibus quoq; homines studiosius adherent quam dei mandatis, & gratiæ dei, faciuntq; remitti studium erga dei præcepta. Quæcunq; autem ad externam uitam decenter & commode proximo degendam constituuntur ab hominibus, non humanæ sed diuinæ traditiones sunt, dimanantes ex lege charitatis, ex capite mandatorum dei, qualia non sunt de quibus dictum.

Cultus dei inanis.

Doctrinæ hominum.

Et cōuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite. Non quod intrat in os coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

B. Marcii 7. c.

Auersus dominus à Phariseis, nihil aliud aucupantibus quam ansam calumniandi, iussit turbas propius accedere, dicens: Audite & intelligite quàm sint friuola quæ uobis præscribunt pharisei de minimis multum anxij, maxima negligentes. Isti præpostero iudicio summam pietatis collocant in rebus externis, uelut in delectu ciborum, sacrificijs, lotionibus, & sabbatis, & ea quæ sunt animi negligunt. Cyathos horrent illos, & animos impuros negligunt. Manus & cutem subinde lauant, animum patiuntur omnibus uitijs inquinari. Quod intrat in os non reddit hominem impurum, sed quod egreditur de ore uerbum improbum reddit hominem. Non refert enim quo cibo uescaris, aut quo tempore, sed quo animo, qua modestia. Fuerant autem pharisei conuesti de illotis tantum manibus. Christus non solum hoc diluit, & licere docet cibū sumere etiam si contingat illotas habere manus, sed & in uniuersum pronunciat, nulla re quæ extra hominē sit & in eum ingrediatur pollui ipsum posse, sed tantum ijs quæ procedunt de homine. His sanè semel ut à peccati ita & à pietatis ratione submouit, quicquid nō ē corde proficiscitur. Fide enim iustificamur, ea cordis est, quia corde creditur ad iustitiam, tum ē corde bona cum uerba tum facta proficiscuntur. In his sita est omnis nostra puritas, iustitia, & salus. Si contra fides abest cordis, ex ipso tam impuro, non nisi male cogitationes, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia, auaritia,

Ciborum esus.

fraudes, dolus, malus oculus, superbia, stultitia provenire possunt, illis homo inquinatur.

Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei: Scis quia pharisæi audito uerbo hoc scandalizati sunt.

Videri poterat Iesus iustam ansam dedisse pharisæis calumniandi, quod tolleretur ciborum delectum, quem lex diuina præscripsit. Qua quidem in re non dissentiebant à pharisæis discipuli, facinus existimantes non ferendum cibis uesci communibus, quod quidem Christus nondum damnabat, tamen indicat illa non ex natura sua, sed ex incidentibus causis uel bona uel mala, & ob id minus noris esse faciēda quàm ea, quæ semper & sua natura pia sunt aut impia. Iamque tempus adesse, ut id genus legis præcepta, quæ ad tempus aliquod sunt instituta, nec tam adferant sanctimoniam quàm significant, iam incipiant obscurari, mox ad coruscantem Euangelij lucem prorsus interitura. Hoc nondum intelligentes discipuli adeunt dominum, ac priuatim admonent de periculo. Scis, inquiunt, pharisæos isto sermone tuo offensos. Verum nemo magis unquam quam Christus scandala cauit, hoc est dicere aut facere, quo quisquam posset à pietate & salute uel reuocari uel remorari: id enim scandalizare est. Cauere tamen non potuit etiam Christus, quin ex dictis & factis suis impij frequentissime sibi ipsi scandala obijcerent. Sic quod Iosephi filius & Nazareus haberetur, quod humilis esset, cum peccatoribus ederet, sabbato curaret uerbo, se Christum dicere, libertatem rerum externarum doceret, & cuncta ferè dicta & facta eius sibi reprobi Iudæi scandala fecerunt, ut ueritati infensiores euaderent. Sed propter eorum obstinatam malitiam non potuit Christus non agere quæ agebat, ueritatem scilicet promouere uerbis & factis apud electos.

scandalizare.

1041.15.4

At ille respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur.

Christus docere uolens aliquando offendiculum improborum ex rebus nihili sumptum, fortiter esse cum suis authoribus cōtemnendum, præsertim cum illis obsecundando nihil aliud proficias, quàm quod aliis illorum malitiam, non sine pernicie simplicium, qui fidentes obseruatiunculis huiusmodi, negligunt interim uerè pietatis studium, hunc in modum respondet discipulis suis, qui et ipsi non nihil erant offensi: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis radicitus euellatur: peribit omnis institutio quam homines ad suam sapientiam & gloriam ex sese, non ad ueram pietatem commenti sunt. Ista terram fecerunt & carnalia sunt, pro tempore data coercendæ crassorum hominum stultitiæ. Lex Euangelica spiritalis est ac cœlestis, nec in istis rebus uisibilibus sita, sed in affectibus animi. Horum igitur prima debet esse cura, siquidem sine his nec illa quicquam profunt, nisi ad inanem ostentationem. Eradicari quoque oportet quotquot pater ad uitam non plantauit, ut de personis quoque intelligatur, non tantum de dogmatibus, omnes quos mihi pater non dedit, non ad me tractos, ut de eis uitam æternam, tales mihi mittendi sunt, & earum causa nihil imminuendum eorum quæ ad gloriam patris & ad salutem operor electorum & dico.

Lucas f

Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatur, tum præstet, ambo in foueam cadunt.

Hanc cœlestem philosophiam posteaquam cœpistis profiteri nihil uebis est rei cum fucatis pharisæis, qui talibus obseruatiunculis promittunt absolui-

eam sanctimoniam, in quibus aut nihil est aut quàm minimum pietatis, lactant se doctores ac duces ad uerã religionem, quũ ipsi nesciãt quibus in rebus sita sit uera religio. Omittite ergo & uos illos cecos cecorũ duces, qui quo meliora ac diuina in me uiderint, & à me audierint, hoc peius offenduntur. Veritatem cæci uidere nõ possunt, quamlibet aliorum sese duces profiteantur: unde quid aliud expectetur, quàm ut se & quos ducunt, in foueam dent præcipites: hoc est deducãtur in gehennam. Valeant ergo stulti pharisæi & impij, cum suis stultis & ineptis constitutiunculis. Vobis ea curæ sint, quæ uere purum & impurum reddunt hominem, hoc est quæ polluant aut purgant animam magis quàm corpus.

Respondens autem Petrus, dixit ei: Ediffere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc & uos sine intellectu estis: Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in uentrem uadit, & in secessum emittitur: Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia: hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

Marc. 7. 6

Petrus ob penitus à maioribus haustam superstitionem, nondum sibi persuadens absq; periculo posse negligi constitutiones huiusmodi, non ausus amplius refragari sermonibus Iesu, blande rogat, ut quod inuoluntate dixerat apud populum, de ijs quæ intrant & exeunt os, dignetur explanare. Iesus obstantis parabolis esse peritiores, & ex alijs alia diuinare, Adhuc, inquit, et uos caretis intelligentia, nec intelligitis, quod cibus qui manibus siue lotis siue illotis sumptus intrat in os, demittitur in stomachum, deinde quod crassius est, per aluum in secessum eijcitur: Corporalia sunt hæc, nec afficiunt nisi corpus, animum nec iuuant nec lædunt, nisi si quis abutatur. Ut autem abutaris non cibum fit uitio, sed abutentis. Caterum quæ progrediuntur ex ore, sunt ea quæ loquuntur homines. Oratio nascitur non ex uentre, sed ex corde. Porro quod est in corde hominis, id aut uere purum est, aut uere impurum: illic enim fontem suum habent noxiæ cogitationes, quibus fratri struunt insidias, homicidia, adulteria, supra, furta, fraudes, doli, liuor, arrogantia, lites, falsa testimonia, blasphemie. Hæc etiã si non prodeant per os, tamen impurum reddunt hominem, & abominandũ in oculis dei: si prorumpunt uelut e putri cloaca pestilens halitus, ut declarant hominem esse impurum, ita contagio afflatuq; suo etiam alios inquinant. Porro siue lotis manibus cibum capias, siue non lotis, modo ad usum naturæ sumas, non reddit hominem immundum. Nec potus ex illoto calice sumptus inquinat hominem si modice sumas ad usum, non ad luxum. Itidem insidere illotæ sellæ non conspurcat animum hominis, uti nec lota sella puritatem addit sedenti. Has igitur friuolas ineptias quum superstitiose doceant ac feruent pharisæi, tamen non exhorrent ea, quibus uere inquinatur animus: moluntur insidias benemerenti, subornant falsa testimonia, obtreçant famæ proximi sri, & ita suæ consulunt gloriæ, ut inuideant gloriæ dei, calumniantes opera, quæ illius spiritu geruntur, & attribuentes Beelzebub. Hæc erant illis abominanda si uere puri uideri uellent. Quod autem hoc est præposterum san-

Simoniam genus, lotas habere manus, & mentem simul & linguam habere ter-
sceleribus inquinatam?

C Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis.

Marc. 7. e

Iudaei offendebantur eo quod Christus salutaria docebat; indignos ergo se
illis faciebant. Ad haec appropinquabat tempus, ut regno dei in totum priu-
rentur translato eo ad gentes. Huius quoddam ceu praesagium erat, quod re-
linquens dominus inensos ueritate Iudaeos, gentes adiit. Concessit enim in fi-
nes Tyri & Sidonis, uel ipso facto uaticinans, Iudaeos ob superstitionem sua-
legis expulsuros Euangelicam doctrinam, quam gentes essent per fidei synce-
ritatem sibi uindicaturae. Siquidem Tyrus & Sidon ab idololatriis incoleban-
tur. Huc ita profectus est Iesus, non ut praedicaret, quemadmodum fecerat in
Iudaea, nondum enim illud tempus aduenerat, sed ut lateret. Nam domum in-
gressus est, ueluti latere cupiens, sed fama latentem prodidit. Hoc datum est in
uincibili Iudaeorum malitiae, ne queri possent sibi praelatas nationes impias ac
prophanas. Itaque miraculum quod illic gessit, non affectatum, sed casu oblatum
ac propemodum extortum uideri uoluit. Ex hoc docemur, ut nos nostrae uoca-
tioni & generalibus scripturae legibus inseruiamus, si quid tamen fuerit pecu-
liare ad quod nostra opera uti pater uoluerit, etiam tale non cogitantes ad id im-
pellet, facultatemque suppeditabit sibi in eo cum fructu seruiendi, & proficiendi
in gloriam dei.

Et ecce mulier Cananaea a finibus illis egressa clamauit, dicens ei:
Miserere mei domine fili Dauid; filia mea male a daemone uexatur.

Vbi rumor late sparsisset adesse Iesum, cuius fama paulatim gliscens Iudae-
terminos exierat. Iam antea gentes istae Cananaei uocabantur, nimirum alieni
a republica Israelis & ethnici. Marcus autem Syrophoenissam nominauit, a re-
gione, quae iam tunc Phoenicia dicebatur, pars Syriae, in qua Sidon & Tyrus
urbes erant, ambae clarae & amplae. Erant isti homines ex posteritate Canaan-
gentium reliquiae. Non autem temere ethnica dicitur haec mulier, ut uideamus
quomodo gentibus & quam ampliter gratia fidei praeter Iudaeis coeperit impa-
tiri. Agnouit autem haec foemina Cananaea dominum nostrum Iesum esse Chri-
stum & filium Dauid, adeo nequaquam obscura fuit haec de domino fama. Non
est autem ausa propius accedere ad Iesum haec mulier, ne impura purum con-
taminare uideretur, sed procul clamore miserabili compellat, narrans sibi fi-
liam esse domi, misere uexatam a daemone. Hieronymus putat filiam Cana-
naeae animas esse credentium, quae male a daemone uexabantur, ignorantes
creatorem, & lapidem adorantes.

Qui non respondit ei uerbum.

Hic Iesus ille misericors et exorabilis, qui solet omnibus obuius esse & ex-
positus, quo simul & mulieris constantissimam fidem omnibus patefaceret, &
Iudaeis suam pertinacissimam incredulitatem exprobraret, simulque docerent nos
quantum ualeant apud deum improbae, hoc est instantes & feruidae perim-
cesque preces ex humili corde profusae, adeo contempsit supplicem ac uociferan-
tem praeter dolore animi, ut nec responso dignaretur, uidelicet Iudaicam quandam
arrogantiam specie exprimens, quod Iudaei Cananaeos ueteres hostes et idole-
rum cultores habeant abominandos, seque contaminari putent, si uel colloquium
cum illis misceant. Et in hoc affectu tum temporis adhuc erant apostoli. Non
destitit autem mulier, quamuis repulsa, dolor & fides illam reddebant impro-
bant.

bam. Sequitur à tergo, uociferatur lamentabili uoce: Miserere mei domine fili Dauid.

Et accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos.

Discipuli nondum intelligentes quid ageretur, pudore commoti uel impatientia potius quam misericordia, ob improbum clamorem alienigenæ mulieris interpellant Iesum rogantes, non ut miseretur calamitosæ, sed ut improbam ablegaret aliquo responso.

Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.

Responsum addit dominus Iesus, repulsa priore durius, quo magis ac magis admirabilem redderet barbaræ mulieris constantiam ac modestiam, & huius exemplo Iudæis suam exprobraret arrogantiam & perfidiam. Non sum, inquit, missus nisi ad oues perditas domus Israëliticæ. Nam hoc quoque titulo sibi mire placebant Iudæi, quod genus essent Israëlitis. Videre hic liceat, quam perierit sapientia quorundam sapientum, qui ex hoc loco intercessionem sanctorum probare conantur, non animaduertentes, discipulos quidem pro hac mulierculam rogasse, sed nihil impetrasse, uerum ipsam uidei suæ domini tandem clementiam exorasse. Ingenti enim fide summoque ardore orauit, ut non potuerit non exaudiri à Christo domino saluatore.

Intercessio sanctorum.

At illa uenit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

Adeo non est fatigata mulier tot repulsis, ut ausa sit propius etiam accedere ad Iesum, & accidens ad genua, Domine, inquit, opitulare. Non refellebat quod dixerat Iesus, sed precibus iteratis conabatur obtundere. Non obtexit ius, nihil aliud flagitat quam misericordiam. Nec his contentus Iesus, pergat adhuc tentare mulieris modestam improbitatem. Non decet, inquit, sumere panem filiorum, & proijcere canibus. Panem appellans fructum Euangelicum, qui fide constat. Filios autem intelligit Iudæos, qui de patre deo gloriabantur. Canes alienigenas, à religione cultusque dei alienos. Quis Iudæorum huiusmodi conuictio non fuisse irritatus? At mulier, nec recusat canis cognomen, nec Iudæis inuidet honorificum titulum filiorum, sed dominos etiam eos appellans, quos Iesus uocauerat filios.

At illa dixit: Etiam domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

Amplectitur gentilis & Cananæa mulier responsum in specie contumeliosum, & ex ipso, à quo uidebatur omnino repulsa, ansam arripit ne possit repellenda. Non inficior, inquit, Israëlitas esse filios, nos esse canes, & ideo non sum reus in mensa patris, hoc tantum peto, quod domini non solent negare canibus. Diues est mensa talium, mihi satis est, si contingant micæ, quæ decidunt de mensis illorum. Indigna quidem sum, quæ panem accipiam, hoc est uirtutem aliam quam & signum magnū, sed hoc quod parum quidem quantum ad uirtutem tuam attinet da, quod mihi magnum fuerit. Sic & qui panes in abundantia comedunt, non magni faciunt si micæ dēt canibus. Canes autē bene ex his pascuntur.

Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Ibi dominus non potens amplius bonitatem suam dissimulare, uelut anxie laborasset contra naturam dissimulando eam tamdiu, neque posset ultra sese continere: O mulier inquit, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Quasi diceret, Ut accenderem te, & illustrius & imitabilius fidei tuæ exemplum alijs redderem, haecenus dissimulaui erga te meam bonitatem, sed ita fide inuicta instas ac uti ges ut nequeam amplius differre. Cedo fidei tuæ ingenti, Vicisti, habe ergo quod petisti. Propter istum tuum sermonem uade, fiat tibi sicut uis. Ut autem magna huius mulieris fides fuit etiã testimonio Christi, ita ex ea facile fidei natura cognoscitur. Persuasa fuerat dominum esse filium Dauid, Christum saluatorem animarum & corporum, etiam eorum qui essent indigni, eius ergo ope implorauit, nihil dubitans se exaudiendam, non potuit dimoueri domini silentio, neque responso duro dato discipulis, neque sibi ipsi, quin Christi gratiam sibi polliceretur. Huiusmodi fide orantibus nihil non peruium erit. Affectus denique dignus matre in hac muliere non est prætereundus, quando peculiariter filij sunt commendati parentibus, ad eos quoque pertinet cura ipsorum diligens & fidelis. Sed à Christo uno petendum est omne auxilium.

D Et cum transisset inde Iesus, uenit secus mare Galilææ, & ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita ut turbæ mirarentur, uidentes multos loquentes, claudos ambulantes, cæcos uidentes, & magnificabant deum Israel.

Marci 7. d

Isaie 35. b

Vnum hoc miraculum circa filiam Cananaicæ foeminae, quum Iesus ad suam gentem prouocandam, in confinio Sidoniorum & Tyriorum ueluti coactus ædidisset, in Iudæam sese recepit, ut declararet quanto propensior esset in suos quam in alienigenas, si modo beneficijs uinci potuissent. Venit autem ad lacum, qui dicitur mare Galilææ, atque illo conscenso monte sedebat, ut secessu loci quoque difficultate paulatim ad firmitudinem eueheret fidem suorum. Mox confluebant ad illum multi greges hominum, adducentes secum mutos, cæcos & ceteros aliosque diuersis morbis obnoxios, quorum tam ingens erat multitudo, ut eos abirent ad pedes Iesu. Ille uel ex itineris difficultate satis perspecta fide illorum, sanauit omnes, tanta celeritate tam multos, ut multitudo que uenerat, uehementer obstupesceret, quum uideret subito recepisse uisum qui modo fuerant caeci: loci, qui, qui fuerant muti: ambulare recte, qui fuerant claudi: integris esse membris, qui fuerant debiles. Et glorificabant deum Israëlitiçi populi, qui tantis beneficijs dignaretur gentem suam. Unde nobis discendum, ad quem animarum ac corporum uel morborum omnium medicum in necessitate confugere debemus, non ad aliquem diuorum pro quibusdam morbis, ut olim ethnici, nuper solo nomine Christiani ad suos tutelares deos aut diuos confugerunt, sed ad unicum Christum dominum omnium seruatorem, qui, ut Agatha diua, nuper omnes sancti dixerunt & crediderunt, solo suo uerbo uniuersa restaurat.

Marci 8. d

Iesus autem conuocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo iam perseverant mecum, & non habent quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficient in uia.

Gratia

Gratitudo populi pro perceptis tot sanitatum beneficijs fecit ut ultrò beneficio cumularet. Quum enim sciret Iesus multitudinem tertium iam diem harere sibi, tantus erat ardor erga Iesum, & si quid attulissent secum uiatiki, id iam dudum esse consumptum, & multos periclitari fame, ad hæc iter esse longum, nec uicos aut oppida esse in propinquo, conuocat ad se discipulos suos, & ait: Miseret me multitudinis: iam enim triduum est quod hic mihi adhærent in deserto, nec habent quod edant, nec eos uolo dimittere ieiunos, ne in uia deficiat prolixiore, quàm ut à ieiunis peragi possit. Eadem ferè hic notanda, quæ sunt memorata circa miraculum cap. 14. Pascere uero nunc uult dominus, quos ante curauerat. Prius morbos aufert, ut sanis cibos offerat, & fidem confirmet, unde in animo uiuificentur, & sanentur sic utroq; in homine.

Et dicunt ei discipuli: Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam? Et ait Iesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisciculos. Et præcepit turbæ ut discumberent super terram.

Submonebat discipulos superioris miraculi, quo pauerat aliquot hominum milia. At illi adhuc rudes & oblitii priorum, quasi iussi pascere tantam hominum turbam, solliciti perplexiq; respondent: Vnde igitur nobis tantam uim panum comparemus, ut sufficiat tam numerosæ multitudini? Hæc simplicitas et oblitio discipulorum miraculi magnitudinem illustrauit. Desperantibus ergo illis Christus peragit miraculi negotium. Rogat eos quot haberent panes &c.

Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis tulerunt, septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerant, quatuor milia hominum, extra paruulos & mulieres.

Discenda nobis hoc loco diuinitas Christi, qui eadem uirtute qua semina cuncta multiplicat in immensum, eadem & hos panes quantum uoluit multiplicauit, quod sine diuina potentia ab aliqua creatura subito fieri credi non potest. Pisces adesse uoluit pro fatigantium recreatione aliqua, & ut paulò splendidius se in solitudine & montanis refectos possent reminisci, & miraculi magnitudinem commẽdare. Nihil defuturum unquam rerum necessariorum sequeretur dominus laborantium, & nondum orantium uota præueniendo exauit, promptior ad benefaciendũ quàm sint etiam fideles ad postulandum. Gratia semper præmittendæ & subiungendæ ex fide & deuotione manducantibus, ut de exhibitis grati, fiamus exhibendorum digni. Auctos in Christi omnipotentibus manibus panes distribuit discipulis, consequenter populo proponendos. Discipuli nihil habent quod non à magistro receperint, ut ne utiquam ipsius ministri superbiat, sed agnoscant se tantum ministros & distributores mysteriorum dei. Populus ab apostolis accipit à Christo paratos panes. Sic nullam ab episcopis doctrinam ecclesiæ proponendam, quam non prius Christus docuerit, & docendam apostolis commendarit. Externa miracula discipulorum fidem non augent sine spiritu interius mentem imbuente. Corporalia ad nihilum uti plex quàm urbium diuites & nasuti, qui irretiti uarijs exercitijs iniustis, uerita

tis uerbum ferre difficulter possunt. Plenæ sunt urbes multis criminibus, tanta
 totq̄ maioribus, quanto diuitiarum & libidinum cura maior & causa. Nec mi-
 rum si tarde populus & urbium ciues crediderint, quando & discipuli inueni-
 untur tandiores ad fidem sæpe fuisse, & distulisse conuersionem diutius. Circa
 numerum sportarum & cophinorum differentem, satis constat, deo perinde ef-
 se multos uel paucos ex multo uel modico saturare. Nam uerbo & uirtute sua
 nos pascit, non pane aut re quauis alia, & si ista soleat adhibere quibus suã uir-
 tutem demonstrat uel occultat. Potissimum autẽ Christum inueniemus & ma-
 gnifica nobiscum patrantem sentiemus, si & uitam carnalem negligamus deli-
 tiasq̄ & pompas mundi fugerimus.

Et dimissa turba, ascendit in nauiculam, & uenit in fines Magedan-
 pulum in admirationem sui, præsertim quum hæc corporalia beneficia non in-
 aliud adhibebantur, quàm ut Euangelicæ doctrinæ qua sanantur & pascun-
 tur animi, conciliarent authoritatem, dimissa turba nauigio profectus est in re-
 gionem Maggeda, quod nomen ciuitatis est, & ab ea dictæ similiter prouintia
 prope Galilæam. Quod uero intelligimus Christum multa & ferè omnia loca
 Iudææ id est Israëliticæ terræ regiones peragrassè, quandoquidem à patre mis-
 sus fuerat illi genti saluator & magister, roborare debet fidem nostram, & acie-
 re zelum insistendi saluti fratrum pro omni uirili nostra ad omnẽ occasionem,
 & donec uitam dei gratia donauerit, ad cuius gloriam natos nos credamus.

CAPVT XVI.

Accesserunt ad eum pharisæi & Sadducæi tentantes, & ro-
 gauerunt eum ut signum de cœlo ostenderet eis.

Marc 9. b
 Luc 12. g



Impietas perpetuo secum pugnat, præterquam ubi illi cum pietate
 negotium est. Nihil æque ut Pharisæi & Sadducæi dissidebant, contra Chris-
 tum quærebant uirtutis eius. Legimus & sanctos signa à deo petisse, sed ut cer-
 ti redderentur de ipsius uoluntate, cui cupiebant se dedere. Impij autem signa
 petentes, animo prophano & contemptore dei, de potentia dumtaxat dei, qua
 uel iuuentur secundum carnem, aut impia curiositate oblectentur, periculosa
 cere uolunt, non de uoluntate cui sese accommodare non sustinent, more Isra-
 litarum in deserto olim improba mente tentantium uirtutem præsentia dei pe-
 tendo carnes & alia. Recte igitur negatum signum his tentatoribus fuit, qui
 tentandi Christi tantũ gratia, & nullo ueritatis cognoscendæ desyderio signum
 poscebant. De cœlo autem signum ædi postulant, hoc est magnificum & cœle-
 ste, more Isaia, Elia, & Samuelis, quasi post hoc æditũ illi sint credituri, quum
 nihil aliud captarent suo more quàm occasionem calumniandi.

At ille respondens, ait illis: Facto uespere dicitis: Serenum erit, rubi-
 cundum est enim cœlum. Et mane, Hodie tempestas: rutilat enim tri-
 ste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis: signa autem temporum
 non potestis.

Cum animaduertisset dominus, post tot ædita miracula adhuc in sua perse-
 uerare malitia, ingemuit spiritu, & ait: Hypocritæ, aliud ore promentes, aliud
 in corde calantes, signum à me petitis, quasi uero animus uobis sit explen-
 randi si à deo sim, & an dignum sit mihi fidem haberi, ut mihi tutius creda-
 tis.

tis, in rebus alijs non adeò stupetis, si animus uobis esset ueritatis cupidus discenda, satis superq̄ signorum habuissetis dudum. Obseruato cœlo, nostis prædicere, quod tempus postridie sit futurum. Ex habitu facieq̄ cœli conspecta, nostis diuinare an tempus idoneum sit futurum itineri, nauigationi, sementi, aut alijs rebus ad corporis usum pertinentibus, & in noscendo tempore, quod adfert salutem animarum, tam estis stupidi & oscitantes? Tenetis scripturas, uideatis quæ gerantur, conspiciatis innouari mundum, agnosci ueritatem, discrimen haberi inter fucum & uerum, inter quæstum & pietatem, & nondum intelligitis adesse tempus illud à prophetis prædictum, totq̄ sæculis expectatum? Ex uno signo pronuntiatis futuram serenitatem aut tempestatē, ex tot signis quæ quotidie uidetis non intelligitis id quod adest? Si prodigijs meliores reddi potuissetis, iam pridem crederetis mihi, nunc signum flagitatis quo reddamini deteriores.

Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophætæ. Et relictis illis, abiit.

Ioniæ 2. d.

O nationem prauam & adulteram, longe q̄ degenerantem à maioribus suis, quorum titulis se uenditat. Ostentum subdole quærit de cœlo, quod calumniatur: sed hoc olim illi dabitur, quod horreat non quod carpat. Interim non dabitur illi portentum, nisi è terra, quod frustrabitur omnes illorū conatus, quū uiderint rediuiuum quem putabant extinctum, ac sepultum. Prodigiosum illis uidetur, quod accidit Ionæ prophætæ, dabitur illis simile prodigium, ac mirabilius. Hoc enigmata significabat dominus Iesus, se prius occidendum, ac mox diuina uirtute reuicturum. Relictis illis ut incurabilibus, abiit.

Et cum uenissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis: Intuemini & caute à fermento Phariseorum & Sadduceorum.

Marci 8. 6

Luce 12. 4

Nihil intolerabilius ueritati & synceritati quàm fucus & dolosa simulatio. Ideo relictis statim hypocritis, Christus ingressus nauem traiecit lacū, idq̄ forte citius opinione discipulorum: unde & obliti sunt panem secum accipere, ut loca illa non ubiq̄ habitata hominibus poscere uidebantur, nec habebant nisi unum panem. Vbi ergo Christus secum reputauit uim hypocriseos nocentissimam, & quàm inepti essent ad regnum dei quotquot illa essent imbuti, monuit eos, ut uiderent & cauerent sibi à fermento Phariseorū & Sadduceorum, doctrinam & institutum eorum intelligens, qui omnem iustitiam in externis ponebāt, quo spectabiles essent hominibus, uacui interim omni fide, ueritate, misericordia, dilectione. Discipuli autem putabant ex Christi uerbis sibi interdici, ne panem cum Phariseis frangerent, atq̄ ita uelut excommunicatos haberent. Cuius uerbi occasione in mentem eius uenit, quod non sumpsissent panes secum.

At illi cogitabant inter se, dicentes: Quia panes non accepimus. Sciens autem Iesus, dixit: Quid cogitatis inter uos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neq̄ recordamini quinque panū, & quinque milium hominū, & quot cophinos sumpsistis? Neq̄ septem panum, & quatuor milium hominū, & quot sportas sumpsistis? Quare non intelligitis? quia non de pane dixi uobis: Cauete à fermento Phariseorum & Sadduceorum.

Obiurgat Christus discipulos, incusans illorum tarditatem, qui toties edoceri iam dictis & factis, penitus ex animo profligandam de uictu sollicitudinem, adhuc rerum huiusmodi cura detinerentur. O parum mihi fidentes, inquit, cur hæc cura torquet animum uestrum, quod obliti sitis panem, quasi quicquid uobis defuturum sit, etiam si uos non prospiceretis? An non docui primum omnium quærendum regnum dei, et hæc ultrò adijcienda? An non bis iam uidistis tantæ multitudini me sequenti non defuisse cibum? Tot modis docti ac moniti nondum meministis? Adhuc cor habetis huiusmodi curis obcæcatum, & pharisæorū more, quod cernitis oculis, non uidetis? quod auditis auribus perinde est quasi non audiat. An excidit, quod nuper uobis non solum testibus uerum etiam ministris gestum est, quū quinq; panibus hordeaceis, & duobus piscibus saturarētur quinq; milia hominū? Quomōdō esset tantus conuiuium numerus, & tam paruus apparatus, quot cophinos impleuistis ex conuiuio illius reliquijs? Respondent illi, Duodecim. At rursus cum uobis distribuentibus septem panibus & paucis piscibus expleti fuissent quatuor hominum milia, quot cophinos tum implestis? Responderunt, Septem. Cur ergo non agnoscitis genus sermonis mei, quem ad curam rerum corporalium trahitis, quum se, quid sibi uellet ænigma quod dicebam, cauendum à fermento Pharisæorum & Sadducæorum. Iam docueram nihil referre quo cibo uescamur, iam multis modis inculcatum ijs, qui rem tractant Euangelicam, huiusmodi sordidas curas prorsus abijciendas.

Tunc intellexerunt quia non dixerit cauendum à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum.

Hac obiurgati uincula discipuli facti attentiores, intellexerunt quod Iesus sensisset diligenter cauendum à doctrina pharisæorum, quæ nihil habebat synæcerum, sed ambitione, auaritia, liuore, cæterisque uitijs esset corrupta, quum Euangelica doctrina nihil huiusmodi sapiat. Illorum enim doctrina magis inuicem hominem quàm pasci, & ob id diligenter esse cauendum, quod falsa specie pietatis solent incautos fallere, quum sit merum ueræ pietatis uenenum. Ex huiusmodi stupore discipulorum uideamus quid humanum ingenium ualeat, si per dei spiritum non reformetur. Christi quoque bonitas in primis admiranda, qua tam stupidos non abiecerit, ut & nos discamus non rejicere rudiores si qualescunque Christi studium in eis deprehenderimus, sed operam demus, ut in fide adolescant potius, & cum tempore facilitate nostra & instructione peritiores euadant. Fidem autem fucatam detestemur, nec ueram denique operibus etiam sanctis postponamus & subuertamus. Nihil sanè à nobis boni fieri poterit, spiritus dei operetur oportet in nobis si quid boni à nobis debeat proficisci. Is apud solos credentes & Christum perpetuo admirantes habitat, formatque eos ad imaginem Christi in qua primas habet charitas. Vide hic quoque per metaphoram uocatum fermentum, quicquid serpit & alia inficit. Sic Euangelium se habet in bonū, unde & supra cap. 13, huic assimilatum est. Doctrina autem praua in malum, quæ hic fermentum dicitur. Mali denique mores, & ipsi conuictiores corrumpunt.

Marci s.c.
Luce 9.c

Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis?

Hæc Cæsarea sita ad fontes Iordanis, Paneas antea uocata, à Philippo filio Herodæ

Herodis maioris, & fratre Herodis tetrarchæ, qui Ioannem decollauit, ampliata fuit, & dicta Cæsarea, in honorem Tyberij Cæsaris, addito cognomine Philippi, propter aliam Cæsaream, quam pater Herodes in honorem Augusti Cæsaris sic appellauit, quæ dicta fuerat prius turris Stratonis. Hæc autem Cæsarea Philippi terminus erat regionis Iudæorum; unde pariter à Syris & Iudæis habitabatur, quod postea seditionis inter eos causam præbuit. Interrogat autem Christus discipulos, quem eum dicant homines esse, ut ex apostolorum response discamus diuersas opiniones fuisse tunc apud Iudæos de Christo, utq; & nos Christi discipuli attendamus, qualis sit apud homines de nobis opinio: uti si quid mali audimus de nobis, eius occasionem præscindamus, si quid uero boni, eius occasiones amplius augeamus, & gratias deo agamus auctori.

At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alijs autem Heliam, alijs C

Quidam æstimationem sequuti Herodis, credebant Iesum esse Ioannem Baptistam, qui resurrexisset à mortuis, cuius in Christo uirtutes operarentur. Alij autem Heliam, qui secundam accepisset natiuitatem, uel in tempore apparuisset, olim raptus à conspectu Elisæi, interimq; uiuens in corpore donec mitteretur. Tales enim erant de eodem apud Iudæos opiniones, quæ & ad nostros usq; transferunt. Qui uero eum Ieremiam putabant, occasionem ceperant ex utroq; uerbis ad eum dictis: Ecce constitui te super gentes et regna, eradicare et demolire & perdere, cum typus potius Christi fuerit quàm persona. Qui autem unum ex prophetis arbitrati sunt, ratione simili mouebantur propter illa quæ deus quasi ad ipsos locutus est prophetas, non tamen sunt in ipsis impleta. Et Iudæi quidem tunc de Christo æstimationes concipiebant dignas ipsorum uelamine, quod positum est super cor eorum: Christi autem discipuli aliud iam credebant.

Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simeon Petrus, dixit: Tu es Christus filius dei uiui. Ioan. 6. 68

His auditis Iesus, ut certiore aliquam ac sublimiorem eliceret responsionem à suis discipulis, qui illius doctrinam & potentiam familiarius iam diu & multis didicerant, ab istis quærit, quid ipsi de suo magistro sentiant, ut certius doceret eos, qui postea fermento illo mundum uniuersum debebant imbuere. Petrus autem respondet pro omnibus, ut semper ferè alijs feruentiorem ipsum literæ Euangelicæ prædicant. Tu, inquit, es Christus ille, sine dubio promissus in lege & prophetis, & tantopere expectatus saluator Israël, hoc est uere filius dei uiuentis, & ad cœlestia regna electorum. Iste, inquam Christus filius dei uiuentis, omnia uiuificantis, qui per prophetas dixerat: Christus dei filius. *Viuo ego dico dominus, & est fons uitæ. Eius dei uiuentis filius Christus est, qui & de se testatur: Ego sum uita, ueritas, & uita. Est igitur Christus uita, filius uitæ, uita de uita, filius à patre, lumen de lumine. Non eo modo tantum filius, quo omnes homines, uel etiam fideles per adoptionem, sed excellentiori modo filius, & uerbum patris omnipotentis, quo facta sunt omnia, qui promissus est uiuificator omnium, qui mortificati sunt per serpentis ueneficium, per uitam miserabilem Euanam, quæ & ipsa uita uel uiuens dicitur, quæ mater esset uitæ id est Christi domini uenturi, uiuificatoris omnium electorum, à patre uita genitus. Ne quis putet filium hic dei uiuentis, non aliter accipiendum, quàm pro eo qui singula*

ri tantum amore sit filius dei, & non simul genitus à patre, filius naturalis, uerbum à proferente, lumen de lumine. Omnium enim antiquorum dogma & fides fuit, Messiam futurum, natura & gratia esse excelsiorem Dauidi, cuius dominus sit & filius, simulq; Mosi, Abrahamæ, angelis quoq; maiorem, nobiliorem, ac sanctiorem.

Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est.

Hac tam alacri tamq; solida professione delectatus Iesus, Beatus es, inquit, Simon filius Ioannis uel Iona, quæ Hebræis idem sunt, ne quis hic quicquam cunctetur. Cognoscere autem patrem & filium uita est æterna; cognito autem filio certo cognoscitur & pater. Neutrum autem cuiquam potest aliter contingere, quam beneficio & gratia utriusq;. Non ex dictamine rationis, non ex persuasionem humana, non ex eruditione seculari, nõ ex scientia philosophica, non ex industria naturali agnoscitur Christus esse dei filius: hoc est, non ex carnis & sanguinis reuelatione docetur, sed ex patre cœlesti, ex inspiratione spiritus sancti fidem inspirante & reuelante, quæ diuinitus docentur, cessante naturali industria, gratuita autem reuelatione patris cœlestis, per spiritum suum sanctum. Tunc autem & nobis pater reuelat Christum esse filium dei uiuentis, non caro & sanguis, quando ex fide, qua deo coniungimur, oritur in nobis conuersatio cœlestis, & digna sit reuelatione patris, tunc uere reuelatio dei abstulit à nobis omne uelamentum cordis, dedit autem nobis spiritum sapientiæ & reuelationis. Si autem secundum carnem & sanguinem uixerimus, aliàs autem confitemur Iesum Christum esse dei filium, utputa dogma illud à magistris & parentibus accipientes, tunc non pater reuelauit nobis, sed caro & sanguis, non fides, sed lectio uel eruditio humana.

Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

Petri nomen huic Simoni Christus dederat, quando primum sibi per Andream fratrem suum fuerat adductus. Cui hoc cognomē Christus dedit, quod indubiæ fidei firmitate præcipuus, ex uiuis lapidibus illis esse debebat, ex quibus templum suum & noua Ierusalem in terris erat construenda. Cum autem hac ex causa hoc cognominis ante habuisset, modo autem tam egregia confessione iure se illud habere declarasset, dixit illi dominus: Tu me Christum filium dei uiuentis tam prompte & constanter spiritu dei instigatus confiteris, confiteor & ego uicissim tibi, qualem te patris dignatio esse uelit. Dico tibi, Petrus uere es, donatus ea fide quam confessus es, quæ excidet nunquam, quæ nitentur ut solido fundamento et firmissima petra, quotquot in gregem meum recipiuntur, ex quibus consistet ecclesia mea. Hęc namq; fides petra est illa, unde hic Simon Petrus quasi Petreus uocatus est ac si quis à lapide dicat Lapidonē. Quod autem aliam petram dominus intellexerit fundamentum ecclesiæ quàm hunc Simonem, ex uerbis liquet Euangelistę scribentis, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, non super hunc Petrum. Fideles enim nituntur fide hæc, ut credant Christum seruatore filium dei esse, per quem fideles cohæres fiunt. Petra autem sit omnis, qui ex fide imitator est Christi, qui Christus spiritualis erat petra, ex quo bibebant, qui bibebant in deserto de spirituali petra. Et sic per omni huiusmodi petra fidei & sancto consistit ecclesia dei. Si autem, dicit Origenes, super unum illum Petrum arbitraris ædificari à deo uniuersam ecclesiam,

clesiam, quid dicis de Iacobo, & Ioanne, filijs tonitruui, uel de singulis apostolis: Vere ergo ad Petrum quidem hæc dicta sunt, tamen omnibus apostolis, & omnibus sanctis fidelibus dictum uidetur, quoniam omnes sunt Petrus & petra, & in omnibus ædificata est ecclesia. Contra hanc autem tam fidem quam ecclesiam, portæ inferorum, hoc est potestas tenebrarum, huius mundi dæmonumque potentia, & quæcumque malignitas, non præualebunt. Nemo quenquam rapiet de manu Christi, et fides uera excidere non potest: fideles enim pater Christus donauit, ut det eis uitam æternam. Non igitur præualebit eis uis satanica, alioqui uita æterna æterna non esset. Hinc discamus, Christum non ab hominibus disci posse, sed à solo patre reuelante; beatos esse qui hanc scientiam Christi fuerint nacti, ut à nulla potestate tenebrarum superari possint.

Et tibi dabo clauēs regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

Origenes: Putas soli Petro dantur à Christo clauēs regni cœlorum, & nemo alius beatorum accipiet eas? Si autem commune est inter omnes quod dicitur, Dabo tibi clauēs regni cœlorum, quomodo non omnia quæ superius sunt relata ad Petrum, omnium uidentur esse communia? Omnibus ergo talibus qualis erat Petrus, Christum dei filium agnoscens, & profitens dicitur, Tu es Petrus, dicitur, Tibi dabo clauēs, dicitur, Quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris, ac similia. Clauēs autem regni cœlorum, utique quibus ab ecclesia arcendum infideles & impij, admittuntur autem fideles & piij, quid aliud esse potest, quam sententiæ dei, in uerbo dei & in sacris canonicis scripturis contentæ, ut secundum illud uel illa agatur cum ecclesiasticis? Est enim dei ecclesia regnum dei. Clauēs id sunt, quo ecclesia clauditur uel aperitur, nempe uerbum dei, per spiritum sanctum reuelatum, datum, infusum, edoctum: ut clauis sit ad regnum cœlorum, tam spiritus sanctus ipse quam uerbum ab eo reuelante intellectum. Cuius influxum, actionem, dictamen, & iudicium tunc datum est discipulis, quando Ioan. 20. Christus dixit: Accipite spiritum sanctum. Quorumcunque remiseritis peccata &c. Ad hoc autem misit discipulos tunc, ad quod fuerat ipse missus à patre, ut spiritu sancto plenus regnum cœlorum annuntiaret, hoc est patris gratiam expositam credentibus omnibus prædicaret. Quam qui fide amplecterentur, æternam uitam certo perciperent. Sic & discipulos misit, spiritum donauit, sine quo in dei ecclesia nihil agitur. Iussit Euangelium prædicari, cui credentes salui essent, & in regnum cœlorum introducerentur: perfidi autem excluderentur, damnante eos eodem dei uerbo per spiritum dei. Sic soluerunt & ligarunt apostoli, omniaque agunt fideles uel spiritus dei, & per uerbum dei. Potestas ergo soluendi & ligandi aliud non est, quam spiritus sanctus, quo per uerbum dei certo annuntiatur salus omnibus credentibus, non credentibus autem pernitias. Eum spiritum sanctum, & iudicium secundum dei uerbum, si habent uel dant soli episcopi, credemus eos solos habere & dare hos clauēs regni cœlorum, uiderint id ipsi. Nos certe secundum scripturas & iudicium spiritus, id non uidemus, sed contrarium. Iam quod spiritu & uerbo dei fit, ratum haberi in cœlis & apud deum mirum non est. Non enim homines sunt, qui ibi loquuntur & agunt, sed spiritus dei in illis. Quicquid enim humano spiritu aut uerbo tentatur aut agitur, id non pertinet ad regnum cœlorum. Neque per clauēs regni cœlorum factum dici poterit, eoque nulla eius in cœlis ratio habebitur.

In prædicatore ergo uerbi dei hæc potestas est, & agit in fidelibus auditoribus. Sic Petrus spiritu dei loquens salutem poenitentibus aperuit, impoenitentibus damnationem annunciauit. Ergo cum spiritus datus Petro fuit & reliquis, & cum uerbum dei Christus prædicandum commisit discipulis, tum fuit ei præstitum quod hic ipsi dominus promiserat. Eant ergo adultores Romani pontificis, & ex hoc loco ostendant facultatem à peccatis liberandi uel etiam peccata retinendi, non nisi Romano pontifici datam, quam solus habeat & alijs sua tantum auctoritate concedat.

Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus.

Volebat Christus ante crucem suam non omnino perfecte & clare prædicari filius dei, Messias, saluatorque mundi, sed quadamtenus obscurari gloriam suam propriam & ueram. Nam si audissent homines ante passionem, quod deus esset, & promissus in lege ac prophetis Messias, uidissent autem deinde eum pati, quomodo non fuissent offensi; sicut & contigit multo perfectioribus apostolis, qui omnia eius uerba & facta cognouerant, & tamen in eius passione omnes fuerunt scandalizati, quid ergo alijs discipulis uel auditoribus contigisset? Propterea alijs & nunc occultat se multis, ut post resurrectionem absque officio diculo à multis clarius agnoscat, & fortius credatur, spiritu sancto omnia miraculorum operationibus adæquante. De qua questione uide Origenem subtiliter hunc locum tractantem.

Exinde coepit Iesus ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

Voluit dominus magnificam de se opinionem non diffamari adhuc à discipulis: prius enim erat peragendum sacrificium crucis, declaranda natura humanae ueritas, deinde per resurrectionem & spiritum sanctum declaranda diuinitas. Quanquam enim Petri uox collaudata est à Christo, quam confessus fuerat omnium nomine ueluti iam proficientium & paulatim emergentium perfectiora, tamen adhuc somniabant regnum quoddam, non omnino diuine le mundano. Et ob hoc Iesus obscure quasi per anigmata Petro & discipulis uerbum domini prædicandum commendat, ueluti clauis regni cœlorum & spiritum sanctum promittit, in quo peccata hominum remittuntur in ecclesia; quod tamen non continuo tradidit, nondum enim erat idoneus qui uteretur, nondum satis spiritu sancto edoctus & confirmatus. Atque adeo reuocat eos Christus ad crucis mysterium & mortis, quo minus animis perturbarentur, cum haec uiderent accidere, quæ sciebant paulo post euentura. Maluerant illi gloriari in potenti illo ac sublimi filio dei uiui, sed in hoc nemo uere potest gloriari, nisi qui non fuerit offensus eiusdem humilitate. Coepit igitur Iesus suos ad hanc tempestatem, quæ imminabat, præparare, indicans eis sibi prius esse eundem Hierosolymam, ibique multis malis affligendum à scribis ac pharisæis, atque etiam à primarijs sacerdotibus, denique & occidendum esse, sed tertio die reuicturum. Simulque hic demonstrauit uiam ad uitam ueramque gloriam. Cum enim Christus filius esset dei uiuentis, & gloriosissime regnare in ecclesia deberet, & omnibus imperare in cœlo & in terra, ideo oportuit eum antea infra infimos se humiliari, & cum peccatoribus ignominiosissime & crudelissime occidi, ac tum demum tertia die ad uitam gloriamque intrare, iuxta prophetas, præcipue Iesaiam

33. cap. & locis alijs multis, Erat enim percutiendus plaga & positurus animam suam hostiam pro peccato, ut beneplacitum domini per illius manum prospiceretur. Vt sic tandem illi daretur congregare in unum filios dei, qui dispersi erant. Eadem & non alia uia nobis ipsius membris uia patebit ad uitam & gloriam. Commori enim oportet, ut conregnemus. Vide locum propheticum.

Et assumens eum Petrus, coepit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus, dixit Petro: Vade post me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ dei sunt, sed ea quæ hominum.

Nondum carnales adhuc discipuli satis intelligunt hunc sermonem de cruce & morte, quod hæc iudicarent indigna ei qui tot miraculis declarasset se filium dei. Non tamē ausi sunt interrogare dominum, quid sibi uellet mori & resurgere. Petrus itaq; quæ præcipuus quidam amor erga præceptorem semper fecit cæteris audaciorem, abducit eum à reliquis discipulis, quasi familiarius aliquid diciturus, & increpās illum atq; abominans mortis & afflictionum mentionem, Propitius, inquit, esto tibi domine, non contingant ista tibi; siquidem in te situm est ut non eueniant. Quanquam enim Petrus, afflatu patris magis quam suo sensu, pronunciauerit eum filium dei uiui, procul tamen adhuc aberat ab intellectu illius arcani, quod Iesus sua morte redempturus esset genus humanum, & resurrectione declaraturus orbi potentiam diuinæ uirtutis. Hūc igitur affectum ut in suis corrigeret Iesus, conuersus est & intuitus discipulos suos, quos sciebat similiter affectos esse, tametsi solus Petrus ausus fuerat increpare dominum, ait Petro: Abi post me satana, desine aduersari uoluntati patris mei: tuum est sequi me, non præire. Nunc obsistis, impedire studens quod ob salutem humani generis & pater uult fieri, & me facere decet. Cupis esse sotiaris regni, & obsistis ad crucem ultrò properanti, qua regnum hoc asseram patri. Quam me uidetis ire, hac est uobis quoq; tendendum ad regnum cælorum. Tu uero nondum sapis ea quæ sunt dei, sed humanis affectibus ductus, repugnans uoluntati diuinæ. Ne obsta igitur inutilis monitor, sed à tergo sequens, discipulum age potius quam magistrum. Docuit hoc factò nihil in homine esse boni, Beatum & Petrum ipsum paulò ante prædicauerat, ob reuelationem patri, nunc satanam uocat, eo quod ageret hominem. Humana namq; sapere, est deo aduersari, & satanam agere. Vbi nunc ecclesia in Petrum hominem ædificata: Sic quoq; Romani pontifices & alijs similes similiter sapientes ut homines magis quam iuxta spiritum & dei uerbum, hunc Simonem nunc referunt.

Tuc Iesus dixit discipulis suis: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.

Testatur primum hic dominus, non solum iam discipulis sed simul omnibus oportere non abhorreere crucem, sed eum qui uult se sequi, post se uenire, esse Christi discipulum, abnegare oportere seipsum, hoc est sese totum patris curæ committere, ut nihil pro seipso iam sit sollicitus: tum tollere crucem suam, hoc est suam sortem, suasq; ærumnas, quas sibi ferendas optimus pater dispensauerit, equo animo perferre, idq; quotidie: nunquam enim non perferendum aliquid est ei, qui in hoc mundo serio gloriam dei uolet asserere, ut affectus humanos abdicet multa cura paratus ad omne mortis genus Euangelij causa. Consectari autem Christum omnis boni thesaurum, optatissimum est omni sese abneganti, & eidem credenti sese, eiusq; sequenti uestigia, nempe authoris uitæ,

Supra 10. d

Marc. 3. d

Luce 9. 2. 14. f

17. 2

Ioan. 12. d

quiasq; primas triuit ipse semitas. Quanquam uero nemo sit qui crucem à deo impositam ferre non cogatur, tollunt tamen tantum ijs, qui animo confisi in domino, ultrò se & cum alacritate ijs quæ ipse imposuerit humeros submittunt. Sunt qui sibiipsis ærumnas asciscant, & crucem ferant, sed non à patre impositam, cum nihil iuris in seipsos homines habeant, qui dei sunt quanti sunt. Est & abnegare seipsum, exuere ueterem hominem cum actibus suis, & induere nouum, qui secundum deum creatus sit, in iustitia fidei & operum sanctitate, ut ad longum prosequitur Origenes hoc loco. Nec sufficit tulisse crucem, nisi & Christum sequatur eius discipulus. Multi enim crucifiguntur latrones & fures, at illi non sunt mei discipuli. Sequatur igitur me, hoc est agat iustitiam, uitam præ se ferat in opere; abneget uitia quibus assueuerat, ut Paulus, qui dicit: Uiuo autem non iam ego, uiuit autem in me Christus.

Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam.

Hortatur aliquot rationibus discipulos, ut semet abnegantes, crucemq; tolentes, se sequantur. Primo. Is certè uitam suam perdet, qui eam uoluerit seruare: seruat autem, qui perdidit, hoc est Christi & Euangelij ueritatisq; & iustitiæ gratia sese adduxerit in periculum. Præstat igitur ita in præsentem animam perdere, quàm pericula fugiendo in scelerata hac mundi generatione, non sine dei contemptu & ueritatis, curam seruandæ uitæ impendere singularem. Vere enim anima perditur, cum is offenditur, qui eam cum corpore in gehennâ abijciat. Vere autem seruetur, quando quis propter deum in certissima pericula & mille mortes uitam & animam suam cum fiducia fortiterq; abiecerit, æternam recepturus. Sic enim pati, beari est: sic affici ignominia, gloriosum est: sic occidi, est lucrifacere uitam. Scio nihil esse uitæ charius, sed sic cuiq; sua perdetur, da est uitæ, si uelit eam seruare, perditurus nisi perdidit. Lucro suo perdit qui perdit ob Euangelium: uere perdit, qui deserto Euangelio consulit uitæ temporariæ, & dispendium facit uitæ æternæ.

Quid enim prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, animam uero suam detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

Nemo tam stultus est, ut uitæ corporalis huius ac breuis iactura uelit uniuersum hunc mundum lucrifacere. Quorsum enim opes, si interim perit ipse possessor? Ita dementis est tantifacere opes, aut etiam corpus ipsum, si interim perit, si loqui periturum etiamsi nemo occidat, ut horum gratia æternæ uitæ faciat dispendium, quam qui non habet, frustra habet cætera. Nihil igitur cuiquam tam charum esse debet, cuius lucrum animæ suæ dispendio uelit commutare. Homo quidem non potest dare aliquam commutationem pro anima sua. Deus autem pro animabus omnium dedit commutationem, pretiosum sanguinem filij sui. Nec enim empti sumus corruptibili argento uel auro, sed pretioso sanguine agni immaculati.

Roma. 1.4
Marci 9.4
Luce 9.6

Filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundum opera eius.

Rerum cæterarum iactura potest utcumq; sarciri, animæ dispendium est irreuerabile. Qui perdit uitam suam mea causa, non perdit, sed mihi faceret recepturus cum lucro, quum apparuerit maiestas regni mei. Neq; enim est cur animo

animo deſciamini, quod oſtenderim ob Euangelium multa toleranda triſtia. Habitura ſunt hæc breui ſinem, & ignominiam temporariam ſequetur æterna gloria. Siquidem filius hominis quem uidebitis conculcatum ab omnibus, & habitum pro uermiculo, aliquando uerturus eſt alia ſpecie, demonſtraturus omnibus maiestatem & gloriam patris, ſtipantibus eum ſatellitibus ſuis angelis. Tunc qui iudicatus erat & condemnatus morte ignominioſa, iudicem aget omnium, uiuorum & mortuorum, redditurus cuique præmium pro factis ſuis. Tunc morti addicentur æternæ, qui hic uitam pluris fecerint quam me; & uita donabuntur immortalis, qui mea cauſa uitam corporis ad tempus contempſerint. Nunc certaminis tempus eſt, erit olim præmiorum. Reddetur autem unicuique ſecundum ſua facta, eo modo quo arbor ſecundum fructus iudicatur, cum tamẽ non ſit ex fructibus, ſed ab arbore eſt ut huiusmodi fructus ſint. Sic opus de operante indicat: operantem autem non efficit, ſed ab operante efficit. Ad hunc modum bona opera bonum hominem & dei filium probant, non efficiunt. Non ergo iuſtificant opera, quæ priuſquam bonus per ſpiritum ſanctum & fidem euiferis, nihil niſi peccata ſunt & reputantur, quod nequeat mala arbor fructus bonos proferre. Quia ergo opera de operante teſtantur, recte dicitur, iudicium ſecundum opera uel facta fieri.

Amẽ dico uobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno ſuo.

Communior quidem & magis ſecundum conſequentiã ſenſus hic eſt, ut hi tres apoſtoli mortem non guſtarint, priuſquam uiderent filium hominis uenientem in regno ſuo, hoc eſt ea in gloria qua in regno cœlorum & Chriſti appariturus eſſet electis. Vident autem Petrus, Iacobus, & Ioannes ante ſe Ieſum tranſfiguratum, ita ut fulgeret faciẽs eius tanquam ſol, & uestimenta candescerent ſicut lumen. Viderunt ſpeciem aliquam gloriæ Chriſti, & regnum dei ueniens in uirtute. Verum poteſt & alius eſſe ſenſus, ut uideatur Chriſtus hic locutus de ſuo illo aduentu, quo per euangelium orbi glorioſus apparuit, nõ diu poſt mortem ſuam, uiuentibus adhuc multis diſcipulis Chriſti & apoſtolis. Ad uenit enim cum magnifica uirtute iſtud Chriſti regnum, & gloriæ eius pompa inſignis in totum orbem, apoſtolorum opera & temporibus: iſs ſanẽ quibus prædicatum eſt Euangelium regnum dei aduenit, aſſertum ubique magnifice cum ſupendis gloriæ Chriſti teſtimonijs, ſignis, & prodigijs. Vnde & Paulus gloriatur de Euangelio, quod in toto orbe fructificet, ad Coloff. Et ad Romanos inquit, Habeo quod glorier per Chriſtum Ieſum, in hijs quæ ad deum pertinent. Non enim auſim loqui quicquam eorum quæ non effecit Chriſtus per me in obedientiam gentium uerbo & facto, per potentiam ſignorum & prodigiorum, per potentiam ſpiritus dei, ut ab Ieruſalem & circumiacentibus regionibus uſque ad Illyricum impleuerim Euangelium Chriſti. Hæc regni Chriſti magnifica uirtus & gloria, maxime circa XX. annum ab ipſius paſſione ſeſe exeruit, quod tempus multos etiam ex apoſtolis habuit ſuperſtites, multo plures ex diſcipulis alijs ſeptuaginta & reliquis, qui tunc Chriſtum uiderunt in corpore. Ut recte dicamus Aſtitiffe tunc Chriſto loquenti, qui non guſtauerunt mortẽ priuſquam uiderunt filium hominis uenientem & oſtendentem maiestatem regni ſui, quatenus oculis corporeis cerni poteſt. Certe uiſuri erant ante mortem regnum dei promere uirtutem ſuam, iamque paulatim uincere potentiam huius mundi uniuerſam.

A
 Marci 9.4



ET post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.

Voluit hac sua transformatione Christus exhibere specimē gloriæ suæ his tribus discipulis, ad secretiora electis, ac fidem facere eorum quæ de sua illis potestate prædixerat, dum hortaretur ad sui abnegationem, & ut se consecrarentur. Ostenditur delectus habendus inter eos qui sunt ueritatem docendi & doctrinæ, obseruandusq; ordo & gradus in reuelando. Voluit autē huiusmodi speculo ueluti per somnium exhibere eam speciē, qua olim uenturus est iudex orbis. Vnde & procul ab hominum conspectu transfiguraturus est coram illis tribus discipulis. Quoniā uero sex diebus, dies ducuntur, & conditus est mundus, ideo solus is qui mundana transcēdit, & qui cœlestia quærit, potest ascendere super excelsum montem, Christo se præcedente, et aspiciere gloriā uerbi dei. Cum autem sic à temporalibus absolutus, cœlestia sectatur, tunc post hos dies sex, nouum sabbatizabit sabbatum, exultās in excelso monte, in quo contemplabitur transfiguratum Iesum ante oculos cordis sui. Diuersas autem habet uerbum dei formas, apparens unicuiq; secundum quod uidenti expedit cognouerit, & nemini supra id quod capit semetipsum ostēdit. Capitur autem fide, quæ si fuerit excelsa, & quasi in monte alto, cœlesti sapientia eleuante fidelem, ab eo deus uerbum intelligitur, creditur, & colitur secundum dei formam. Coram his autem transfiguratur Iesus, & non coram illis qui sunt deorsum in terrena conuersatione uiuentes.

Et resplenduit facies eius sicut sol: uestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cū eo loquentes.

Quod totus lucidus & splendidus factus est facie & uestibus, gloriā immortalitatis uitæq; futuræ claritatem adumbrauit. Etenim inter omnia quæ patent sensibus, nihil est præcellentius ac magis spirituale quàm lux, quæ simul summam & uoluptatem & utilitatem affert, dum omnia luce procreantur & fouentur. Sic per splendorem faciei Moysi, Paulus gloriā ac diuinitatem legis intellexit, 2. Corin. 5. Si qui fuerint filij lucis, fidei, & sanctitatis, qui sese spoliauerunt opera tenebrarum & noctis, ut in die honeste ambulēt, istis Christus fulgebit ut sol, transfiguratus in gloriā, ut clarius inueniatur filijs lucis tantam quam sol iustitiæ. Et non solum transfiguratur coram talibus discipulis suis, sed etiam uestimenta ipsius fiunt candida sicut lumen, quæ sunt sermones & litteræ Euangelicæ, quibus Iesus clarificatur, & est indutus. Puto autem, ait Origenes, etiam illa quæ ab apostolis dicuntur de eo, uestimenta esse Iesu, quæ sunt ascenditibus super montem excelsum cum Iesu candida, hoc est, perfectiore fide donatis clarius intellecta. Sed quoniam candidorum differentia sunt, non fiunt qualiter cunq; candida, sed candida sicut lumen, ac niueo quodam candore, qualem nullus fullo super terrā potest dare. Si quādo ergo uideris aliquem non solum erga diuinitatem Christi cautum atq; perfectum, sed & dicta Euangeliorum omnia manifestantem, non dubites dicere, quod ei tali uestimenta Christi facta sint candida sicut lumen. Quod si ita intelligatur & conspiciatur transfiguratus filius dei, ut facies eius sit sicut sol, & uestimenta eius candida sicut lumen, statim aparebit coram huiusmodi hominibus uidentibus Iesum tantum.

lem etiam Moses, id est lex dei, et Elías, id est propheta colloquentes cum Iesu. Si quis enim intelligit spirituales sensum legis, conuenientem sermonibus Christi, & in prophetis absconditam in mysterio sapientiam, ille uidet Mosen & Eliam in gloria, quando uiderit eos unum docere & habere scopum cum Iesu Euangelio & uerbis.

Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse, si uis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyfi unum, et Eliae unum.

Hæc uisa sunt apostolis ueluti recens experrectis à somno, nam oculi eorum grauabantur: non enim capiebat mortalís infirmitas uisionis magnitudinem, Expauesactis igitur & attonitis, tam incredibile spectaculo discipulis, Petrus nondum sui satis compos, sed totus raptus uoluptate ac maiestate spectaculi, quæ procul abesse uidebatur à mentione mortis, Domine, inquit, extruamus hic tria tabernacula, tibi unum, alterum Moyfi, tertium Eliae. Hoc uisum est Petro adhuc consultius, quam Hierosolymis occidi. Hæc enim humano aliquo spiritu ductus dixit, aut instigatus à carne, uel satana, nihil sui officij alicubi intermittente. Fortassis spiritus ille uoluit & hic et nunc Christum scandalizare, ut recederet à passione, omnibus hominibus salutari, remaneretque in monte excelso, cum Moyse & Elia. Promittit autem & facere tria tabernacula, unum prout ad Iesum, alterum Moyfi, aliud Eliae, quasi non eos capiente tabernaculo uno, in quo omnes simul consistere deberent. Forsitan & hic dolus erat antiqui, quod nollet esse simul Iesum & Mosen & Eliam, sed separare eos ab inuicem trium tabernaculorum obrentur, quod fieri non poterat. Nam si in unum sint Christus, lex, & propheta, tunc & Christus dei filius comprobabitur, & lex & propheta uera prophetasse inueniuntur: quoniam lex & propheta testimonium dederunt de Christo, prædicantes ea quæ futura erant de Christo: & Christus testimonium dedit legi & prophetis, quoniam uera prophetauerunt, prophetiam eorum ipsis rebus adimplens. Si autem separentur ab inuicem, nec Christus ostenditur, nec propheta uera dixisse inueniuntur. Falsum quoque & illud erat, Bonum est nos hic esse: si enim bonum fuisset, mansissent utique ibi, non recussassent quod nos hic esse: si falsum fuit, intellige id fuisse à carne & sanguine uel à satana tentatore. Contraria ergo adhuc erant in Petro ueritas & falsitas. Ex ueritate dixerat, Tu es Christus filius dei uiuui: in quo & beatificatus est. Ex falsitate autem dixit, Propitius tibi esto, &c.

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce uox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacet. *2. Petri 1. d*

Sic & olim in nube gloria domini apparuit, tanquam in re coelestibus uicino. Caterum uox illa uidetur quodammodo uotum Petri corrigere, ac si dixisset, Quid doletis discedere Mosen & Eliam, omnia in hoc magistro uestro unico filio meo, in quo solo per omnia mihi complacitum est, habetis. Ipsum tantum audite. Sibi fidere decet, ut qui gratiam meam & uitam beatam restituat omnibus sibi fidentibus: id præstabit, atque ita per omnia sanctificabit, perficietque quod tota lex non potuit. Mutuum in deo amare uos hortatur, in eo tota uitæ perfectio est sita, & completur quicquid uspiam in lege aut prophetis ad uitam instituendam præceptum legitur. Denique quod nec lex nec propheta spiritum

morte sua electis omnibus promeretur & donat, qui & persuadeat ad credendum, & accendat ad diligendum. Sic iudicium & iustitiam, legem & fidem in terra Christus restituit. Ipsum igitur audite, ipsum legem dei uiuam, uerbum omnipotens patris, quo cōdidit omnia, quod caro factum est, & habitat nunc inter homines, ipsum à lege & prophetis prænunciatum, & nunc in carne exhibitum, uerbum patris audite, filium non tantum per adoptionē, quales sunt omnes electi, sed per naturam & æternam generationem, filiū dilectissimum, primogenitum omnis creaturæ, Christum dominum audite, ut sitis & uos fratres in Christo patris cœlestis, & cohæredes cœlestium.

B Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt ualde. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitq; eis: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem uiderunt, nisi solum Iesum.

Sic & populus Israël uocem domini dei de cœlis audiens in monte Sinai, audire non ualebat; quo significatur nos homines, hac corporis mole grauatos haudquaquam in plenum consortium dei posse peruenire. Ideo deponendum antea est, quod carnale est, ut contingat quod spirituale. Monemur & medietate erga deum nobis opus esse, quem pater dedit prophetam prophetarū, dominum Iesum Christum, in quo inhabitat omnis diuinitas corporaliter, hunc cum reuerentia, fide, & obedientia amplectamur, non sic timentes ut nō etiam confidentes. Propterea & accedēs tangit, & ut surgant fidantq; admonet. Vbi uidet, quomodo in humilitate sua uerbū dei Christus, qua diuinæ gloriæ nobis occultatur splendor intolerabilis, nō nihil uidendus ueluti in laterna pro capite tate nostra exhibet, & blandū nobis efficitur qd est per se terribile, uitale quoq; qd intuentibus alioqui mortale esse consueuit, iuxta illud: Non uidebit homo faciem meam, & uiuet. Vnde & præ timore cadentes humiliati sunt sub ualida manu dei. Eleuantes autem oculos suos, solum uiderunt, qui & unus satis suus perq; erat, quem & in humilitate illa oportet primum audire & amplecti, atq; eo demum pacto patebit iter & aditus ad incomprehensam atq; inaccessibleē alioqui gloriā dei, in Christo nobis proponendā, & per crucis humilitatē ad eundam. Cum autem descenderent de monte, priusquam redirēt ad reliquum discipulorum cœtum, præcepit illis, ne cuiquam narrarent de his quæ uiderāt, donec filius hominis resurrexisset à mortuis; nam ante id temporis sermonem & fructu suo carituum & fide.

Marci 4. b
Malach. 4. b Et interrogauerūt eum discipuli, dicentes: Quid ergo scribæ dicūt, quod Eliam oporteat primum uenire?

Adeò cor habebant discipuli tenebris obuolutum, ut eadem uox de monte & passione Christi toties audita non descenderet in pectus illorum. Scrupulus enim quidam ceperat animos illorum ex eo quod Eliam conspexerant assistentem Iesu. Hinc inter eundem proponunt illi, Quid est igitur, inquiunt, quod scribæ docentes aduentum Messiae dicere solent ex autoritate Malachiae, & priusquam sit uenturus Messias, uenturus sit Elias Thesbites: at is non præcessit aduentum tuum, sed hodie demum uisus est in monte: tu uero nobis manifestatus es ante Eliam, & prius quàm ille ad hanc uitam humanam uenisti. Non tamen propter huiusmodi discipulorum tarditatem Christus magister eorum indulgentissimus eos abiecit. Ita ne hodie quoq; abiecturum credamus, eos qui modo eius esse discipuli cupiunt, quamlibet crassi fuerint, & nequiores sint omnia semel percipere. Eandem & nos longanimitatem sectemur ad cariores

diores fideles. Notandum quoque eodem tempore multa à scribis fuisse disseminata de aduentu Messiae mox uenturi, quibus ipsi tamen perparum animi ad-mouerunt, uidentibus scilicet oculis nil uidentes, quando augustissimum regnum sese per Messiam affecuturos sperabant, ideo pauperem contempserunt.

At ille respondens, ait eis: Elias quidem uenturus est, & restituet omnia: dico autem uobis, quia Elias iam uenit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quaecumque uoluerunt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.

Ex his uerbis & Marco euincitur, perinde esse ac si dixisset, Recte dicunt Eliam ante uenturum quam Messiam, ac omnia restitutum. Propheta enim dei & Malachias 4. idem dixerunt. Sed si uellent ueritatem recipere scribae, ut & alii dixi, Elias ille, de quo hoc uaticinium loquitur, iam uenit, & dum omnem populum credentium ad me perduxit, restituit omnia. Illi autem reprobam agnouerunt eum, & fecerunt ei pro sua libidine. Nam contempserunt & persecuti sunt calumniates ipsum daemonium habere. Tandem Herodes ipsum decollauit. Sic & filium hominis nunc ignorant & contemnunt, perficientque & in ipso, sicut scriptum est, quaecumque dictauerit ipsorum impietas. Interim hic nos hoc quoque discamus, ut de Christo & praecipuis sanctis, deum quae perferenda eis sunt ordinasse: sic unicuique diuinitus statutum quod patiat, & quo quisque crucis genere deum glorificet, etiamsi nulla id scriptura nominatim testetur, id nostra cura neque augebimus, neque imminuemus: tutissimum igitur & saluberrimum abnegare nosmetipsos, & beneuolentissimo patri nos per omnia consecrare. Tunc ergo intellexerunt discipuli, quod Ioannem Baptistam dice-ret Eliam, ob uitae similitudinem, & in carpendis regibus libertatem. Quod autem dicitur, Sic & filius hominis passurus est ab eis, quaeritur, cum Herodes & Herodias Ioannem interfecerint, quomodo ipsi Iesum quoque crucifixisse dicantur, cum legamus eum à scribis & pharisaeis non occisum. Et breuiter respondendum, quod & in Ioannis nece pharisaeorum factio consenserit, et in occisione domini Herodes iunxerit suam uoluntatem, qui illusum atque despectum remiserit ad Pilatum, ut crucifigeret eum.

Et cum uenisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouoluitus ante eum, dicens: Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam saepe cadit in ignem, & crebro in aquam: & obtulit eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.

Vbi iam Christus de monte descenderat, occurrit ei turba multa, quae & discipulos illius reliquos circumfuderat, aderantque scribae cum discipulis disputantes: ubi uero turba uniuersa dominum uidit, obstupuit, & accurrentes salutat eum. Ille uero scribas interrogat quid inter se disputarent. Unde notatur Christi apud plebem interrogat quid inter se disputarent. Sed non congregari non audentes diuexant rudes Christi discipulos ipso absente, quo uel speciem uictoriae contra ueritatem apud imperitam plebem obtinerent. Sed non finit dominus confundi suos, qui daemone eijcere nequiuert: adest autem in tempore, ne ignominia ipsorum in Euangelicam doctrinam cederet. Accedit autem pater pro filij sanitate, qui unicus erat, ad seriam orationem compellit eum urgens necessitas. Lunaticus autem uocatur, qui habebat daemonium

Marci 9. c
Iacobi 9. c

mutum & surdum, qui deficientis lunæ temporibus uel aduictæ in furorem rapiebatur intolerabilem, ut frequenter in ignem & aquam rueret. Iis autem malis uidetur obnoxius fuisse à puero, sed per lucida interualla non perpetuo agitatus. Sunt autem hæc mala huiusmodi immisiones per angelos malos, & datæ monis opera, qui creaturas dei prout potest infamare studet. Incredulitas autem tam patris quam aliorum ac etiam discipulorum in causa fuit, quod non cesserat imperio discipulorum hoc dæmonium: sicut & in patria obfuit miraculis perfidia ciuium. Propter hanc autem communem et promiscuam incredulitatem omnes dominus increpauit.

Respondens autem Iesus, ait: O generatio incredula & peruersa, quousque ero uobiscum? usquequo patiar uos? Afferte huc illum ad me.

O natio, inquit, incredula & peruersa, quousque tandem ero uobiscum? quam diu feram mores uestros intractabiles? Tot miraculis æditis nihil proficio. Aderat enim, ut saluaret in se credentes, nec potuit ulli salus nisi per ipsum contingere, eoque omnia tum dicta tum facta sua ad hoc instituebat, ut fides adhiberetur sibi, et cresceret in electis, ut Christus tandem agnosceretur, humanis tantum medijs non omnino diuinis uiribus. Sed erat tam intractabilis natio Iudæorum, ut Christi uerbis & operibus ad salutem ipsorum institutis magis offenderentur, nec possent ad agnitionem diuinæ bonitatis adduci, ut si cui res sit cum moroso aliquo & difficili homine, cui nullis possis rationibus quod uerum sit persuadere, nullis beneficijs ad humanitatem emollire. Quales profecto olim quoque Iudæi in deserto se exhibuerant, toties contra dominum murmurando, toties contra seruos suos Mosen & prophetas omnes rebellando, quos isti Iudæi cum quibus Christo negotium erat simili prauitate & peruersitate egregie referebant, ut summo iam tædio iuxta hominem afficeretur, uersando inter eos, ipsosque ferendo, qui ad eum non sustinebant sibi bene fieri, ut aeternæ quoque salutis participationem insane à se reiecerint. Verum hæc mala, prauitas, peruersitas, iniquitas, morositas, difficultas, obstinatio, omnia fructus sunt infidelitatis, qua miseri homines satanæ imperio addicti, tales ab ipso redduntur. Sicut contra fides, ut filios dei reddit, ita efficit candidos, rectos, æquos, commodos, factiles, morigeros, ad omne bonum sequaces, & dei imaginem exprimentes.

Et increpauit illum Iesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.

Qui cum adductus esset ad Iesum, ut alij quoque Euangelistæ referunt, & a Iesu conspectus, protinus ibi in oculis omnium corripuit eum spiritus, & eius magis etiam illustraret magnitudinem mali, percontatus est patrem, quantum esset temporis, quod huiusmodi malo uexari cœpisset. Pater respondens, Ab infantia, inquit, nec sine uitæ periculo; nam frequenter illum egit nunc in ignem, nunc in aquam, ut perderet. Scio morbum atrocem esse, attamen si quid potes, opitulare, misertus nostri. Iesus audito, Si quid potes, subtaxas imbecillitatem fidei, quasi morbus ullus esset potentior uirtute diuina, ait illi: Noli querere quid ego possim efficere, sed uide num tu possis credere. Etenim si plene confidas, nihil est tam difficile quod non possit contingere fidenti. Ad hanc uocem pater fiducia concepta, speque certiore profusus lachrymis exclamans, respondit: Credo domine, sed etiã si quid deest fidutiæ meæ, supple de tua bonitate, & ad uera incredulitatem meam. Interim cum Iesus conspiceret concurrentem populum

puli multitudinem ad spectaculum, auidam uidēdi num succederet Iesu, quod discipulis non successerat, comminatus est spiritui immundo, dicens: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ne posthac repetas eum. At spiritus cum eiulatu recessit a puero, sed prius adeo uehemēter discerpto uexatoq̄, ut mortuo similis iaceret, multiq̄ confirmarent esse mortuum, adeo tenax erat mali uis. At Iesus correpta manu pueri, erexit illum in pedes, & ille surrexit. Vt ægre credebatur, ita ægre sanatus est filius.

Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illum? Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem uestram.

Occupauit meror quidam discipulorum animos, metuentes ne qua culpa sua perdidissent potestatem ædendi miracula, quā antea gloriati fuissent etiam sibi demones esse dicto audientes. Apud multitudinem quidem pudore silent, cæterum ubi Iesus esset ingressus domum, aduent magistram, & interrogant eum: Quare nos nō potuimus hoc dæmonium eijcere, quum potestas hæc abs te nobis semel sit tradita? Iesus ut suorū etiam fiduciam confirmaret, quā oportebat esse tantam, ut nonnunquam & alienæ diffidentia possit esse præsidio, ait: Imbecillitas fidei uestræ fuit in causa. Nam & morbi uis erat atrox, et patris erat facillans fides, nec uestra tam erat pollens, ut par esse posset utriq̄ difficultati: est enim nonnihil diluta humanis affectibus, & inanis gloriae fermento uiciata.

Amen quippe dico uobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, Lucæ 17. b dicetis monti huic: Transi hinc: & transibit, & nihil impossibile erit uobis. Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.

Si fidem habueritis similem grano sinapis, quod cum sit cōtemptum ac minutum, tamen attritum acrimoniam reddit naturæ suæ, & humo conditum emergit in arborē spatiosam, nihil esset tam arduum, quod non illico dicto conficeretur. Etiam si diceretis monti, Moue te istinc & demigra in alium locū, facturus est absq̄ mora, quod iussus est facere. Cæterū hoc genus dæmoniorum quo puer iste tenebatur, nō eijcitur, nisi fides precatione & ieiunio efferuescat, & fiat confirmatio. Tenax erat uis mali, & iam multo tempore uersum fuerat in naturam. Aduersus huiusmodi uitia pugnandum est ieiunijs, quæ corpus attenuatum spiritui subiiciunt: et deprecatione, quæ diuinum impetrat subsidium. Hoc sermone docuit dominus atrociam diuq̄ consueta animi uitia remedijs grauioribus oportere propelli. Cæterum per translationem montium rem quamlibet difficilem, imò naturæ omnino impossibilem significat, non quod oporteat ideo credentes transferre montes, quanquam possent etiam hoc, & quiduis aliud, si id ad dei gloriam faceret, cui ita pijs addicti sunt, ut ne optare quidē possint, nisi de quo certi sint id referre ad gloriā dei. Vulgarius inquit, Hoc genus dæmoniorum per deprecationem & ieiunium expellitur. Oportet enim & illis ipsos dæmoniacos maxime ieiunare, & eos qui illos sanare uolūt. Tunc autem est deprecatio, quando non cum ebrietate, sed cum ieiunio fit. Obserua quod omnis fides granum est sinapis: contempta enim putatur, propter stultitiā prædicationis, attamen si ceciderit in terram bonam crescit in arborem, in qua uolatilia cœli hoc est cogitationes summa petentes nidulantur.

Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus: Filius homi-

Luce 9. c

nis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt uehementer.

Cum in Galilæa conuersaretur dominus, & de loco ad locum iter agere inciperet ex finibus Cæsareæ, quasi per Galilæam Hierosolymam petiturus, alijs turbis facta sua admirantibus ac celebrantibus, iussit discipulos magis cogitare quæ erat breui passurus, ne tum offensi scandalo crucis, à se quæ modo confitebantur Christum, deficerent. Sinite, ait, uos mei discipuli alios admirari facta mea, paulò post aliter sentient ipsi: ad crucem enim me postulabunt, percipite potius hos meos sermones. Filius enim hominis, futurum est, ut tradatur in manus hominum. Hoc uos potius perpendite, & credite ita à patre confitutum, eoq; omnino oportere ita fieri, nempe ut traditus hominibus ab eis occidatur, sed occisus tertio die resurgam. Istis cogitandis animum uestrum potius intendite, & ad crucis humiliationem uos apparate. Non enim ista uulgi admiratio solida uestra gloria est, longe alia & plenior uos manet, sed per mortem adeunda. Hic uero sermo maiorem in modum discruciat animos discipulorum, qui sic adamabant dominum suum, licet affectu quodam adhuc carnali, ut aures illorum nullam paterentur mortis mentionem. Nondum enim intelligere poterant, quod Moses & Elias Iesu mortem gloriam appellarent, quodq; mors illa salutem esset paritura toti mundo. Quanquam autem ut ad mentionem mortis contristabantur, ita ad resurrectionis mentionem debebant exhilarari, tamen in tantum abhorrebat animus à commemoratione supplicij, ut planè non caperent, quid esset Christum mori, ac mox tertio die reuiuiscere. Existimabant enim melius esse non omnino mori, quando id sibi præstare poterat, qui poterat à morte reuiuiscere, & alios resuscitare. Et hic quoq; ex discipulorum Christi ruditate discamus, non continuo frustra prædicari Euangelium, si non ilico intelligatur ab omnibus. Semen enim tardius fructificat, & cum spe expectatur.

Et cum uenissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: Magister uester non soluit didrachma? Ait: Etiam.

Qui Cæsaris nomine tributa exigebant in urbe Capernaum, ubi dominus familiarius habitabat, ueriti compellere Iesum ob auctoritatem, quam sibi iam doctrina & miraculis compararat, adierunt Petrum, quem uidebant illi ferè proximum. Magister, inquit, uester num soluit didrachma? Petrus cum pecuniam non haberet, nec uellet offendere tributorum exactores, respondit illum soluere: nam hæc huiusmodi tributa soluerat etiam Iesus. Vnde uideamus eum quamlibet dei filium, eoq; omnium dominum & principem semper se magistratui morigerum exhibuisse. Quin tum potissimum nasci uolebat, cum hoc tributum primum ab Augusto indictum sub Cyrenio præside percipiebatur. Hic uero liquet quàm nulla ratio fuerit immunitatis ecclesiasticæ, quam uocant, in casibus huiusmodi. Quis enim sanctior Christo? quis spiritalior? quis diuinis rebus addictior? quis uera dignitate præstantior Christo? quis potestate sublimior unquam fuit? Attamen homo factus serui formam & per se nã adeò non fastidiuit, ut nihil prorsus subiectionis atq; seruitutis usq; ad mortem ipsam unquam detrectarit. Cuius gloriæ is accedet propius, qui & humilitatem eius ante plenius expresserit. Quare non modo ingens dedecus est, uulgum magistratus detrectare, & tamen Christi esse se iactare, uerum etiam mand

gesta negatio eius. Qui enim Christi esse uoluerit, hoc est in ipso manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Sicli autem & didrachmæ æstimationem cedo Budeo, & sui similibus numerorum calculatoribus. Aiunt didrachmam ualere quinta coronati, qui tamen intra proximum decennium auctus est quinta floreni, ut uideamus qualis certitudo ualoris in monetarum sit tractatione.

Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi uidetur Simon? reges terræ à quibus accipiunt tributum uel censum? à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij.

Cum iam apostoli domum fuissent ingressi, nam illic in Capernaum domicilium habebat Iesus, Petrus anxius habebat in animo loqui Iesu de soluendo tributo: promiserat enim, nec habebat quod daret. Tunc Iesus nõ in scius quid in animo uolueret Petrus, præuenit illius interrogatione. Simon, inquit, quid tibi uidetur? reges à quibus solent accipere tributum aut censum? à filijs ne an ab alienis? Ab alienis, inquit Petrus. Tum Iesus: Ergo, inquit, filij sunt immunes, obscure indicans se terræ marisq; & omnium rerum dominum, nulli mortali principi debere tributum aut censum, nec suos discipulos, ut filios regni teneri. Sed tamen docere uolens in huiusmodi rebus, quæ nihil faciunt aduersus pietatem, nonnunquam obsequendum huic hominum generi ne prouocati grauius peccent, subiicit:

Vt autem non scandalizemus eos, uade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.

Hoc factò Iesus simul ostendit, & suam potentiam, qua nulli subiiciebatur, & modestiam qua cedere uolebat ijs, quos ob rem uilem & aspernam non expedit irritari. Etenim qui sic dare potest, maior est quàm qui debeat, & tamẽ quum dat quod non debet docet aliquoties esse præstabilius de iure tuo decere, quàm cum improbis de iure contendere, præsertim in hisce rebus quæ facultates atterunt non lædunt autem pietatem. Habet et mundus ordinẽ suum, quem per occasionem Euangelicæ libertatis non oportet omnino confundi. Hunc potius libeat imitari, & libertate nostra ita uti, ne quenquam unquam offendamus, cum in rebus alijs, tum præcipue in parẽdo magistratui, quo contempto nõ unus & alter, sed tota respublica offenditur. Quod autem Christus Romanam potestatem, quæ Iudæis omnino tyrannica habebatur, ita obseruauit, docet nos, quàm uere Paulus scripserit, Non est potestas nisi à deo: quæ uero sunt potestates, à deo ordinatæ sunt. Itaq; quisquis resistit potestati, dei ordinationi resistit &c. Id Iudas Gaulonites ac alij quidam, quorum Iosephus meminit, non animaduertentes, cum præpostere libertatem Iudæis uindicare uellent, & seipos & alios perdiderunt. Nam seditionibus omnia replebant, & communem utilitatem prætexentes, nihil nisi latrocinia agebant, suaq; lucra cum iniuria aliorum quarebant, donec & in seipos arma uerterent. De quibus Iosephus, Iud. ant. lib. 18.

Marc. 9. c
Luce 9. f

A N illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis pu-
tas maior est in regno caelorum?

His tum sic gestis, subijt apostolorum animos humanus quidam affectus, ac stimulus liuoris & ambitionis. Audierant iam ante de regno caelorum, uiderant tres apostolos seorsum abductos in montem, audierant Petro promissas clauis regni caelorum, eiq; dictum, Beatus es Simon Bar Iona, & Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Conspiciebant illum familiari us quaedam & audacius colloqui cum domino, ac modo uiderant illum ceteris apostolis praelatum in soluendo tributo, quodammodo aequatum Christo. Itaq; Petro subinuidebat, cui uidebatur principatus regni caelorum destinatus, secundum quod ipsis suo sensu uidebatur. Videns autem Iesus cogitationes discipulorum, & causas erroris intelligens, uult desiderium gloriae humilitatis contentione sanare.

Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum caelorum.

Notandum hinc quanta aequabilitate Christus discipulos habuerit, ut licet Petrum & filios Zebedei ad secretiora quaedam pra alijs admiserit, nequaquam tamen inter eos constaret, quem reliquis uoluisset praestare aut principem agere. Etenim neminem uolebat se alijs anteferre, sed pro se unumquemq; sedulo dare operam, ut omnium infimus esset, pluribusq; seruiret. Ad quod illos admodum grauiter inhortatus est, collocato in medium puero, quem ut Marcus habet, etiam in ulnas accepit, quo declararet quam chara sibi submissio esset. Ait uero: Id certum habete, nisi quis totus fuerit immutatus, ac prorsus abiecerit omnes affectus istiusmodi, ac transformatus fuerit in habitum & simplicitatem huius pueri, ne recipietur quidem in regnum caelorum, tantum eminentia huiusmodi a uobis cogitetur, multo minus ambiatur. Paruuli enim sensu esse debetis, alieni ab omnibus affectibus ambitionis & inuidiae, simplices, puri, soloq; naturae ductu sincero uiuentes.

Quicumq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste: hic est maior in regno caelorum.

Qua in re uoluerit suos discipulos pueris esse similes, ipse explicauit addens in hunc sensum: Sublimitas, inquit, in regno caelorum, hoc est inter uere filios dei, nulla re alia parari potest, quam sui maxima demissione, ut nihil sibi in mundo quærat, possitq; aequanimiter alijs ministrare, & tanto pluribus esse beneficus, tantoq; fieri melior, quo & fit maior. Vnde apud Marcum dicit: Si quis uult primus esse, is erit omnium postremus, & omnium minister. Vtiq; prelat is qui benefacit, eo cui benefacit. Ergo qui ministrans benefecerit, & omnium minister fuerit, quod est apud mundum omnium postremum esse, & omnium minister, is re uera omnium primus & maximus fuerit apud deum. Hic uero primatus & sublimitas ab unoq; adiri potest, quod quisq; facere se queat seruum omnium. Omnium autem electorum, & totius ecclesiae caput unus est Christus, reliqui omnes sunt membra. Hinc uideas, qui de primatu contendunt in ecclesia, eos non esse in ecclesia, qui regnum caelorum ingredi non possunt, nisi qui sicut pueri fuerint effecti.

Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.

Vt ad puerilem demissionem magis prouocaret, ostendit quanti sibi & patri pueri essent. Se enim & patrem recipi affirmat, si puer huiusmodi recipiatur. Qui enim modestia minimus est, is uirtute est maximus. Principes amant sui similes, & apud hos maiore in pretio est, qui ceteris submotis semet anteponit. Ego mei similibus delector. In aulis huius mundi princeps ad sui contumeliā pertinere putat, si quis aliquem e summis affecerit contumelia, & in se collocatum officium interpretatur, quod in illos fuerit collocatum; at hominum uere simplicium & humilium, tanta est apud deum gratia, ut qui unumquemque uis ex his receperit mea causa, mihi uelim imputari perinde quasi me receperit. Contra uero dicitur:

Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, *Marci 9. f*
expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in *Luce 7. a*
profundum maris.

Mergi in mare optabilius est quam aliquem ex huiusmodi pueris, qui mihi *Puerorū fides.*
fidunt, totiq; ex me pendēt, offendere, quauis iniuria afficere uel contemnere. Nulla autem offensa atrocior affici possunt, quam si uerbo uel facto prouocentur ad impietatem, hoc est scandalizentur. Quod autem addit: Qui in me credunt, hoc est ex me pendent, indicat nos pueris in eo similes fieri debere, ut nihil nostri queramus, sed securi de bonitate dei agamus, in hoc unum propensi, ut multis beneficiamus. Puerorum autem nō est alia in Christum fides, quam quod omnino securi nituntur eo qui ipsos condidit, nullam prorsus sui curam agentes, licet nihil certi uel de patre, uel de Christo aeterno uerbo sciant, ut qui audiendi uerbi dei nondum fuerint capaces. Sic & quemlibet simpliciorum Christianorum scandalizantem, praestat suspensa mola a collo demergi in mare. Puerorum uero similitudo in eo commendata est hic, ut pueros abnegatione nostris referamus, & humiliter sentiendo de nobis. Ceterum dissimiles esse debemus pueris sensibus, ne pueriliter desipiamus, absurda sectantes p imbecillitate fidei, ne quoq; carnis affectibus nimis adhuc indulgeamus, neue in dogmatis pietatis incerti fluctuemus, & circumferamur quouis uento doctrinae; uerum pueros referamus innocentia, sinceritate, & candore, ut uacemus omni malitia & dolo, simulatione & inuidentijs &c.

Vae mundo ab scandalis. Neesse est enim ut ueniant scandala; ueruntamen uae homini per quem scandalum uenit.

Quam male mundo erit ob scandala offendiculaq; similitum paruulorum, *Scandalum.*
Hominum peruersitas in causa est, ut fieri non possit quin accidant offendicula. Erunt qui liuore odioq; commoti persequantur benemerentes, maledicant bene precantes, occidant salutem aeternam afferentes. Atq; haec quidem offendicula cedēt in bonum eorum qui patientur, imò in bonum totius mundi. Sed tamen male erit illi, cuius uitio natum fuerit offendiculum. Proinde qui cupiunt ingredi regnum caelorum, diligēter uitent offendicula pusillorum, sed potius alijs alijs uicissim sint adiumento. Est autem scandalum occasio mali, quod contrahit cum malo habens cōsuetudinem, quod non boni malis, sed mali potius bonis aut ad bonitatem aspirantibus obijciunt; nempe dicta uel facta per se mala, uel ex eo quod fuerunt praeter prudentem dilectionem admissa, in occasione peccati alijs. Tunc autem nos nemini offendiculum obijcimus, cum in omnibus nos commēdamus ut dei ministros, id est cuncta quae uel dicimus uel facimus ita comparamus, ut ad aedificationem faciant, & spiritum Christi

referat. Scandalum enim est, quicquid omnino uel dicimus uel facimus, quod non ex solida fide natum est, & sincera dilectione moderatum ad gloriam dei & animarum salutem. Vnde satis liquet necessitas scandalum in mundo, ob im-
piorum malitias, & piorum fragilitates, & quotidiana delicta. Quod à nobis dil-
ligenter cauendum, qui docemus, quando positi sumus ut fructum adferamus
ad iustitiam, ad ueram pietatē plurimos adducentes. Cum Christo omnia scan-
dala excremur, cauentes ne cui offendiculo simus, praesertim paruis, non so-
lum aetate sed & fide & intelligentia. Vita aeterna est solida dei & Christi cogni-
tio: quicquid hanc remoratur ullo pacto, ueluti scandalum habeamus & ab-
ijciamus.

B Si autem manus tua aut pes tuus scandalizat te, abscinde eum, &
projice abs te: bonum est tibi ad uitam ingredi debilem uel claudum,
quàm duas manus uel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum.

Supra 5. c.
Marc. 9. 8

Non satis est cauere ne quis alteri sit offendiculo, uerumetiam ne quis ipse
sibi accersat offendiculum. Tum em̄ uere sunt offendicula, quum sibi quis est
offendiculo. Nullus igitur affectus cuiquam adeò charus sit, quin amputetur
ilico, si fuerit offendiculo properanti ad regnum caelorum: adeò, ut si manus
tua aut pes tuus, uidelicet membrum in primis necessarium, tibi sit offendicu-
lo, ressecandus sit & abijciendus. Vtilius est enim tibi ut ad uitam aeternam recti-
piaris mutilus aut claudus, quàm ut integris manibus aut pedibus totus con-
iciaris in ignem aeternum.

Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum
tibi est unum oculus habentem in uitam intrare, quàm duos oculos
habentem mitti in gehennam ignis.

Oculus membrum est non solum necessarium ad usus, uerumetiam gratif-
simum homini. Et tamen si hic fortè tibi fuerit offendiculo, erue et abijce. Ma-
gis expedit tibi ut luscus admittaris in uitam aeternam, quàm ut utroq; oculo
incolumi totus precipiteris in gehennae incendium. Atq; haec dicens Iesus, non
sensit aliquod membrum corporis amputandum, sed affectus omnes amputan-
dos, qui nos auocant à cura salutis aeternae. Nam amicus quo carere uix possis,
ueluti manus est homini; pater cui inniteris pes est; uxor aut filius quem tene-
re deamas oculus est. Vt igitur nihil tam pretiosum tamq; magnificum esse de-
bet homini, quo debeat auocari à regno caelorum: ita nemo quamuis pauper
obscurus & humilis est contemnendus, sed adiuuandus potius, ut proficiat ad
meliora. Habetis exemplum uitandi scandalum.

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim uobis, quia
angeli eorum in caelis semper uident faciem patris mei qui in caelis est.

Summa his uerbis patet. Puerorum obseruatiã discenda, ut maximi quisq;
eos habeat atq; offendere summopere caueat: siquidem chari deo sunt, adeò ut
in caelis constituerit ipsis praesides & custodes sanctos suos angelos, qui perpe-
tuo fruuntur dei praesentia. Quamuis autem abiecti sint apud mundum, ob con-
pusculi imbecillitatem, & rationis ignorantiam, tamen apud deum magna est
illorum ratio. Nam illud pro certo dico uobis, angeli qui tanquam ministri eu-
ram à deo habent sibi delegatam illorum, assidue nihilominus contemplanur
faciem patris, qui est in caelis. Hinc aestimare licet quanti sint apud deũ, quum
illis tales addiderit custodes ac pædagogos, Rudes quidem sunt, labi possunt,
falli

falli possunt, sed simplicitas subsidio digna est, non supplitio.

Venit enim filius hominis saluare quod perierat.

Ideo filius hominis uenit in terras, non ut perderet quenquam, sed ut quod in ipso est seruaret omnes. Sed multi seruari nolunt, & persequuntur seruare uolentem. Hi sunt quos mundus ut magnos suspicit, autoritate præeminent, opibus pollent, eruditione præcellunt, ut uideatur, admirabili quodam falsæ san- ctimoniam præstigio commendantur. Hos non oportet quidem ultro prouoca- re, sed contemnendi sunt fortiter, si metuentes suæ potentiam oppri- munt dei, si suæ gloriæ confidentes inuidet gloriæ Euangelij, si suo quæstui feruientes obstant commodis omnium, si dum suam iactant inanem eruditio- nem uitiant doctrinam Euangelicam, si sub prætextu falsæ religionis extin- ctam uolunt ueram religionem, si beneficijs efferantur: isti sibi imputent oportet suum exitium. Cæterum nobis hoc esse studio debet, ne quem perire sinamus è pusillis & infirmis, qui sic errant, ut sint sanabiles, ouibus similiore quam lupis.

Lucæ 19. b

Quid uobis uidetur? Si fuerint alicui centum oues, & errauerit una ex eis, nonne relinquet nonagintanouem in montibus, & uadit quæ- rere eam quæ errauit? Et si contigerit ut inueniat eam: amen dico uobis, quia gaudet super eam magis quam super nonagintanouem quæ non errauerunt. Sic non est uoluntas ante patrem uestrum qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.

Lucæ 19. a

Ex uestro & communi sensu facite coniecturam, quantopere sit hoc studio patri, qui natura bonus est, ne quis hominum pereat, quos ideo condidit ut es- sent beati. Etenim si quis sit uerus ac fidus pastor dominus ouium centum, atq; ex tanto numero pereat una, nonne relictis nonagintanouem in montibus, abi- bit quæsiturus eam quæ aberrauit à grege, tantoq; desyderio maceratur uni- us amissæ ut reliquum gregem totum exponat periculo? Quod si contigerit, ut illam inueniat: pro certo dico uobis, quod magis gaudebit ob unam receptam, quam de cæteris omnibus quæ non perierant. Proinde si sic est affectus homo pastor erga gregem suum quem possidet tantum non etiam condidit, quanto magis hæc est uoluntas patris mei, qui est in cœlis, ne quis pereat ex his pusil- lis quos condidit, quos sic habet curæ, ut angelos suos hominum custodes præ- fecerit, quibus ad salutem reuocandis filium suum unicum impendit. Non hic disputemns qui iusti sint, pœnitentia non egentes, cum uniuersi peccatores sint, eoq; continuo resipiscentes, si ut iam de grege domini sunt, ita non habe- tur super eis peculiare gaudiū, quemadmodum super uno peccatore, qui cum alienus à regno dei, & ouis electa quidem ad uitam, sed perdita ad horam, dei ignorans nunc resipuit, deumq; agnouit, alijsq; denuo domini ouibus iungi- tur. Gaudiū enim affectus est, qui de recenti bono oritur, quo aliquandiu frui- to remittitur. Hac autē narratione aliud dominus significare non uoluit, quam ex uoluntate patris consentientibus angelis & omnibus sanctis, summam cura- ram geri domino, ut in uiam redeant qui aberrauerant. Eoq; cum peccatori- bus libenter Christum congregi, & habere consuetudinem, quo ad resipiscen- tiam reuocentur, id quod pharisæi inique ferebant. Hæc nobis dei ineffabilis clementia cogitanda erga nos miseros, & danda opera, ut aberrantes ouiculæ ad suum pastorem reuocentur.

Luce 17. d
Leuit. 19. d
Eccli. 19. b
Iacobi 5. d

Si autem peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unū uel duos, ut in ore duorū uel trium testium stet omne uerbum.

Offendicula quidem absint à uestro contubernio, quæ pacem dirimant fraternam: adsit autem mutua charitas, qua uicissim alij aliorum erratis amanter medeamini, si quæ inciderint. Porro medicandi modus hic erit: Si quid admiserit in te frater tuus, unde debeas ex iusto zelo merito offendi, dum scilicet deus contemnī uideatur ab eo, & conscius eius es, quod frater tuus consors fidei in deum, non gentilis, uel Iudeus, aut qui foris sit: si, inquit, designauerit quod sit animaduersione dignum, ne statim prosilias ad uindictam, neue rursus silentio tuo sinas illum perire, dominum deū offendi, ecclesiam scandalizari, dum ueluti uiolentus affectibus suis peccat impune. Sed primum experire remedio quàm maxime blando, quo ne pudoris quidem incommodo fratrem aspergas. Adito illum solus solum, & nullis arbitris rem inter uos transigito: si nondum agnoscit culpam, argue illum, & ob oculos pone, quantum aberrarit ab officio fraternæ charitatis, & pietatis exercitio. Talis autem sit admonitio, ut declaret te nihil aliud querere quàm illius salutem, & amicitia pristinae facturam, nequaquam eius infamiam uel contemptum. Quod si ille tam est sanabilis, ut ad hanc secretam admonitionē respiscat, non est quod ulciscaris, aut quod illum traducas, tibi satis est quod lucrifeceris fratrem tuum. Interim & tuo lucro confuluisti: periturus enim erat tibi amicus, peritura erat deo anima, cuius saluti nihil debet nobis esse optabilius, sicut angeli in cœlo peculiare habent de peccatoribus respiscantibus gaudium. Quod si grauior est morbus, quàm ut hoc lenissimo remedio sanari queat, non est prorsus abiicienda spes, nec statim ad extrema remedia ueniendum, sed si tibi soli non præbuerit aurem, rursus adito hominem, adhibito uno aut altero, siue ut pudore mediocri corrigatur, qui non progrediatur usq; ad infamiam, siue ut testimonio duorum aut trium possit reuinci. Sine huiusmodi admonitione ecclesia existens, uidetur ut regnum esse sine iudicio & usu legum, ac ueluti ciuitas redacta in potestate principis, sed nondum habens instituta legum & impositum magistratum. Aliud iudicium ecclesia habere non potest, quàm ut eos qui fratres haberi uolunt moneat dum peccarint, nolentes autē respiscere, à sua communione excludat. Cum enim simus inuicem membra, et promouere quotidie debeamus in pietatis cultu, si monere nos mutuo cessamus, quid quæso reliquum est, quo Christi inter nos esse dilectionem monstremus, unde iure Christiani sumus?

Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ: si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

Si tam intractabilis est, ut nec pudore nec metu iudicij commoueat, reme defer ad congregationem, ut uel multitudinis consensu uel eorum auctoritate qui multitudinī præsumt emendetur. Peccata eius & peruiçatía nolentis respiscere producatur, ut à toto coetu eorum inter quos uersatur tertio demum moneatur. A deo non facile de peccatoribus desperandum est, sed ante tentanda omnia. Quod si usq; adeo insanabilis est, ut nec secreta fraterna q; correptione, nec duorum aut trium testium conscientia consensuq; nec prolati criminis pudore, nec primorum auctoritate corrigatur, illū suo morbo relinquit. Amputetur à familiari consortio, nec alio loco habeatur, q; si sit ethnicus aut publicanus.

damnatus damnarit quod admisit. Quanquam igitur uestrum iudicium non habeat in specie seueritatem eam quam habent tribunalia principum, tamen magis est formidandum quam illorum sententia, qua saepenumero percussuntur optimi, & absoluntur sceleratissimi. A deo damnari formidabile est, & ab illo damnatur quisquis à uobis sincero animo consentientibus dānatur. Quod enim iudicatis spiritu dei, non uestrum est iudicium, sed per uos illius. Quod si is qui uestra sententia fuerit eiectus à uestro consortio non protinus est alienus à consortio coeli. Vis igitur uestrae authoritatis in iudicio secundum uerbum & spiritum dei sita est, & in affectibus secundum hoc regulatis, id quod deus intuetur. Haec uestra talis authoritas, infusus quoque dei spiritus & sapientia secundum uerbum domini iudicandi, clauae sunt, quas Petro me profitenti & omnibus ei in hoc similibus daturus sum: quibus quod ligatum fuerit, hoc est decretum secundum uerbum dei, quod sit impium & malum, ligatum erit & in coelis: & quod solutum sic fuerit in terris, solutum erit & in coelis. Ea potestas tamen si primoribus, hoc est in lege dei et uerbo insigniter eruditus, et spiritu dei pollentibus, maxime competet, tamen omnibus à me dabitur, si modo conscientia accesserit non humanus, sed in meo nomine.

Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Non solum ualebit consensus uester in condonandis aut damnandis commissis, si uos inter uos & si mecum consentiatis, uerumetiam si uel duo quilibet reperiatur in terris, qui uere concordet meo spiritu, & secundum uerbum dei, hoc est non commoti affectu humano, sed concorditer sentientes secundum uerbum dei, & amantes ex animo quae dei sunt, non propria uel mundana quaecumque, hi quaecumque petierint, impetrabunt à patre meo, qui est in coelis. Adeo pater amat Euangelicam sanctamque concordiam. Quum igitur tantum ualeatis apud eum principem, qui potest omnia, non est quod uos poeniteat uestrae potestatis, etiam si apud homines imbecilles & impotentes uideamini. A Caesare non protinus impetratur quod petitur, nec ille quicquid rogatur praestare ualet: nec enim ille posset uel febrim depellere, uel muto linguam reddere. Nil autem tam est arduum aut incredibile, quod pater meus non sit uobis praestaturus, si concorditer ab ipso petieritis. Clare itaque hic notatur omnium in nomine Christi, hoc est ex fide in eum, conuenientium, esse potestatem hanc, hoc est clauae regni coelorum, quia talium spiritus domini est, & uerbum eius, hoc quibus nulla est huiusmodi potestas.

LUCA 17. A

Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

Quandoquidem dixerat Iesus, Post tertiam correptionem sit tibi uelut ethnicus & publicanus, uisus est certum numerum praescribere, quem qui transgressus esset, etiam si resipisceret qui peccarat, non esset recipiendus in gratiam. Hac igitur de re exactius docendus, adiit Iesum: Domine, inquit, quoties condonabo fratri, si in me peccauerit? & post quotam culpam repellatur à ueniam? Num post septimam? Hunc numerum proponebat Petrus, uelut abunde magnum, quum Iesus tertiae dumtaxat correctionis meminisset. Tunc Iesus ostendens in his quae committuntur in nos oportere nos esse facillimos ad ueniam. Non

Non dico, inquit, ignoscendum usque ad offensam septimam, sed usque ad septuagies septimam, indicans nullum esse praescribendum numerum ignoscentiae Christianae, sed quotiescunque resipuerit qui peccauit, toties ex animo condonandam esse culpam, penitus eximens ab animo Christiano omnem ulciscendi libidinem. Hinc immensa dei bonitas relucet, qui absque modo & numero remittere iubeat peccantibus, si peccati modo poeniteat. Id enim ad scripturae idiotismum significat, Septuagies septies. Absurdum sit enim sedere & numerare usque dum quadringenta nonaginta habeas: tot enim faciunt septuagies septies, sed immensum numerum signat, quasi dicat: Quoties qui lapsus fuerit poenitentiam aget, concedi ei ueniam, id quod & per sequentem parabolam dicit.

Ideo assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum coepisset rationem ponere, oblatum est ei unus qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius uenundari & uxorem eius & filios, & omnia quae habebat, & reddi. Procidens autem seruus iste, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit unum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam D habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius quae fiebant, contristati sunt ualde, & uenerunt, et narrauerunt domino suo omnia quae facta fuerant. Tunc uocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit te misereri conserui tui, sicut et ego tui miserus sum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet uniuersum debitum. Sic & pater meus caelestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris.

Hac parabola docere uult clementissimum nos habere dominum, quo in remittenda debita nihil sit facilius, cuius clementiam & facilitatem debeamus imitari erga conseruos, quam utique incomparabilem in nos experimur. Quod si neglexerimus, haudquaquam nobis clementiam eius porro, sed intolerabilem porius iram expectandam, quae nihil penitus remittens, cuncta a nobis debita exigat ex pacto, et in eterno gehennae carcere perire oportebit. Ideo, inquit, regnum caelorum simile est homini praediuiti ac potenti, cui cum esset ingens familia, uisum est inire rationem cum seruis suis. Et cum coepisset subducere rationem, repertus est quidam qui debebat illi decem milia talentorum. Cum uero summa maior esset quam ut debitor esset soluendo, dominus iussit, & ipsum & uxorem & liberos & quicquid habebat rerum uenundari, ut ex conflato pretio satisfaceret creditori. Seruus autem ille supplex accidens ad genua domini Quaesit, inquit, ut mihi spatium aliquod concedas, & progressu temporis omnia tibi resoluam. Porro dominus misertus sui supplicis ac prouoluti plus indulsit quam ille petierat. Non solum enim illum non produxit in forum, uerum

etiam condonauit illi totam summam. Porro seruus ille iam liber, quam esset digressus à conspectu domini sui, forte fortuna obuium habuit quendam è numero conseruorum suorum, qui debebat illi pauillum pecuniæ, nempe denarios centum. Hic oblitus dominicæ erga se clementiæ, protinus iniecta manu trahere cœpit miserum, dicens: Solue quod debes. Ille conseruus ad conseruigenua procidens, totidem uerbis obsecrabat eum, quot ille dominum: Patienter age mecum, & omnia resoluam tibi. At creditor inexorabilis repulit supplicem, & pertraxit in carcerem, donec reddidisset quod debebat. Porro ceteri conserui, qui uiderant miram clementiam domini in seruum, ubi uidissent tantam crudelitatem conserui in conseruum, dolore graui commoti, rem omnem denarrant domino. Ibi dominus accensus ira reuocauit ad se seruum, cui condonarar omnia. Serue, inquit male, nonne ego dominus, tantam summam tibi condonauit, non ob aliud nisi quod supplex rogares me? Non igitur par erat, ut tu conseruus conseruo paululum pecuniæ condonares, & supplicis miserereris, quemadmodum ego tui misertus eram? Certe mea in te tam recens lenitas te docere debuit lenitatē in conseruum. Iamq̄ dominus implacabiliter iratus, tradidit eum tortoribus seruandum in carcere, donec resoluere totam summam prius condonaram. Ad hanc imaginem uobiscum aget pater uester coelestis. Illi nemo uestrum non debet plura, in quem nemo non frequenter delinquit. Peccant & homines in homines, sed longe leuiora. Quod nisi quisq̄ fratris suo remiserit leuiores offensas in se commissas, & remiserit ex animo, pater non solum non condonabit uobis in se commissas grauiora, uerum etiam quæ condonarar reuocabit. Allegorijis hic multi ludunt, ueritatem autem quærentribus satis est didicisse, hinc deum nobis peccatoribus remittere omnia, si nos quoq̄ remiserimus peccantibus in nos peccata eorum, idq̄ ex corde, ne remaneat in corde aliqua maligna iniuriarū memoria, ut absit fucus, quia deus ueritas est, & cor aspicit, non tantum uerba & mores externos.

CAPVT XIX.

A
Marci 10.4

Factum est cum consummasset Iesus sermones istos, migravit à Galilæa, & uenit in fines Iudææ trans Iordanem, & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi.

Sermonibus præscriptis instruxit dominus discipulos & auditores fideles, de beneficentia ad simplices, & de lenitate ad delinquentes. Deinde in Iudæam pergere uolens ex Galilæa, transiuit per terras duarum tribuum & dimidiæ, quæ sitæ sunt ad ortum uel orientalem plagam Iordanis secundum cursum eandem, donec uenit ad eam Iordanis partem ubi alluit Iudæam sitam ad eius occidentalem plagam. Voluit enim & hanc quoq̄ regionem Israëliticam beneficij suis uisitare, & doctrinis instruere, ut ubiq̄ salutis radios spargeret. Turbæ ergo cupidæ excipiebant doctrinam Christi; pharisæi autem suo more aderant, ut ipsum tentarent. Mira autem bonitas Christi, qui licet semper pharisæi maligno animo secum congregarentur, ipse tamen quæ pro ueritate faciebant, mansuetissime eis semper respondit. Non enim propter malos cælanda est ueritas bonis, aut non prædicanda commodius. Ne & nos spectemus quid merentur aduersariorum malignitas, sed quid deceat ueritatem dei. Occurrit autem deum minus Iudæam accedens futuræ morti suæ, omnia præsciens, nimirum sponte, libens, resignatus in patris uoluntatem, constans & strenuus, quamquam sciret

sciret phariseos moliri ipsius pernitiē & mortē. Hominū autē numerosi gre-
ges sequuti, deportabant ad eum uarios agrotos, quos et illic sanauit cōtinuo.

Et accesserunt ad eum pharisei tentantes eum, & dicentes: Si licet
homini dimittere uxorem suam quacunq; ex causa?

Visis tot prodigijs, et studio multitudinis erga Iesum, recruduit phariseo-
rum inuidia, qui callide & insidiosē adorti sunt illum, occasione captata ex ser-
mone, quo prius docuerat, non esse repudiandam uxorem. Proponunt igitur
cornutum proplema, Num fas est quacunq; de causa repudiare uxorem? Qui
si respondisset esse fas, secum pugnare uideretur, quum docuisset non licere re-
pudiū: si negasset, uideretur aduersari legi Mosaicā, quā permittit quauis de
causa dare repudiū libellum, ac dimittere, quod natura hoc ut scdū et iniquum
mens honestior detestetur. Tentato autem tali domino, ait Origenes, quis di-
scipulorum eius grauitē ferat, qui positus est ad docendum, si tentatus fuerit
a quibusdam? Tamē tentatoribus non alia respondet, quā dogmata pietatis.

Qui respondens, ait eis: Nō legistis, quia qui fecit hominem ab ini-
tio, masculum & foeminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet ho-
mo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne
una: itaq; iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo deus coniunxit,

Gene. 1. d

Gene. 2. d

Ephes. 5. 8

1. Corin. 6. d

homo non separet.

Obmissa hic disputatione de diuortio, non certe otiosa, quam Bucerus hic
erudite & fideliter tractat, nos hic primum discamus ex litera & uerbis Chri-
sti, ut à diuortio quā maxime abhorreamus, neq; unquam id nobis nisi sum-
ma necessitate compulsi permittamus. Natura enim inuisum adeo est, ut etiam
apud Romanos inauditum fuerit, usq; ad annum ab urbe condita quingente-
simum & uigesimum tertium, quando repudiauit Spurius Carbillius uxorem
sterilitatis causa. Deinde discamus, quomodo scripturæ loca sint interpretan-
da, nempe ut nequaquam elementis inhæreamus, sed consultis & alijs locis, ut
hic Christum fecisse uidemus, ut perquiramus quid in unaquaq; re primæ dei
institutioni, atque omnino uoluntati maxime respondeat, uitæq; integritate
& honestatem promoueat. Tertio hinc discamus, matrimonij dignitatem
commendari, quod eius author dominus sit, ipseq; iungat qui matrimonio con-
ueniunt. Hinc fidem alant coniuges, quod illos deus coniunxit, ut unus homo
sint, relictisq; parentibus sibi inuicem adhæreant. Debet planè maritus boni
consulere quamlibet uxorem sibi dominus obtruserit, diligere ut carnem pro-
priam sit, uicissim mulier uirum suum obseruare propter dominum, qualiscunq;
etiam sit, quia eum dominus dedit, utrinq; uero non dubitare se domino face-
re quicquid fecerit coniugi. Ad Genesis autem librum phariseos Christus mit-
tit, ubi habetur, quomodo optime deus condidit omnia, nec potest quicquam
habere melius, quā si ira habeat ut est conditū diuinitus. Iam qui fecit homi-
nem, marem & foeminam eos condidit, & dixit: Propter hoc relinquet homo
patrem & matrem, et agglutinabitur uxori suæ, eruntq; duo in carne una, hoc
est amore uir uxorem omnibus præferet, adhærebitq; ei, ut uelut unus homo
censeantur. Nam mulieris caput uir, caro uiri mulier est. Quos itaq; adeo deus
coniunxit, ut uelut unus homo habeantur, non debet homo separare. Non igitur
licebit marito repudiare uxore, multo minus uxori uirū, ob causam quāli-
bet. Ex eo ergo quod Moses iussit dare libellum repudiij, non colligitur licere

uxorem repudiare, sed si quis ob duritiam cordis nolit illi commodū maritum exhibere, ut dato libello repudiij eam dimittat, non aliter, quo illa possit nubere alij; ne scilicet duplici iniuria miserā afficiat, et ipse officium mariti illi negans, & prohibens simul ne ab alio percipere possit.

Deut. 24. d

Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudiij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis uestri permi sit uobis dimittere uxores uestras, ab initio autem non fuit sic.

Pharisæi ansam sibi datam arbitantes, qua Iesum prehenderent, Si deus, inquit, hoc uoluit quod interpretaris, cur igitur Moses facit ius maritis qua libet de causa abijcere uxorem, modo dent illi libellum repudiij? Qua fronte ait Iesus est permittere quod deus fieri noluit? Respondit Iesus: Non hoc uobis permisit, quod iustum esset & rectum natura & domino placens laudatumque, sed sciens duritiam cordis uestri, leuius malum indulsit, ne grauius à uobis committeretur. Neque enim is probat diuortium qui hoc maluit admitti quā homicidium. Nec hoc efficit libellus repudiij ut rectum sit repudium, sed testis est tur duricie, qui quamlibet leui de causa ob sordiciem aliquam aut deformitatem uel ingritudinem, quia amare non potes coniugem expellas: & illi prospicit de nouo marito, ne uratur importunius, si filios desiderat uel castam se seruare non uult, uel non potest, tibi hoc pacto ius adimens ne denuo reuoces semel repudiatam. Verum ab initio quum nondum increuisset hominum tanta malitia, nec adhuc tot uitij esset infecta natura mortalium, quoniam non erat tam atrox odium, ut ueneficia, exitiale odium, incriminatio, & homicidia timerentur, non erat repudiij licentia, neque nunc relaxabitur idem ius postquam Euangelica doctrina renouat ac perficit naturæ synceritatem. Moses idem optabat quod ego doceo, sed mores uestri nimium ad homicidium propensi deterrebant illum, ne auderet hoc à uobis exigere. Ego qui non irrito legem, sed absolutio rem reddo, planè dico uobis, nefas esse & præter mentem dei, & præter Moysis uoluntatem, quod uulgo facitis quauis de causa repudiantes uxores uestras. Nec enim ideo rectum est quod facitis, quia facitis impune. Multa sunt apud deum flagitiosa quæ legibus humanis non puniuntur.

B

Supra 5. e

Marci 10. b

Lucæ 16. d

1. Corin. 7. b

Dico autem uobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur, & qui dimissam duxerit, moechatur.

Quisquis ob quamlibet causam, ut nunc uos agitis et docetis, abiecerit uxorem, & alteram duxerit, adulterium committit, nisi forte quam repudiat, adulterio commeruerit repudiū. Quod et sancti episcopi & iustissimi Cæsares intellexerunt etiam de casibus criminum, quæ maiora sunt & habentur, minusque tolerabilia maritis omnibus, quam sit omne adulteriū, ut si homicida sit, uenefica, insidiatrix uitæ mariti deprehensa, exitiali odio semper correpta, furax, blasphema in deū, & perpetua irritatrix mariti ac omnino implacabilis. Quis enim dubitat hæc talia matrimonij statui & fidei præstitæ incompatibilia, & ipso marito æque importabilia esse, atque si semel adulterium commisisset, & postea priusque semper fuisset morigera & comoda uxor marito, quemadmodum & inter causas ob quas uxori repudiare posse maritum conceditur à Cæsariibus Christianissimis enumerantur, præter adulterij crimen, homicidium, ueneficium, falsarij crimen, sepulchrorum effractura, sacrilegium, latrocinium, plagiarij crimen, & huiusmodi quædam alia, quæ adulterio uel æquiparantur uel

uel multum excellunt in crimine, de quibus ecclesiae & sapientium iudicio stare malim, quam proprio. Verum adulterij meminît Christus exempli gratia, ut inde atrociora aestimemus crimina, odij irreconciliandi seminaria crudeliora. Quae enim alteri uiro sui fecit copiam, iam uxor esse desijt, & matrimonij ius ademit sibi, diuisa carne, quam deus unam & indiuiduam esse uolijt. Sed qui talibus de causis repudiari uxorem, qualibus uos subinde repudiatis, si se iungat alteri, non matrimonium est, sed adulterium. Et qui sic repudiatam duxerit, non uxorem suam ducit, sed alterius, ac alienam, & ideo non contrahit matrimonium, sed committit adulterium. Horum autem malorum summa recidit in caput repudiatoris; primum enim praefractus est et immitis, qui uitium uxoris nec ferre potuerit nec uoluerit mederi; deinde domo depulsa, quae sine marito non potest uiuere, causam praebet adulterij committendi.

Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est.

Si ad istum modum habet causa hominis &c. uni namque uxori perpetuo adherere, quamlibet foedae aut sterili, aut etiam animi morbis obnoxiae modo uelut & possit uxorē agere, perdifficile discipulis uidebatur, praesertim post licentiam repudij, quae apud Iudaeos inualuerat. Nam & apud gentes iam impune licebat uxorem ob quamlibet causam repudiare. Secundum carnem igitur discipuli bonum arbitrabantur, non contrahere matrimonium, si non posset quisque cum uellet inuisam uxorem repudiare. Dominus autem ad spiritum ipsos reuocans, & loquens de eo quod uere bonum sit, aiebat: Non omnes capaces sunt eius dicti, sed quibus datum est. Quasi diceret, Sanè ita res habet, bonum homini esset liberum à coniugio uiuere; habet enim illud multas molestias, ac praeterea detinet animum, ut necessario terrena curet, quem praestiterat perpetuo immorari caelestibus. Olim sanè uiuent electi omnes similes angelis, alieni à nuptijs, quam profecto uitam optabile esset hic meditari. Sed est alia ratio uitae praesentis, inde est quod dominus dixit, bonum esse coelibatum, sed eum non omnes capiunt, sed soli quibus peculiariter datum fuerit. Adeo enim hic carnis affectus ueneris communis est omnium, ut non alius sit uiolentior aut inuincibilior. Quanquam igitur liberius est non alligari matrimonio, tamē turpius est intra coniugij cancellos contineri, quam uel uago concubitu pollui, uel importunissima uisionis molestia diuexari iugiter, et ab omni sancto exercitio impediri. Iesus igitur subindicans, quid esset optimum, & huc inuitas praemio libertatis, non audet tamen nec uult exigere, quod quodammodo uires excedit humanas. Non omnes, inquit, capaces sunt huius sermonis, sed hi dumtaxat, quibus hoc datum est diuinitus, quos tantus habet ardor Euangelicae sanctimoniae, ut hunc etiam affectum sponte uolentesque negligat. Nec enim alioqui laudem habet, quamuis castus coelibatus, qui rarissime contingit, nisi fuerit susceptus studio pietatis Euangelicae. Vnde & sequitur:

Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt, & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat.

Sunt qui nuptijs abstinent, quibus id tamen haud magnopere bonum est, nempe qui corpore inepti ad coniugium, uel nati uel postea facti sunt. Et sunt etiam qui seipsos castrauerunt, hoc est cum mariti esse possent, ultrò coelibatum

sibi delegerunt, idque propter regnum cœlorum, ut scilicet solius gloriæ dei propagandæ inseruiant, & nulli peculiariter addicti ministrent ad salutem omnibus: hoc est, curent quæ proprie domini sunt, ut ipsi se per omnia probent, sancti corpore & spiritu, adhæreantque ei absque ulla distractione, id est omnino specimen quoddam futuræ uitæ & cœlestis exhibeant. His demum bonum est absque coniuge uiuere, quia datum est eis, ut propter regnum cœlorum ita uiuant. Talem se Paulus fuisse testatur, & ad similem ibi felicitatem alios quoque horrat, quo minore sollicitudine eorum quæ in mundo sunt, domino possint adhærere, & uere mundo uti tanquam non uterentur, quolibet momento parati hinc ad Christum concedere: qua non libertate tantum, sed prorsus felicitate, quid optabilius esset? Verum & ibidem addit, Hoc autem ad id quod uobis condicibile est dico, non uti laqueum uobis iniiciam &c. Quid iam hoc aliud est, quam non omnes sunt capaces huius dicti, sed quibus datum est? His ergo solis conuulso ad has cœlestes uitæ delicias aspirare, reliquis aîo, propter fornicationem uitandam unusquisque uxorem suam & unaquæque maritum suum habeat. Quæ autem fuerit cœlibatus nostrorum clericorum, monachorum, & nonnarum orbis uident & doluit, quorum prauo exemplo deprauatus est miserrime totius ecclesiæ status. Coniuges autem ministrare Euangelio propagando posse, hodie testantur exempla multorum, & meum, cuius non pœnitebit in omni sæcula, habentium exempla patrum sanctissimorum & apostolicorum uirorum in ueteri & nouo populo. Vtrumque autem expertus uere & fideliter loquor coram deo meo & iudice Christo domino, & sentio id tandem melius quod dominus instituit, & mundo utilissimum, & pijs fructuosissimum non ignorauit. Quæ uero cœlorum regnum cœlibes uixerint uel promouerint, ipsi norunt: quod si testari ueritatem nolunt, orbis contestabitur, & damnabit eos, cum uerbum dei tum propria illorum conscientia, si tamen eandem cum dei uerbo conuulerint. At de cogitationibus quoque et desiderijs importunis refrenandis solliciti fuerunt, seseque assidujs sacris studijs & exercitijs grauioribus magis quam inertia compresserunt: quæ tamen ipsa qualia sint apud tales nemo ignorat, cum inertissimo otio, & inuili prætextu diuini cultus ab hominibus instituti præter canonicas scripturas & sanctiones priscas sanctorum. De quibus alias multa, & alij postquam fructus pestilentissimus uisus est profecisse in immensum ex impuro cœlibatu clericorum, & ecclesiæ uniuersæ intolerabili iusteq; pro tanto damnando.

Marci 10. b

Luce 13. c

Tunc oblatis sunt ei paruuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos.

Aderant parentes qui cupiebant infantes suos offerre domino, ut eis manus imponeret, & pro ipsis deprecaretur, ac illos benediceret, existimantes se, ut quemadmodum uiderant illius contactu fugere morbos, ita Iesu contactus seruaret eos à morbis, ruinis, dæmonio, cæterisque malis, quibus ætas illa sæpenumero periclitatur & perit. At discipuli qui quanquam toties audissent de summa modestia, & Christum uiderant modestissime se gerentem ad omnes, etiam ad paruulos, nondum tamen penitus exuerant humanos affectus, uidentes indignum magnitudini domini sui, infantium ac matrum improbitate detineri lassarique, prohibebant ergo accedere cupientes.

Iesus uero ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me uenire.

nire: talium est enim regnū cœlorum. Et cum imposuisset eis manus, abijt inde. Marc. 10. 6
Lucæ 18. d

Dominus præpostero discipulorum studio indignatus fuit, quo cupientes quieti eius consulere, tum ineptos iudicantes pueros qui ab ipso aliquid perciperent, prohibebant sibi illos adduci, cum sit ipse tamen qui uenerit saluare quod iam perierat. Nullo autē opus est usu rationis, nullis meritis, ut quis salu-tem à Christo percipiat, sed tantum quod perierit id agnoscat; eoque omnium maxime idonei sunt pueri, qui dei gratiā per ipsum recipiant; & hæc summa Christi dignitas, quod talium se exhibet saluatorem. Hanc Christi dignitatem præclarissimam, discipuli sic arcendo à conspectu eius pueros imprudentes obscurabant, eoque iure ipsis indignabatur Christus, moxque declarabat, tam abesse ut ad se pueri non attineant, aut regni sui non sint participes, ut in illud nemo qui dem queat ingredi, nisi qui ipsum tanquam puer acceperit, hoc est abnegata omni sua & sapientia & iustitia, infanti similis factus. Taliū, inquit, est regnum cœlorū, non sanè aduultorum tantū, qui ut infantes sese humiliarint: hoc enim sensu ei quod dixerat sibi infantes apportandos esse tanquam subiecta ratio mihi & intellectu discipuli? prohibentes mihi adduci infantes, tanquam alienos à regno dei, eoque mihi regi huius regni non adducendos? Ergo humanæ iustitiæ uel industriæ uel potestatis erit, ut quis per me regno cœlorū donetur, & non potius solius mei meriti gratiaque patris? Faceat ergo stulta ista uestra sapientia. Sinite infantes mihi adduci: aio enim, non solum horum esse regnum cœlorum, sed nullum omnino regni huius fore participem, nisi infantibus his similis euadat & ipse, nihil uel sapientiæ uel iustitiæ sibi arrogans. Si enim seruator sum eorum qui perierunt, & simplices sensu, pleni autem fide ad me ueniunt, faculi sapientiam posthabentes, cur arcetis à me infantes? Si enim potuit Adæ delictum citra proprium perdere tales, multo magis gratia redemptionis meæ locum in istis habebit quamlibet pusillis & infantibus. Non est ergo dubium eorumque qui infantium humilitatem & innocentiam æmulantur, & gratiæ dei minime aduersantur, quales & adulti esse possunt, ut nihil sibi arrogent. Eoque consequitur, quotquot aduultorum tales perseverant uel infantium, regni cœlorum esse participes; non autem si adolescētes simplicitatem infantilem cum uersutia et amore sui mutauerint. Quod autem hoc facto discessit illinc, re ipsa docuit satisfaciendum quidem esse pusillis, sed nequaquam illis hærendum, quin magis properandum ad perfectiora.

Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam uitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, deus.

Pueris relictis succedit adolescens, qui de perfectione loquitur. At Iesus quemadmodum in paruulis proposuerat discipulis suis imaginem simplicitatis ac modestiæ, ita in adolescente studioso quidem perfectæ pietatis, sed diuinitis onusto, ponit ob oculos quam difficile sit diuites eniti ad perfectionē Euangelicæ pietatis, quantoque sint expeditiores ad Euangelicum negotium qui nihil aut quam minimum huius mundi possident; quanquam paupertas & opulentia non tam impossessionibus est sita, quam in affectibus possidentis. Erat adolescens animo religioso præditus, sed quoniā è Christo audierat, nescio quæ

noua præcepta, adiit Iesum, et accedens ad genua ipsius, rogat eum dicens: Magister bone, quid boni faciam ut uitam assequar æternam? Adolescens bonum appellabat Iesum, blandimento captans illius beniuolentiam, quum tamen nihil aliud esse suspicaretur illum, quam purum hominem, quanquam cæteris præminentem. Deinde cum de bono percontatur, non de quouis bono sentit, sed de insigni quopiam bono, quod promereatur uitam æternam. Atque nullus mortalium absolute bonus est, nec ullum est opus hominis quod ita bonum sit ut promereatur uitam æternam. Quod uero dominus salutationem eius, qua se bonum uocauerat, correxit, atque solum deum bonum esse affirmavit, uoluit primo statim responso & sui exemplo docere illum submissionem, et ut modestius de seipso sentiret. Nam uidebatur sibi ille mandata dei seruasse à puero, eoque & bonus esse, à quo adhuc longe aberat. Cæterum non negauit se Christus bonum esse, quatenus cum patre unum erat, tantum gloriam bonitatis ab homine in deum monebat transferendam. Nam Christus nondum ut deus erat homini cognitus erat, sed tanquam hominem eximium uoluit hac ipsum salutatione honorare & demulcere. Recte igitur externa & humana mirantem res uocat ad diuina, taciteque monuit ne seipsum bonum & perfectum existimer, etiam si sibi uideatur mandata dei omnia perfecisse, sed potius solum deum bonum & perfectum, & omnis bonitatis autorem suspiciat, cui omnis sit gloria transcribenda.

C Si autem uis ad uitam ingredi, serua mandata. Dixit illi: Quæ Iesus autem dixit: Non homicidium facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum & matrem,

Exodi 20.6

Viueret coram deo et acceptus illi esse nemo potest, nisi qui obsequitur uoluntati diuinæ, toto studio incumbens obseruantiam mandatorum dei, quæ seriose toties in lege & prophetis implenda diligenter constituit. Quorum operum uere bonorum nemo studiosus erit, nisi fide uiuaci præditus, qui domino conplacere cupit & credit, in exercitijs charitatis per fidei fructus. Frustra fides institatur nisi ostendatur sanctis operibus si possit, uel si transgrediatur mandata dei, saltem in hoc obsequatur, ut poenitentiam agat, malefactorum poenitentia oret pro indulgentia, cupiat melioris uitæ institutum inchoare, & cum dei impetrata gratia promouere. Sic intratur ad uitam, sic dei mandata à nobis obseruantur, huiusmodi studium necessarium nobis est quotquot fideles esse cupimus. Quod etiam si succedat, & in sanctis operibus & in mandatorum obseruantia abundemus, nihil tamen inde sanctitatis ex operibus accrescet, sed ex fide sola qua domino credimus & uolumus complacere, qua & iustificamur, quæ sicutus est boni arboris, fructum sanctorum operum proferentis in uitam æternam. Recte autem ex fructuum obmissione arguimus destitutum fide hominem, etiam si plurimam iacet uerbis. Quia autem Christus indeterminate dixerat mandata seruanda, poterat intelligi hæc sententia pharisaorum more de omnibus mandatis dei & maioribus, deque humanis traditionibus, quas multi tunc plurimam urgebant, ideo potuit sine malitia uel mendacio aut etiam Christi sententia respondisse, Quæ scilicet sunt mandata obseruanda. Num etiam ceremonialia, iudicialia, aut Pharisaica? Vnde et Christus dominus responderet hominibus non malo, de mandatis secundæ tabule pertinentibus ad proximi curam, quo rum obseruantia locum non habet in eo qui fide caret in dominum, & primæ tabule præcepta non seruat. Qui enim non diligit proximum quem uidet, quomodo modo

modo deum colet & amabit: Expositionem autē horum mandatorum dei perquire suis proprijs in locis, in Exodo scilicet & Deuteronomio, ut hic eadem scribendo replicare non profit, uerum in contione ad ecclesiam ea sunt diligenter & sedulo exponenda, ut fides sine fructibus non prædicetur, sicut nec opera bona sunt sine fide & charitate.

Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Origenes hunc locum enarrans Homilia inter editas octaua testatur, posse uideri hæc uerba addita ab aliquo, nec esse scripta à Matthæo, idēq; duobus colligit argumentis: primum quod apud Marcum & Lucam nihil addatur huiusmodi, cum res alioqui eadem referatur; deinde cum Paulus in epistola ad Romanos cap. 13. testetur his uerbis: Diliges proximum tuum sicut teipsum, sume se prædicet hæc omnia præstitisse: Atq; hic deplorat librariorum incuriam & castigatorem uitiis sic fuisse deprauatas scripturas. Cui quidem malo ipse in ueteri testamento succurrerit, non sic autem potuisse se in nouo. Verum ad eiusdem doctoris dignum honorem adscribere non tædet eiusdem uerba hoc loci. Multam, inquit, differentiam inter exemplaria inuenimus, siue per negligentiam scribentium, siue ex temeritate quorundam, siue propter eos qui negligunt emendare scripturas, uel propter eos qui quod ipsis uidetur in emendationibus uel adijciunt uel subducunt. Et in exemplarijs quidem ueteris testamenti quæcunq; fuerunt inconsonantia, deo præstante coaptare potuimus, utentes iudicio cæterarum æditionum: ea enim quæ uidebantur apud Septuaginta dubia esse propter inconsonantiam exemplariorum, facientes iudicium ex æditionibus reliquis conuenientia seruauimus, & quædam quidē notauimus quasi non posita in Hebræo, non audentes ea omnino auferre, quædam autem cum asteriscis addidimus, ut sit manifestum, quoniam quæ nō fuerunt posita apud LXX. ex æditionibus cæteris addidimus conuenienter Hebræo. In exemplaribus autem noui testamenti hoc ipsum me posse facere sine periculo non putauī. Tantum suspitiones exponere me debere, rationes causasq; suspitionum, non esse irrationabile æstimauī, sicut in hoc loco quod dicitur, Diliges proximum tuum sicut teipsum, quoniam apud Marcum & Lucam positum non est. Iudicent autē qui possunt utrum uera sint quæ tractamus an falsa. Et post quædam recitata ex Euangelio quodam, quod dicitur secundum Hebræos, addit Origenes: Verum est ergo quod non impleuit diues mandatum, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Qui multos despexit pauperes, & non est eis partitius aliquid de tantis diuitijs suis. Impossibile est enim & implere mandatum quod dicit, Diliges proximum tuum &c. & esse diuitem, & maxime tantas possessiones habere. Sed nec perfectionis uidebitur, diuitem abijcere semel in pauperes res suas omnes, uel relinquere hæredibus, otiosum autem postea circumcursare mendicando à pauperibus uel diuitibus, & ex collectis delicatius uiuere quàm de proprijs licuisset. Proximum uero quem habere debeamus aliàs exposuit dominus, cuius dilectionem nemo præter Christum proprio amorī præposuit uel æquauit, ne sit qui iustitiæ laudem sibi ualeat arrogare.

Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?

Quia fortassis hic adolescens credebat communi Iudæorum iudicio perfunctorie de uera iustitiā iudicantium, se scilicet quod ad externum opus pertinet

non fuisse transgressum, quia neminem occidisset, adulterium non commisset, furtum non fecisset, falsum testimonium in iudicio non dixisset &c. confidenter ait omnia sibi à puero esse seruata. Ad quod respōsum simplicius mauius quam uerius intuitus illum Iesus dilexit eum, indubie propter hoc qualecunque studium iustitiæ, & si ad ueram iustitiam nondum peruenisset. Nam credibile est, quandoquidem merore confectus non blasphemans ueritatem abiit, dominum postea eundem aptum reddidisse regno dei, quantumuis in præsens in aptum regno dei sese ostenderit, donato ei animo qui diuitias posset contemneret. Porro ut in præsens aperte illi ostenderet multum adhuc ei deesse ad perfectionem.

Ait illi Iesus: Si uis perfectus esse, uade, & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurū in caelo: & ueni, & sequere me.

Quasi dicat dominus: Agnosco aliquid esse, & diligo te hoc nomine, quod præceptis dei ita ab adolescentia studueris & uel externe iustus fueris, sed ne hinc tibi placeas, unū adhuc tibi deest, fons certe pietatis & iustitiæ, uera nempe & solida fides in deum, qua temetipsum ac omnia abnegans totum domino consecres, ad quamlibet eius uocationem ac quantumlibet durā paratus. Quod hinc uerum apparebit, Iubeo te bonus præceptor, uti me uocas, & quidem uice dei, ut uendas quæ habes, & des indigentibus thesaurum habiturus in caelo, ac uenias me secuturus crucem post me laturus. Hoc cum nequeas, scio adhuc tibi unum & id quidem maximum deesse, synceram nimirum in deum fiduciam, sine qua omnia alia nihil sunt. Etenim me bonum præceptorem salutasti, iam nemo bonus nisi solus deus. Si igitur bonus ego præceptor sum, hinc erit, quod deo plenus sum, & uerbum dei annuncio: debes itaque me ut deum ipsum audire, id cum non uelis, declaras te nec deū uere adhuc agnouisse. Nequaquam igitur mandata eius, ut tibi uideris, obseruasti, qui caput mādatorum eum nondum perceperis, nempe eius timorem ex fide proficiscētem. Multum enim interest inter iustitiam Iudaicam & Euangelicam, inter bonum Iudaicum & perfectum Christianum. Si uis perfectus esse Christianus, diuenditis omnibus quæ possides, distribue pauperibus, non hoc perdes opes tuas, quamuis in multos dissipatas: sic dissipare recondere est, nam pro terrenis opibus habebis meliorem thesaurū in cœlis. Hoc ubi feceris, iam expeditus ac nudus ueni me nudum sequiturus. Cum autē ait Christus, Si uis, ostendit negotium arduum esse: sed adiecit statim præmiū, Habebis thesaurum in cœlis. Mox ad studium perfectæ pietatis hortatur, Veni & sequere me, sine quo resignatio diuitiarum non prodest.

Cum audisset autem adolescens uerbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.

Quas certe durum existimabat semel uniuersas relinquere. Auebat adipsi sci uitam æternam, ambiebat perfectionis honorem, sed hunc affectum ueluti bonum semen obruebant spinæ diuitiarum. Itaque mœstus abiit domum, nequaquam intelligens Iesum damnare nō diuitias, sed affectum & amorem curasque diuitiarum, quibus uix possunt non esse obnoxij qui eas possident. Neque enim semper uoluit eas relinquere, sed tamen semper contemni, & non nimis appetitari: relinquere etiam in casu, si quādo nos auocent ab Euangelica pietate. Probauit autem sic abscedens, nec se fuisse bonum, nedum perfectum à iuueniuitate sua, utcunque uideretur sibi præcepta dei obseruasse. Non enim nisi externo opere

pere & tantum in speciem obseruauerat. Vnde enim alioqui tam multæ ei possessiones: cum indubie tunc quoque non pauci egeni fuerint, pauci autem opitulatores. Proculdubio si proximos perinde atque seipsum dilexisset, idque opere & ueritate, eius possessiones imminutæ iam dudum fuissent. Non est uanum pro- uerbiū: Omnis diues aut iniquus est aut haeres iniqui. Cui enim adsit æquitas et dilectio, ei aurei etiā montes tandem consumuntur, ita refrigescente charitate inter homines & tam multis egentibus. Vnde si diuitibus nulla alia iniquitas imputari possit, hac certe obstrictos sese comprobant, quod non tam liberaliter impartiant atque uera dilectio requirit.

Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico uobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum.

Adolescente digresso & desperante, Iesus cōuersus ad discipulos suos: nam illis hoc spectaculum ædiderat, ne quando pœniteret eos paupertatis, aut tenerentur amore pecuniæ. Quam, inquit, difficile est diuitem ingredi regnum cœlorum, significans ægre conuenire studium opulentiae & studium Euangelicæ philosophiæ, quod hæc totum requirit hominem, illud ferè maximam hominis partē sibi uindictet. Atque ut magis exaggeraret rei difficultatem discipulis admittantibus adiecit, Quin & amplius dico uobis,

Et iterum dico uobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.

Siquidem humilis & angusta est porta, nec recipit camelos opum sarcinis onustos: sic em̄ notauit diuites auaros, quibus diuitiæ magis sunt oneri quam usui, ut quas alijs bauiant potius quam sibi. Hic sermo quia non satis intelligebatur ab apostolis, iniecit et illorum animis mœstitudinem quandam, quod dolerent pro fraterna charitate qua pollebant, & gloriæ dei incremento quod operantibus diuitiarum gratia secludendos à regno cœlorum. Quum igitur uehementer admirarentur discipuli, quid sibi uellet hoc quod dixerat Iesus de camelo & foramine acus, quod uel habet in se, uel quod cōficit inducta, rogant illum: Si sic habet res, quis igitur poterit saluus fieri? Quotus em̄ quisque est fidelium uel mortalium, qui aut abijcere possit diuitias quas habet, aut non optare si non habet? At Iesus intuitus illos, quo leniret conceptum animi merorem, ostendit nonnullam esse spem diuitibus quoque perueniendi in regnum cœlorum.

Auditis autem his, discipuli mirabantur ualde, dicentes: Quis ergo poterit saluus esse? Aspiciens autē Iesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est, apud deum autem omnia possibilia sunt.

Vt cunctas habentes multas opes illis ferè fidant, eoque impossibile sit non difficile modo ut regnum dei ingrediantur, id est Christo se plena fide tradant, deo tamen sunt omnia possibilia. Is diuitibus aliam potest mentem infundere, ut & opes distribuant, & uere sibi non iam operibus fidant. Vnde nemo nobis damnandus uideatur ob diuitias, potest alios reddere deus, qui non diuitiis plus nimo addicti sint. Sola blasphemia in spiritum sanctum peccatum est, quod nec hic nec in futuro remittitur. Pro diuitibus igitur orandum, non desperandum, si ueritatem nō blasphemant. Sed monendi simul sunt nihil æque noxium atque terrenis opibus abundare. Illico enim fieri, ut animus eis addicatur & deum deserat. Non impiorum autē diuitum animos dominus alacres facit, ut uel abij-

ciant quod possident cum periculo, uel possideant tanquam communes non proprias, semper parati relinquere si quando id postulet Euangelij negotium. Cur enim ægre contemnant opes, qui non grauantur & uitam impendere?

Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?

Hic sermo quem adolescenti dixerat Iesus, Vende quæ possides & sequere me, non nihil bonæ spei conciliauit Petro, qui quanquam diues non fuisset, tamen hoc ipsum quod habebat alacer reliquit, nauim & retia, ac dominum fuerat sequutus. Domine, inquit, Ecce nos fecimus quod ab adolescente flagitabas, reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid igitur nobis erit præmij? At Iesus ostendere studens hanc eximiam laudem non solum patere diuitibus, uerum etiam tenuibus, qui, quicquid hoc est quod possident, libenter habent pro derelicto ob Euangelium, quum hæc uirtus magis æstimetur ab affectu relinquentis, quam à modo rei relictæ, non reiecit orationem Petri pro re magnificentiore, sed docens pro uilibus illis prompto animo relictis non uile præmium esse reponendum, respondet.

Iesus autem dixit illis: Amen dico uobis quod uos qui sequuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

Illud uobis confirmo discipulis meis, qui nunc estis mecum & futuri, quod uos qui præter scapham et retia, mea causa nihil relinquere potuistis, sed tamen hoc animo ut opes quantumuis magnas mea causa fueritis relicturi, & nudum estis hætenus sequuti, si sic ut cœpistis perseveraueritis, quod Iudas non fecit, in futuro sæculo quum reuiuixerint mortui, & in aliam meliorem formam mundus conuersus fuerit, ac puram sanctimoniam cultumque dei perfectum in alia uita & in ecclesia sanctorum cum dabitur cuique pro suis meritis præmium, iamque filius hominis deposita quam nunc uidetis humilitate confederit in sede maiestatis omnibus hominibus conspicienda & adoranda, ut noui & cœlestis regni unicus monarcha, quale regnum pater mihi daturus est in cœlo & in terra, tunc uos quoque mei discipuli qui nunc piscatores fuistis, & me pauperes patrem sequimini, consortes eritis gloriæ meæ, & principes in regno meo clarissimi. Vos, inquam, qui nunc estis consortes afflictionum, sedebitis tunc in regno ecclesiæ militantis & triumphantis in duodecim gloriæ & honorum sedibus, præ cunctis principum & regum splendoribus gloriosi, & iudices eritis cum Christo omnium fidelium, & qui de filiis Israel recensentur ecclesiasticarum animarum rectores et iudices sedebitis. Iudicabit autem uos omnes reliquias duodecim tribuum Israelis, quorum maxima pars etiam legisperitorum & de stirpe Israelis esse se iactantium, ipsidem quibus uos miraculis beneficiisque & doctrinis prouocati, tamen nulla ratione perducere potuerunt ut crederent, quum uos humiles & idiotæ statim ad simplicem uocis iussu etiam illa relictis queritis, quibus uitam sustentabatis intra homines. Non solum, inquam, iudices impiorum Iudæorum eritis, sed & pios iudicabit, promissa eis per Euangelium iam uelut exhibentes. Impiis quoque suam damnationem quam per idem suum uerbum prædixerant ueram approbabit, simul cum Christo contra ipsos pronunciantes, tanto gloriosius, quanto maiore uis spiritus hic Euangelium prædicauerunt, & ad poenitentiam sunt adhortati. Nam omnium electo-
rum

rum fors erit simul cum Christo regnare & iudicare: Veruntamē qui hic in adferendo Christi Euāgelio primores fuerunt, pluraq; propter illud & fecerunt & passi sunt, ij & in regeneratione mundi totius primas inter electos obtinebunt. Vnde nemo putet Paulum infra hos duodecim sessurum, qui laborauit plus omnibus, cuius tamen hic nulla habetur mentio: nā duodecim hic respondent discipulis. Igitur de ipsorum felicitate loqui satis in praesentiarum habuit, ut & Mathias hic reliquis undecim adnumeratus intelligitur, sicut & annumeratus ipsis re ipsa fuit. In scripturis autem frequenter iudicare idem est quod imperare, regnare, gubernare, & pro defendere pios, malosq; punire, & pro causis discutere, quae omnia propria sunt iudicantis ac regentis.

Et omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam aeternam possidebit.

Nec uobis solum hoc praemij continget, uerum etiam quisquis hominum ob mei nominis professionem, ob Euāgelij praedicationem, & gloriae diuinæ assertionem, ob uerbum ueritatis & uirtutis reliquerit quaecunq; chara ac necessaria, adeo non perdet quod mei causa reliquit, ut magno potius lucro sit feceraturus. Siquidē & in hoc saeculo pro relictis centuplum, hoc est multo plura quam relictā sint, & infinito maiora & maiore cum uoluptate recipietis. Et in resurrectione uitā aeternā possidebitis. Nam pro relictis, caducis, & uilibus possessionibus, & hic interim possessurus est pretiosum illud margaritū Euāgelicā mentis & fidei, nullis huius mundi mercibus aestimandum. Pro uno domo relictā toto orbe plurimas domos uobis aperiet Euāgelij doctrina. Pro unico fundo plurimi fundi seruient uestris usibus. Pro unico patre uel matre tot habituri fratres, sorores ac filios filiasq;, quot aequales aut minores uestra praedicatione perduxeritis ad uitam aeternam. Hi passim & ultrò suppeditabunt, si quid opus fuerit, longeque uincunt eorum affectus, quos uobis sola sanguinis propinquitas coniunxit. Arcior est enim Euāgelicę societatis cognatio, quam carnis affinitas: & uehementius amat quē conciliauit pietas, quam quē adiunxit natiuitas. Huic satis amplo premio adijcietur & illud, omnium longe maximū ut pro rebus mox perituris uitam aeternam possideatis. Non hæc dico quod Euāgelicā professio doceat esse spernendos eos quos nobis natura coniunxit, sed huiusmodi affectus negligendos, quoties auocant nos ab aeternae salutis negotio.

Multi autem erunt primi, nouissimi: & nouissimi, primi. Hæc quidem tanta felicitas omnibus ex æquo proposita est. Non est discriminē fortunæ, conditionis, ætatis, aut personæ. Sed in hac aestimatione quæ fiet ab æquo iudice deo, multi tenebunt postremas qui nunc uidentur tenere primas. Contra multi qui nunc humiles nihilq; uidentur hominibus, illic erunt primi. Praferetur meretrix scribæ, publicanus pharisæo, ethnicus Iudæo, pauper diuiti, agricola regi: & qui uidebantur esse proximi regno cælorū, postremo ingrediētur: et qui procul esse uidebantur, priores introibunt, Ethnici fide anteuerrent, synagoga propter incredulitatem submouebitur.

Simile est regnum coelorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in uineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in uineam suam.

Testatus fuerat dominus centuplum & hic recepturos, & in futuro uitae aeternae sortituros haereditatem, quicumque propter nomen suum, hoc est sua & Evangelij causa aliquid reliquissent. Atque ita ueram felicitatem non posse uia ad adiri, quam ut quis prorsus semetipsum abneget, & sua omnia, sitque prorsus sibi & mundo nihil. Hinc iam commodum subiicit, Multos autem primos fore nouissimos, nimirum quibus non fuerit datum abnegare semetipsos, & propter Euangelium omnia relinquere, qui scilicet in oculis suis primi existunt. Contra uero, qui sibiipsis nouissimi fuerint atque renunciauerint omnibus, eos fore apud deum primos, quos appareat nihil prorsus proprijs meritis, sed omnia a sola dei bonitate petenda esse. Hoc crassioribus animis penitus infixurus, hac parabola utitur, qua dominus nihil aliud docere uoluit, quam ut ueram agnoscamus istam propositionem, Multi nouissimi erunt primi, & contra. Et hanc, Multi uocati sunt, et pauci electi. Et ex utraque, a sola dei bonitate per abnegationem nostris ipsorum omnia petenda, fidentesque gratia ipsius accepturos plusquam petere ausi fuissent. Hunc ergo statum sermonis huius agnoscamus, neque de alio admoneri omnino patiamur, & constabit nobis germanus huius parabola sensus: quanquam ut praedictum est, de Iudaeorum populo qui primi esse debebant & facti sunt nouissimi, & de gentibus postremo electis & ecclesiae inseris sanctorum, sic intelligi debeat, ut in uniuersalibus intelligantur particularia, & particularia multa probant communia. Simile igitur est, inquit, regnum coelorum homini patrifamilias, qui summo diluculo prodijt in publicum, ut conducere operarios in uineam suam. Et nactus aliquot, pactus cum eis, ut singuli singulos acciperent denarios pro opera diurna, misit illos in uineam suam. Nobis autem notandum est, uocatos nos esse a domino deo nostro ad labores, non ad otium, ad uineam domini ecclesiam plantandam studio fideli & assiduo, & pariter & uineam scripturae sacrae, unde in tempore fructus carpamus uitae & uertutis. Summo diluculo conducimur, hoc est serioso dominico precepto non fortuna aut casu, non uetuli sed a puero & in adolescentia. Nullos uenire uel fructuose laborare in hac uinea, nisi uocatos a domini spiritu, quod nihil pietatis caro per se uel proponere potest uel cogitare nec agere. Paciscitur autem nobiscum de praemio uitae coelestis, quod non operibus diurnis, sed electione dei & obedientia fidei obtinetur ab illis qui sunt uocati & electi. Quotquot autem hypocritae sunt, hi tantum ob mercedem domino laborant, quam solam cogitant, pro qua litigare non erubescunt & iudicare. Veri autem serui domini, sicut deus uerae pietatis incumbunt, non ob mercedem, sed pro patrisfamilias beneplacito & gratia impetranda, nihil prorsus cum ipso paciscentes, sed tanquam grauitum donum amplectentes quicquid ille eis donauerit.

Et egressus circa horam tertiam, uidit alios stantes in foro otiosos & dixit illis: Ite & uos in uineam meam, & quod iustum fuerit, dabo uobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam uero exiit, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos

nos conduxit. Dicit illis: Ite & uos in uineam meam.

Non displicet quod Hieronymo hoc loco uisum est, indicari posse quaedam circa literam non inutilia aedificationi ecclesiasticae. Ut primae horae operarii habeantur Samuel & Hieremias & Baptista Ioanes, ac sibi similes, in infantia uocati ad fidem & ueritatem plantandam in ecclesia fidelium, qui dicere possunt: Ex utero matris meae deus meus es tu. Tertiae uero horae operarii sint, qui a puertate seruire deo coeperunt. Sextae horae, qui matura aetate susceperunt iugum Christi. Nong, qui iam declinant ad senium. Porro undecimae, qui ultima senectute: & tamen omnes pariter accipiunt praemium, licet diuersus labor sit. Haec enim quadrare potest haec parabola, quandoquidem non est omnium etiam sanctorum ministrorum dei eadem uel similis uocatio. Omnes autem conari debent, ut fideliter laborent, & non murmurent de prouidentia dei circa electiones fidelium, multo minus circa profectum laborantium, qui penitentem etiam sanctorum ministrorum dei eadem uel similis uocatio. Non autem det ex domino, & illius gratia ac dispensatione, non uiribus humanis. Non autem quadrat de murmurantibus, quandoquidem nec Samuel nec Baptista mercenarii tam ingrati fuerunt, uel tam importuni mercedis coniectores & iudicij diuini censores. Agere debet quisque secundum a deo sibi donatam gratiam, & quicquid manu prehenderit instanter operari. Operis autem profectum et pensum domino commendare, a quo cuncta pendent.

Cum sero factum esset, dicit dominus uinae procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a nouissimis usque ad primos. Cum uenissent ergo qui circa undecimam horam uenerant, acceperunt singulos denarios.

Sero factum unicuique intelligitur, dum ad finem uitae quacumque tandem aetate peruenitur, ut operari amplius neque liceat homini, nec a domino postuletur. In tempore ergo agendum est, & nihil temporis negligendum, quando non omnibus similiter uitae contingit periodus, cum simus omnes ad laborandum domino nostro ex aequo uocati, ut nullus inueniatur deses in opere domini: nec scimus enim qua hora uenturus sit dominus, an gallicantu an mane. Vocandi sumus omnes certissime, et operum nostrorum ratio exigenda a domino est, ut & de uerbo otioso reddenda ratio non sit obmittenda. Merces quoque reddetur singulis, non proprie dicta, sed pro usu hominum, quando multo plura domino obligamur quam reddere ualeamus. Quicquid mercedis sperare possumus, totum prius domino deo nostro debemus. Gratia est potius quam praemium, quicquid deus sanctissimis quibusque pendet & reddit pro opere, quale nullum tamen sine defectu est, quod non indigeat misericordia domini indulgentis. Sunt enim etiam bona opera nostra ut pannus menstruatae coram iudicio dei. A nouissimis autem incipere iubet, non respectum sequutus operum, sed merae electionis diuinae, qua qui uocatur is simul & ad sancta uocatur opera, non tamen sine dei gratia sanctificanda. Neminem deus eligit ad praemia magnifica, quem non prius elegerit quoque ad sacrosancta opera, quibus meritorum nomen largitur, sicut & felicitatis praemium. Sunt quoque non pauci, qui in senectute uocati in opus domini, tanta strenuitate incumbunt seruitio dei, ut superent studium aliorum, qui iuuenes cum uocarentur, multo tempore sese cunctatores praebuerunt.

Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi, acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmura

bant aduersus patrē familias, dicentes: Hi nouissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti qui portauimus pondus diei & æstus?

Æstimabant primi patrē familias gratiam & præmium iuxta sua opera & labores secundum tempus. Sed in opere sancto non tempus respicitur, nec sudor aut labor, sed affectus, fides & charitas, quæ deo probatur, & iustitia sunt ipsa operum, sine quibus non placent qualiacumque sint. Vocabantur omnium primi, qui postremi uenerant, minimumque diei laborauerant in uinea. Hoc, inquit, cum intellexissent hi qui summo diluculo fuerant uocati, illos accepisse singulos denarios, existimabant se, quia tanto priores uenerant in uineam, pro temporis portione mercedem ampliorem accepturos. Sed datus est & horum cuique denarius. Voluit harum rerum peritiores Denarium esse decimam ferme partem coronati. Itaque cum sibi uiderent æquatos in præmio, qui non fuerant pares in temporis spatio, abeuntes murmurant aduersus dominum, dicentes: Hi qui uenerunt ad horam undecimam, hoc est penultimam diei, non laborauerunt nisi unam horam, & illos in præmio nobis æquas, qui & totum diem perdurauimus in labore, & æstum meridianum pertulimus, quum isti uenerint sub uesperam refrigerato iam æstu? Singulos autem denarios omnes recipimus à domino, quia nulli quicquam debet ob opera, sed gratia sola unica est eius merces, quam solam accipere & conseruare cupiamus, quæ & sola sufficit: sed laborandum est interim ad uocationis tempus, & incumbendum fideliter. De murmurum diuinorum differenti largitione differentiis non murmurandum nobis, quando unicuique sufficit apud deum sua gratia quam accepit, si iuxta eandem fuerit diligenter & fideliter operatus.

At ille respondens, uni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & uade: uolo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod uolo, facere? aut oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?

Vni respondit pro omnibus: Amice, cur inuides alijs benignitatem meam? mea in alios gratuita liberalitas te non lædit. Nullam enim iniuriam facio tibi: nonne sic pactus sum tecum, ut pro opera diurna denarium acciperes? Præstitisti operam, habes mercedem pactam, nihil tibi rei mecum est amplius. Tolle quod tibi debetur, & abi. Mercenarius huc cōductus es, ut præstares operam, non ut mihi præscriberes quid faciam. Sic mihi uisum est, ut huic qui postremus uenit, tantum mercedis dem quantum tibi. De tuo nihil decedit, si quid huic additur ex mea liberalitate. An mihi liberum per te non erit de meo quod uolo facere? An ideo oculus liuore torquetur, quia me uides benignum in eos in quos lubitum est? Nulli deus facit iniuriam, quia nemini quicquam obligatur, mera gratia est quicquid agit cum hominibus, indies illum peccatis offendentibus. Conuenit nobiscum de mandatorum suorum obseruatiā, ut munus diligamus, & fide certa illi innitamur, quæ duo lex sunt & propheta, summa uerborum dei, unicum mandatum, & facile factu, si secundum spiritum uere instituerimus. Pro quo opere fidei cum suis fructibus, æterna beatitudinis denarius promissus est, ut patuit in superioribus: Si uis ad uitā ingredi uia dei mandata. Omnibus nobis summopere curandum, ne qua nostra ingratitudine mereamur, ut nobis dicatur à domino: Tolle quod tuum est, & uade. Nihil enim habemus nostrum præter peccata & misérias, unde sola dei gratia libera

liberamus, ne damnemur, si in iudicium cum seruis ingredi statuerit, & secundum opera nostra coeperit praemia dispensare. A uoluntate sua pendet quicquid accipimus, & à sola bonitate dei nobis omnia condonantur, nobis expectanda per nostri abnegationem, quam si admiserimus, etiam illud dei donum longe plus accepturi sumus quam unquam ex nobis quidem sperare potuimus. Hinc iam facile patet illud, quod tantundem nouissimis atque primis fuit datum. De quo concluditur.

Sic erunt nouissimi, primi: & primi nouissimi: multi enim sunt uocati, pauci uero electi.

Hanc similitudinem adduxit Iesus secundum praedicta, uolens illorum animis infigere quod deus natura beneficus in omnes, uarijs modis ac uarijs aetatibus non cessat inuitare mortales omnes ad cultum uerae pietatis. In qua qui se gnauiter exercuerint, his praemium esse uitam aeternam, à qua nemo secluditur, qui modo uocatus audiatur. Hoc praemium ut non debetur omnino meritis nostris, sed potius beneficentiae diuinae, tamen non contingit citra obedientiam nostram, & ex fide secundum conatum nostrum. Quamquam hoc quoque debemus uocanti, quod ad cultum pietatis accedimus & conamur, quod in eo perseueramus usque ad diei uesperam. Nam qui uocati recusant ire in uineam, frustrantur ipsi suo se praemio. Quamquam autem inter sanctos nec liuor est nec murmurationis contra deum, huiusmodi tamen dictis expressit summum honorem, qui nouissimis est habitus, ut in praemio locum primum sortirentur. Quamquam & boni Iudaei primum murmurabant aduersus gentes, quod ex maioribus idololatriae orti, à lege Mosaica prorsus alieni, denique incircumcisi subito pares haberentur ipsis in Euangelij gratia, & ad eandem salutem admitterentur, nullo legis onere grauari, quum ipsi diu uersati in Mosaicis obseruationibus, nihilo potiores essent quam ethnici, modo à uita prorsus impia ad Euangelij professionem admissi: plus igitur gentibus condonatum est, sed non ideo Iudaeis est quod cum deo exoptulissent, cum liceat & ipsis ad eam felicitatem pertingere. Quod si malint inuidere quam imitari, sibi imputent, quod ob incredulitatem reijciuntur, debant. Statim igitur properet quisquis ad Christi sequelam se uocatum intelligit, & ut id ualeat orationibus incumbat ad dominum, qui suo quos uult spiritum trahit & promouet, alioqui frustra uocatus, nisi operibus quae sunt fidei iustificantis fructus sese ex electis esse ostenderit. Nulli autem à domino non uocantur: per uerbum nempe suum & inspirationes multiplices. Sed pauci sese testantur fide & operibus esse inter electos. In summa autem hic notandum diligenter, quod Christus his ultimis suis uerbis de paucorum electione aperte declarat, omnia à sola dei gratuita electione pendere, & ut quis in uineam domini uocetur, & ut in ea digne operetur, & denique ut mercedem referat.

Et ascendens Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos suos secreto, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & tertia die resurget.

Propius nunc ad mortis suae locum coepit accedere, Hierosolymam proficiscens à Iordanis limitibus, quod est in Iudaea montana ascendere. Quumque

Supra 19. d
Marci 10. d
Luca 13. f

Marci 10. e
Luca 13. e
C

iam discipulos suos multis modis instruxisset de contemnendis diuitijs, de ferenda cruce, de negligendis omnibus, & sequela sui, de singulari modestia, de premijs que manerent eos etiam in hac uita, abducit apostolos suos duodecim secreto, ueluti idoneos et electos quibus crederetur mysterium crucis, quod turba non potuisset capere; quanquam & populo praedixerit mortem suam, cum loqueretur de Iona & templo soluendo, eodemque in triduo instaurando, sed ita praedixit, ut non ante intelligeretur quid esset dictum, quam posteaquam uiderent factum. Discipulis uelut firmioribus iam semel atque iterum aperuerat arcum suae crucis, absque inuolucro loquens. Sed quoniam facile obliuiscuntur homines quod non libenter audiunt, nec facile demittunt in pectus a quo abhorret animus. Dominus Iesus quo suos confirmaret ad tempestatem imminentem, clarius etiam & distinctius aperit illis non solum instare mortem, uerum ludibria & afflictionem, quae saepenumero sunt ipsa morte grauiora. Ecce, inquit, adimus Hierosolymam, & filius hominis prodetur primarijs sacerdotibus ac scribis, qui iam dudum illi struunt insidias, neque conuiescent illum criminari, donec adigant ad condemnationem capitalem: & tradent eum gentibus ut illudant illi, ut flagellent, ut conspuant, & in crucem affigant, atque ille mortuus ac sepultus tertia die resurget. Crebro autem loquitur de morte, quo apostolorum corda ad imminens terrorem ac tempestatem animaret. Vltro autem nunc adit supplitium, quod ante aliquoties fugerat, quia erat nunc hora eius. Sic se habent omnes filij dei, patris uoluntatem & ductum in omnibus & ad omnia sequuntur.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid uis? Ait illi: Dic ut sedent hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.

Iacobus & Ioannes filij Zebedaei audierant cum alijs traditas clauas regni coelorum, audierant de honore duodecim sellarum, rudes adhuc & humaniores, quaedam somniantes, statim a resurrectione uenturum hoc regnum, & hos honores, quia dixerat, Tertio die resurgam, quo sibi quoque praecellentem aliquam gloriam ac dignitatem impetrent, subornant matrem quae pro filijs interpellat Iesum. Quae cum adorasset eum, obtestans ne sibi negaret quod peteret, rogata quid uellet, ait: lube ut sedeant hi duo filij mei, alter ad dexteram tibi, alter ad sinistram in regno tuo. Temporalem dignitatem petebant, quam adhuc hodie Iudaei ex Messiae aduentu cupiunt & expectant, ut domini sint regnorum, quibus promissa fuerat gloria spiritualis & aeterna, sed non nisi perpeffis antea persecutio nem percipienda. Neque enim potiores domino partes habere serui debebant, et conregnaturus cum Christo commori quoque cum ipso oportebat. Sed id quod in secundo aduentu promittitur, in primo esse complendum sperabat, & auidi det, Quid uis? non uenit de ignorantia, sed ex eius persona dicitur, qui crucifigendus erat, quomodo & in hemorrhoida, Quis me tetigit? & de Lazaro, Vbi posuistis eum? Postulat autem mater filiorum Zebedaei errore muliebri & pietatis affectu, nesciens quid peteret. Nec mirum si ista arguitur imperitia, cum et de Petro dicatur, quando tria uult tabernacula aedificare, nesciens quid diceret.

Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Ca-

licem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam uel sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo.

Rogabat an possent poculū bibere quod ipse erat bibiturus, & baptisma-
re baptizari quo ipse erat baptizandus, intelligens aditurus supplētium quod
ex patris decreto erat à patre sibi paratum, Id enim perferre ipsum oportuit: si-
cut olim in conuiujs unumquēq; conuiuiarum suam oportebat uini portio-
nem, quæ sibi à rege conuiuij mixta erat, exhaurire, Idē uocat & baptisma: fuit
enim ceu mortalitatis ipsi ablutio, & ad uitam cœlestem purgatio. Frequentis-
sima autē est in scripturis metaphora calicis & poculi in utraq; partem: nam
unicuiq; aduersa & prospera deus certo admensus est, bibetq; quisq; suam por-
tionem uelit nolit. In malam quidem partem Psal. 11, Spiritus tempestatis pars
calicis eorū, id est illi decreta ultio & diuinitus ordinata impietatis retributio.
In bonam, Psal. 16, Dominus pars calicis mei, id est ipse portio & ordinata mi-
hi à deo hœreditas. Vnde discamus, definitum diuinitus unicuiq; iudiciū, quid
quantumq; & patiatur quisq; mali, & percipiat boni, utrunq; autem ex solo li-
beroq; dei arbitrio prouenire. Huic igitur nos penitus committamus. Porrò o-
mnia certo dei iudicio & arbitrio definiri omnibus, bona & mala, & infallibili
dispensatione obuenire probat quod sequitur in Christi uerbis, Sedere ad dex-
teram & sinistram meam nō est meum dare, sed ijs continget quibus paratum
est à patre meo. Quasi dicat: Sedere mihi proxime & primos esse in gloria mea,
res est augustior, q̄ ut ego modo petentibus donare eam possim. Ab æterno per-
patrem definitum est quibus illa contingant; per me quidem ad eam aditus pa-
rabitur, ijs qui ad eam delecti sunt, at donare nō est meum, nec nunc à me oran-
da, diuinitatis hoc munus est, non meę quam nunc gero humilitatis. Queritur
quomodo calicem martyrij filij Zebedę biberint, cum Iacobum legamus tan-
tum apostolum ab Herode capite truncatum, Ioannes autem propria morte ui-
tam finierit. Sed in ecclesiasticis historijs legimus Ioannem missum in feruen-
tis olei dolium, ut ad suscipiendum mortem Athleta dei processerit, & in Path-
mos insulam fuerit relegatus, ut uideamus martyrio animum non defuisse,
& bibisse Ioannem calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis
biberunt.

Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

D

Hæc cum ex interuallo audissent cæteri decem apostoli, electi quidem sed
homines, & non sine peccato uiuentes, quamlibet Christi domini discipuli, in-
dignati sunt duobus fratribus, quod immodicam dignitatem sibi postulassent.
Nondum acceperant spiritum sanctum, adhuc humanis quibusdam & multis
quidem ducebantur affectibus, ambitiosi, & inuicem subinuidentes. Atq; his
affectibus Iesus diu passus est suos esse obnoxios, quo penitus eos eximeret ex
animis omnium, qui in apostolorum uices essent successuri. Putabant autem
& gaudebant ideo postulationem fratrum fuisse reiectam à domino, non quod
carnalia quædam somniarent, cum ageretur de regno spiritali & cœlesti,
sed quod honorem petissent meritis suis maiorem, quem alij sibi potius deberi
putabant.

Iesus autē uocauit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium do-
minantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercēt in eos. Non
ita erit inter uos, sed quicumq; uoluerit inter uos maior fieri, sit uester

Marc. 10. 3

Lucæ 22. 6

minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus: sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

Iesus ut retudit ambitionem stulte postulantium, quod nescirent quale esset quod postulabant, ita liuorem & indignationem caeterorum repressit ex eodem ambitionis fonte scatentem, aperiens longe diuersam esse rationem regni mundani & regni Euangelici. Illic enim qui minor est premi tyrannide potentioris, hic primatum nihil aliud esse quam summum studium benefaciendi omnibus. Ibi ut quisque superbissimus est ita uideri maximum, hic nullum esse submissiorem animo quam qui meretur esse primus. Hanc doctrinam ut omnium animis infingeret uocauit & caeteros apostolos ad se: Scitis, inquit, quod qui principatum gerunt inter gentes, dominatum ac tyrannidem exercent in sibi subiectos: nam populi malo suae consulunt authoritati, eaque curant non quae concordant multitudini, sed quae faciant ad strepitum fortunae gloriaeque suae. At non conuenit itidem fieri inter uos, sed quicumque uoluerit inter uos gerere principatum, sit omnium minister, non sibi gerens honorem sed populo cui praesidet. Et qui uoluerit inter uos habere primum locum, sit omnium seruus atque infimus. Nec enim in aliud sumit sibi primum locum, nisi ut omnium commodis inferuiat, nihil inde ueniens nec honoris nec compendij. Quod si uobis durum uideatur me uidete: quum enim dominus sim & magister uester, & ut uere profitemini filius dei, tamen non arrogo mihi dignitatem, nec mea potestate abutor in commodum meum, sed ideo ueni ut omnium commodis subseruiam, adeo ut nec uitam grauer impendere, quo iactura unius animae multas redimam. Inter hos igitur qui sunt hoc affectu nec est cur quisquam ambiat honorem, nec est cur quisquam inuideat alteri dignitatem: quis enim illi inuideat qui nihil aliud studet quam alteri prodesse uel uitae suae dispendio? Sic nos quoque minister re oportet mutuum, tam abest ut alij alijs inter uos debeant dominari. Proinde indignationem huiusmodi mittite, nesciunt ipsi quid a me petierint, uos quanto plures demerebimini, eò ut meliores, ita & maiores euadatis.

Marci 10. 2
Luce 13. 2

Et egrediētibz illis ab Hiericho, secuta est eum turba multa: & ecce duo caeci sedentes secus uiam, audierunt quia Iesus transiret, & clamauerunt, dicentes: Domine, miserere nostri fili David.

Christus unā cum suis discipulis egreditur Iericho, forsan Hierosolymam profecturus, ut constituerat cum discipulis, certissimam sibi mortem instantem aditurus, bonitatem suam & patris obedientiam ostendens, semper & ubique beneficus, & tamen ab opere iniuncto a patre non impediendus. Multa autē semper turba Christum sequitur simplicior, & deo acceptior ex fide quam scribae & pharisaei, sua tantū quarentes, & ad Euangelium pro prauis suis affectibus ineptiores usque hodie. Caeci oculis, sed donati fide ad dei gloriam praesentes erant domino transeuntī, quem audiunt saluatorem & credunt, non tantum alijs sed & sibi saluificum persuadent. Sedent autem miseri & eleemosynam expectantes non ad lucrum, sed ad necessitatem. Duo sunt, quanquam Marcus unū nominet, quia nobilior & famosior, cuius & nomen addit. Clamāt ex fide cordis, desiderio salutis, non fingunt, sed exhibent affectum salutis, fide moti ex auditu salutis, quae alijs passim caecis beneficijs Iesu saluatoris obtigerat. Dominum uocant cuius cuperent esse tam seruuli quam discipuli, clementiam omnibus notam ipsi quoque postulant. Agnoscunt Messiam a domino promissum & redemptum.

ditum, ideoq̄ Davidis filium appellant, communi omnium æstimatione uocatum. Erat enim eodem tempore opinio uulgi & maiorum, non diu abesse tempus redemptionis futuræ per Messiam, quando iam externo principatu urgebantur.

Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.

Dissimulauit clamorem illorum Iesus, quo magis esset omnibus perspiciua fides illorum & ardor. Turba uero uidens Iesum ad clamorem nihil respondisse, ac suspicans hoc illi molestum esse, quod duo cæci mendici publici sic occlamarant auribus ipsius, increpabat eos, iussitq̄ tacere. At illi constanti fiducia erga Iesum, quem audierant esse beneficum in omnes, clarius etiam uociferantur ingeminantes, Domine, miserere nostri fili David. Vbi perseverantiâ docemur in oratione ad deum cum fiducia, ut & in Chananæa.

Et stetit Iesus, & uocauit eos, & ait: Quid uultis ut faciam uobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim uiderunt, & secuti sunt eum.

Vbi satis spectatam dominus reddidisset omnibus illorum fidem, nosq̄ illorum exemplo docuisset feruenter & constanter pulsandas aures dei, si quid uelimus impetrare, constitit, quandoquidem illum sequi nō poterant, nisi clamore tantum, iussitq̄ illos uenire ad se. Ad uocem ueniunt, rogat eos Iesus quid sibi uellent tanto pro clamore præstari. Non ignorabat Iesus quid optarent, sed uitium quo tenebantur uoluit omnibus esse notum ipsorum confessione, quocertior esset miraculi fides. Domine, inquiunt, uolumus ut per te aperiantur oculi nostri. Hæc cum magno dicunt affectu, declarant sibi molestissimam esse cæcitatem. Lucī autem proximus est, quem uehementer tædet suæ cæcitatē. Tum Iesus uultu quoq̄ ipso & oculis præ se ferens affectum misericordiæ, quod decet unumquēq̄ uirum Euangelicum indolescere malis alienis, tetigit oculos eorum. Moxq̄ apertis oculis uiderunt, simulq̄ cum cæteris sequuti sunt Iesum. Ita sanat animum cupiditatibus mundanis excæcatum, suo contactu uos; & in hoc datur lumen, ut illius sequamur uestigia. Tactos autem curat, ut discamus omnia suæ sanctæ carnis membra uiuifica, & dei membra esse: quam & aliquādo solo uerbo sanat, ad ampliorem diuinitatis suæ maiestatem, qua solo uerbo condidit uniuersa.

CAPVT XXI.

ET cum appropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage ad montem Oliueti, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra uos est, & statim inuenietis asinam alligatā & pullum cum ea, soluite, & adducite mihi: & si quis uobis aliquid dixerit, dicite quia dominus his opus habet: & confestim dimittet eos.

Sedulo agebat Christus Hierosolymam progrediens cum discipulis, ut animis illorum infigeret se scientem ac uolentem ire in mortem, neq̄ quenquam nociturum ipsi fuisse, si uoluisset resistere, ideo toties inculcat sibi eundem Hierosolymam, & illic oppetendam mortem. Quod enim aliquoties uisus est se subducere periculo, nō erat formidinis, sed erat seruantis se tempori præfinit.

Marci 11. 1.
Ioan. 12. 6

to à patre, quod cum adesset non solum non latitat, sed ultro se ingerit & ita se ingerit, ut nouitate pompæ totius urbis animos in se concitaret. Nec cessat interim à miraculis, nec à ueritate prædicanda, quin & liberius insectatur uitam pharisæorum, & negotiatores eicit è templo, quibus rebus sciebat omnium illorum animos uehementius irritandos. Quos quia benefactis prouocauit in se non illos fecit innoxios, sed facultatem dedit, ut quod uellent facere possent etiam. Ergo iam uicinus urbi Hierosolymorum, uenit in montem oliuarum, ubi uisum est instruere nouam aduentus sui pompam, qua fastum huius mundi quodammodo derisit, & discipulis adhuc infirmis aliquod solatium præbuit hoc spectaculo, quo moderatius ferrèt domini sui mortem. Ex hoc igitur monte legauit duos è discipulis suis, dicens: Ite, inquit in oppidulum uel uicū, quod castellum nominat extra Ierusalem, quod uobis est ex aduerso, & statim ingressi si reperietis illic asinam alligatā, & pullū cum ea, cui nullus adhuc hominum insedit, soluite utrunq; & adducite ad me. Et si quis aliquid dixerit uobis, rogans cur soluistis: quò cuiue adducitis: nihil aliud respōdere, quàm domino his opus esse. Ad hanc uocem statim illi sinent abduci.

Isaie 62. g
Zach. 9. b
Ioan. 12. b

Hoc autem factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis.

Christus suo hic exemplo docuit summā dignitatem in infima pro deo humilitate, in deiectionissima infirmitate potentiam inuictam, in cruce ignominiosissima uere cœlestem gloriam sitam, et electis omnibus expectandam. Factus est enim omnium iuxta abiectissimus, cum esset gloriosissimus, simul factus summe infirmus & summe potens, afflictus & contritus super omnes, pariter & infelix & beatissimus adeo ut nemo nisi per ipsum felix & beatus possit euadere. Hæc longe antea de eo dicta sunt per prophetam Zachariam 9. qui sic est uicinat: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus & humilis, insidens asinæ & pullo filio subiugalis. Quomodo autē hæc uerba uel uariant uel conueniant cum Hebræo non magni refert, quando sensus in nullo discordat, quem uide suo loco cap. 9. uersu 9. Hic autem dicitur, Et pullū filium subiugalis, pro pullo filio asinarum epitheto asinæ abusus pro asina. Venerat usque ad Bethphagen & Bethaniam pedes, hoc est proxime Hierosolymam, ac tum deum mittit pro iumento. Hoc satis declarauit non corporis sui causa, sed propter mysterium regni dei insidens asino ingredi urbem uoluisse. Pullo autem insedit super quem nemo hominum adhuc sederat, & ad uehendum parū modo, indicans per hæc indomita etiā & quæ aliena habentur, omnia sibi dum uoluerit paritura: unde & aliorum erat hic asinus, qui statim ut audierunt deum illis Christus futurum prædixerat. Quibus declarauit omnia subiecta potestati suæ, & si quid uelit sibi adduci quamlibet ferox & indomitum, ut non ineptum asinus ille indomitus adhuc significet gentium populum Christi regnum suscepturum sponte, nullas antea dei leges expertum, quem apostoli domino per euangelium adduxerunt & subditum reddiderunt. Vt enim non sit allegoria est tamen certe in eo similitudo ac tacita quædam parabola adumbrata.

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Et adducunt asinam & pullū, & imposuerunt super eos uestimenta sua, & euntes desuper sedere fecerunt.

Compererunt abeuntes discipuli quicquid illis prædixerat dominus. Statim ad mentionē domini dimissa sunt iumenta, quum nec dominus adesset nec discipuli quicquē authoritatis præ se ferrent. Non nouerant quidem, sed tamen senserunt illum omnium dominum hoc iubere. Discipuli quoque quo commo- dius federet dominus instrauerunt pallia sua, atque ita collocarunt eum in tergo pulli, qui typum habebat, ut dictum est, ethnicae nationis immunda, & omni- bus malis cupiditatibus turpiter seruientis, quæ contacta uirtutibus apostoli- cis, & recepto in tergum domino Iesu, desijt esse immunda, desijt seruire pristi- nis uitijs, facta iumentum eius qui purgat & sanctificat omnia. Hæc nondū in- telligebant apostoli, sed tamen hoc iam designabatur post intelligendum.

Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia, alij autem ce- debant ramos de arboribus, & sternebant in uia: turbæ autē quæ præ- cedebant & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio Da- uid: benedictus qui uenit in nomine domini: hosanna in excelsis.

Hæc omnia ad hoc fieri uoluit dominus & dici, ut ostenderet quanta esset potentia rerum omnium præditus, & futuræ suæ gloriæ, ad quam per crucem parabat ingredi, specimē quoddam exhiberet; alias enim semper talia fugerat, malens ministrare quàm ut sibi ministraretur. Turbæ itaque quæ egressæ fuerat de Iericho, & sequitæ sunt saluatorem ac discipulos eius, postque pullum asinae solutum uiderūt qui ante ligatus fuerat, & apostolorum uestibus exornatum, & sedentem super eum dominum Iesum, supposuerunt uestimenta sua, & strauerunt uiam ramis arborum. Cumque opere cuncta fecissent, uocis quoque tribu- unt testimonium, & præcedentes & sequentes non breui aut silenti confessio- ne, sed clamore plenissimo resonant: Hosanna filio Dauid &c. hoc est *הושיענו* saluifica quæso, ò domine fili Dauid. Hoc honoris dominus Iesus qui semper humilis uixerat sibi passus est exhiberi, quo declararet sibi non defuturam fuisse gloriam huius mundi, nisi maluisset eam aspernari quàm amplecti: quo tur- pius uideretur hoc affectari ab ijs qui se discipulos illius profitentur, & si dijs placet, Vicarios, quod ille spreuit qui solus promeruit. Decuit tamē honos hic aduentum eius qui morte sua redempturus erat orbem uniuersum. Turbæ au- tem quæ præcedebant & quæ sequebantur utrunque ostendūt populū, & qui ante Euangelium & qui post prædicatum domino crediderūt, consona Iesum confessione laudare, & unum fidei accipere præmiū. Fuit autem horum cla- mor comprecatio quædam, qua salutem domino tanquam Christo uero Dauidis fi- lio regni eius beatum successum precabantur. Agnoscebant namque benedi- ctum domini Christum ipsum esse qui regnum Dauidis esset restitutus. Vnde dicebant: Benedictus qui uenit in nomine domini. Quasi dicerent: Hactenus uarijs tyrannis pressi sumus, nunc gloria deo, salus uera & prosperitas huic nostro regi, qui in nomine domini, hoc est à deo destinatus & unctus nobis aduenit. Faue nunc, iuua & salua qui habitas in excelsis. Hæc Christi regnum solum commendant, quod solum uenit in nomine domini, in quo solo salus, prosperitas, benedictio, pax, & gloria: in quo tunc sumus cum Christum uera fide cognoscimus, qui sua nos morte redemerit à tyrannide satanae, qui spiritū dedit iustitiæ, & tandem ab omnibus peccatis est purgaturus.

Et cum intrasset Hierosolymam, commota est uniuersa ciuitas dice-
zens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus propheta à Na-
zareth Galilææ. Marci 11.6
Luca 19.2

Hac Iesus noua et insolita pompa ingressus est, insolitoq; huiusmodi spectaculo commouit uniuersam urbem, ut dicerent homines: Quis est hic? Non inuidebant Christo turbæ simplices & candidæ, neq; opinionē Christo indignā habebant, ideo & nunc prophetam illum dicunt, Nunquam autem si sine articulo dicatur propheta, potest intelligi quod hic sit qui expectetur propheta, de quo dixit Moses: Prophetam uobis deus excitabit, Non enim dixerūt, Hic est propheta: sed, Propheta ille, hoc est ille qui expectatur, Hæc autem faciebant ad Christi gloriam, sicut & quod post historiam de eiectis negotiatoribus è templo ad eum accedebant cæci & claudī, quibus cōtulit sanitatem, & puerorum acclamatio &c. Vniuersa autem ciuitas dicitur commota tam bonorum iubilulo, quàm murmure & maledictione scribarū, ut quidam in bonū dicerēt, Quis est hic tantus propheta: alij, Quis tantus populi deceptor? In domini autem potestate sunt omnia, etiam maligni affectus improborum, Fama gloriosa de eoperuaserat totam terram à Galilæa usq; in Iudæam, sicut & in Syriam totam. A Nazareth autem natus putabatur, quia ibi fuerat educatus à puero, quanquā in Capernaum crebro prædicauerit, & miracula plura ædiderit, Monemur nō ante: id autem significabit uel unctio uel necessitas uel causa præfens.

B Et intrauit Iesus in templum dei, & eiecit omnes uendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras uendentium columbas euertit: & dicit eis: Scriptum est, Domus mea domus orationis uocabitur: uos autem fecistis illam speluncam latronum.

Isaie 56. c
Ierem. 7. b

Præclarum populo elogium uisum fuerat si eum prophetam illum prædicassent, cum adhuc procul abesset ab illius magnitudine. Nihil enim adhuc popululus de illo suspicari poterat supra hominem. Et ita consulto Christus temporauit uitam suam, ne palam proderet diuinam naturam quam frustra persequississet, si uidissent illum postea morientē. Hoc igitur strepitu urbis Iesus ingressus est templum, atq; ibi mox regnum quoddam agere cœpit. Quum enim uideret in templo mercatus ac fori speciem, alios uendentes, alios ementes, alios uendentes numularios, Iesus indignitate rei commotus, iuxta illud prophetæ, Zelus domus tuę comedit me, factō è funiculis flagello expulit omnes ementes ac uendentes è templo unā cum suis mercibus. Mensas numulariorum euertit, & æs in terram effudit, sellas uendentium columbas disiecit, indignationis sue istam causam ex Esaia proferens, qui ait sub persona dei: Domus mea domus precationis uocabitur: uos autem fecistis eam speluncam latronum. Hoc factō longe significabat aliud Iesus: nec enim illum tā opere commouebat templum illud mercimonijs bouum, ouium, hircorum, & columbarū prophanatum, sed ostēdere uoluit auaritiā & quæstū fore capitalem pestem ecclesiæ suæ, quam templum illud cuius religio mox erat abolēda figurabat. Tum enim templum, sed quod immolandis deo uictimis spiritualibus consecratum est, uertitur in speluncam latronum, quando sub prætextu religionis ac sacerdotij spoliatur populus. Nihil autem illic syncerum ac sanctum esse potest, ubi regnat pecunie studium. Atq; hoc malum iam fit intolerabile, quando sub tecto templi committitur, quando rapina tegitur religionis umbra, in nullum hominum genus acrius seuijt Iesus, sed hos tales etiam nunc grassantes in ecclesia sine fronte & dei timore sub pietatis prætextu quæstum augentes sibi ipse seruauit eieciendos, cum uidebitur, Id uero erit cum intolerabilem atrocitatem & conculcationem

pauperum & piorum excreuerit hæc pestis grauissima. Quotidie, ait Hieronymus hoc loco, Iesus egreditur in templum patris, et eicit omnes tam episcopos & presbyteros & diaconos quam laicos, & uniuersam turbam de ecclesia sua, & unius criminis habet uendentes pariter & ementes: scriptum est enim, Gratias accepistis gratis date. Mensas quoque numulariorum subuertit. Obserua propter auaritiam sacerdotum, altaria dei numulariorum mensas appellari. Cathedras quoque uendentium columbas euertit, qui uendunt gratiam spiritus sancti, & omnia faciunt ut subiectos deuorent. In cathedris quoque magistrorum magis dignitas iudicatur, quæ ad nihilum redigitur cum mixta fuerit lucris.

Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos. Veniunt ad templum quos lex arcebat ab ingressu templi, sed Iesu templum omnes recipit, qui properant ad sanitatem. Venerunt enim cæci, ut uisu recepto uiderent Iesum, quem audiebant sic prædicari. Veniebant claudi, ut illius uestigia sequentes peruenirent in regnum cælorum. Quotquot igitur adibant illum, sanabat. Verum nisi mensas auarorum & aras diuorum euertat in ecclesia sua Christus, non clare uidebunt fideles uerbi dei splendorem: & claudi sanctorum operum gressibus non dirigentur, nisi scandala pietatis tanta ab ecclesia cessent. Quomodo enim uel Iudæus uel Saracenus proficiet ex doctrina Christianorum, quamdiu uiderit diuorum imagines prostare, appetiari, uenerari, honorari: quomodo sacerdotibus credent prædicantibus uerbum dei, quamdiu eosdem uidet auaritiæ deditos & luxui, adulteros, scortatores, lusores, blasphemos, aut idolorum propugnatores, decalogi digitorum dei deprauatores, & uerbi dei quod nobiscum agnoscunt contemptores.

Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid. Indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt?

Placet Hieronymi sententia in hunc modum: Plerique arbitrantur maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex utero lumen accepit, quod ad Iordanem uox audita sit patris, quod transfiguratus in monte gloriâ ostenderit triumphantis. Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc uideatur mirabilius esse, quod unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum uilis, ut postea crucifigeretur, scribis & pharisæis contra se sauentibus, et multitudinem lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli uerbera tantam eicere infinitum non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam atque sydereum radiabat ex oculis eius, et diuinitatis maiestas relucebat in facie. Cumque manum non auideant inijcere sacerdotes, tamen opera calumniantur, & testimonium populi atque puerorum qui clamabant, Hosanna filio Dauid, uertunt in calumniam. Cum enim iam oporteret monitos eos resipiscere, ipsi magis exarserunt inuidia, quam uiderent tantis studiis undique applaudentem populum, presentem uim in sanandis claudis & cæcis, auctoritatem in eiciendis mercimonijs, nemine auso resistere, pueros etiam in templo clamantes, Hosanna. Hæc indigne ferentes Iesum submonuerunt, ut eum clamore compesceret, alioqui fore, ut uideretur agnoscere tantum honoris, quo ipsi iudicabant Christum indignum. Cum magis ipsorum fuerit ipsum magnificentius prædicare, qui natiu grandes, ac legis & oraculorum periti, ex conspectis tot miraculis intelligere poterant hunc esse Messiam, quem tot sæculis expectauerunt, & in illud tempus proximo uenturum.

rum communis decernebat scribarum opinio & doctorum. Nunc autem pueri naturæ instinctu uel potius afflatu quodam numinis hoc sonabant, quod intelligere per ætatem non poterant. Proinde cæci inuidia & ira temulenti dicunt illi: Audis quid isti dicunt?

psalm. s. b

Marci 11. b

Iesus autem dicit eis: Vtiq; Nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?

Quam moderate sententiam temperat, & uno responso utrunq; abstergens, & calumniæ tamen non patens, non dixit quod scribæ audire cupiebant, Bene faciunt pueri, ut mihi testimonium tale perhibeant. Nec rursus, Errant, pueri sunt, debetis ætati ignoscere. Sed profert exemplum de octauo Psalmo, ut tante domino scripturarum testimoniū puerorum dicta firmaret. Nunquam, inquit, legistis: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Vultis igitur ut his ora occludam, quæ deus ad laudandam gloriam suam aperuit? Dico uobis adeo deus non patietur per uestram inuidiam sileri laudes suas, ut si isti tacerent, lapides ipsi sint clamaturi, quibus uos estis duriores. Quod autem ego laudor pater laudatur, dei est omnis ista gloria, qui me iam tandem misit, per quem futurum est, ut per omnem terram nomen ipsius admirabile celebretur, totusq; orbis laudes eius super cælos usq; attollat. Sic sanè propter aduersarios suos hostes Iudæos Euangelium prædicari fecit deus per orbem totum fortiter & inuictè, ex ore infantium & pueris similibus apostolorum gloriam ac uirtutem Christi, unde ille multo gloriosius exaltatus fuit, q̄ eum hostes isti ignominiose unquam deiecerant. Hinc uero & contractus est hostis & ultor satanæ cum omni suo satellitio. Nam per Euangelium omnis illi uis & potentia adimitur, regnante Christo in omnibus qui Euangelio fidem habent. Hinc quoq; docemur deum deligere stulta secundum mundum, ut pudefaciat sapientia; imbecillia, ut pudefaciat robusta &c. 1 Corin. 1.

Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatē in Bethaniam, ibiq; mansit.

Noctu semper illis diebus ultimis egrediebatur Ierusalem, non tam ut suorum Iudæorū declinaret donec hora eius appropinquaret, quam ut imminente iam supplicio, quod homini ei nō potuit non formidabile esse, crebrius cum patre per orationem colloqueretur. Docebat enim interdum in templo, nocturno uero exiens diuersabatur in monte qui uocabatur Oliuarum; etenim Bethaniam monti Oliuarum adhærebat. Relictis ergo illic discipulis, ut quiети indulerent, ipse in monte cum patre agebat. Die quidem docendo profuit, nocturno cum docendi nulla esset oportunitas, aut aliàs proximos demerendi, à patre sibi orando robur petebat, quo rursus die pluribus & efficacius commodaretur pro imbecillitate carnis humanæ quam gestabat.

Mane autem reuertens in ciuitatem, esuriit. Et uidens fici arborem unam secus uiam, uenit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantum. Et ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. Et uidentes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quo modo continuo aruit?

Mat. 11. c

Mira uero esuries & quodammodo affectata in Christo, quam uoluisse uidetur dominus quasi saturare ex arbore, quum nōdum esset tempus ut fructum haberet, sed tantum folia inuenisset, execratus est eam, ut exaresceret. Post die ergo Hierosolyma ipsis reuertentibus cum pridie facta uespera pro more domini

domini Bethaniam petijissent, uidebant hanc ficum totam exaruisse. Cuius Petrus dominū admonebat, ubi nihil aliud mysterij eis exposuit, quā quod exhortatus est ad firmiter deo fidendum, pollicens sic omnia ipsis fore possibilis &c. Voluit quidem haud dubie dominus execrando fici arborem fidei efficaciam suis declarare. Sed tamen praeterea uidetur & populi Iudaici sterilitatem illa arbore adumbrasse, ut exaruerit radicitus, quia fidei fructibus nullis decorata extiterit, sed tantum folijs quarundam ceremoniarum se ut pulchram uenditauerit. Vnde & nobis uidendum, ne tantum uerborum folijs & externi cultus speciem sine solidae pietatis fructibus inueniamur à domino similiter maledicendi. Iuxta literam quoque dominus passurus in populis, & baiulaturus scandalum crucis debuit discipulorum animos signi anticipatione firmare. Potuit autem saluator eadem uirtute etiam inimicos siccare, sicut & Lazarum à mortuis reuocare, nisi eorum per poenitentiam expectasset salutem, quae nimium tarde redditur dudum promissa.

Respondens autem Iesus, ait eis: Amen dico uobis, si habueritis fidem & non haesitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis: Tolle & iacta te in mare, fiet. Et omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis. C

Discipulis admirantibus de ficu subito arefacta, respondit hunc in modum: Quid hoc admiramini quod non est magnum, arefcere arborem? fidei uis maiora potest, quam si fortem & constantem habueritis, non solum facietis quod uidistis accidisse ficui, uerum etiā si dixeritis huic monti: Submoue te de loco, transfer te in mare, ilico fiet quod iusseritis. Omnino enim quicquid petieritis in precationibus uestris, etiam quod uobis impossibile creditis, et uirtuti totius naturae, modo adsit fiducia, impetrabitis. Non sunt autem à domino petenda quae non sunt conducibilia, nihil per insipientiam & temeritatem aut factum hic tentandum, omnia fide constet & fiducia, non propriae sed diuinæ uirtutis, cui sunt omnia quidem possibilis, sed non omnia agit, sed quae suam decent bonitatem & sapientiam, non nostrā stultitiam uel cupiditatem. Docuit quid petere debeamus, fidem habere nos uult non stultam, sed quae re uera sit fides & respectu utilium, ut sit oratio discreta & utilium pro dei gloria tantum, non pro tua. Montis autem translationem ponit pro re creatae uirtuti impossibili, deo autem uolenti & pro electorum salute prorsus possibili. Accipiemus ergo quaecumque petierimus, si eam orationē praetenderimus quam dominus docuit orandam. Vbi non fuerit orantibus attendendum quā magnum sit quod petitur, sed tantum ut in nomine Christi petatur ad dei gloriam, & ex fide in deum, qui quae uult potest omnia: cuius solius uirtuti & gratiae nititur fidelis, nec aliud petit quā rationabile, & quod domino placere cognoscit, semper addens, Non mea sed tua uoluntas fiat.

Et cum uenisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum & seniores populi, dicentes: In qua potestate haec facis: et quis tibi dedit hanc potestatem? Marci 11. d
Luce 20. d

Satis clare uidetur Euangelistas omnes non curiosos fuisse ordinis rerum à domino gestarum, quando ad negotium pietatis non facit, & sine iactura facti dei uidetur. Alioqui uidentur haec quae hic scribuntur tertio die facta, postquam Hierosolyma fuisset cum sua pompa ingressus. In templo autem perpetuo in-

terdiu erat, quia illo populus conueniebat quem docebat, flagrantem tunc mi-
re ad audientiam uerborum Christi, unde & diluculo uentitabant, quorum mul-
ti non deposuerunt amorem Christi, etiam clamantibus multis ad instinctum
scribarum pro tollendo Christo postmodum in crucem, quandoquidem non
frustra dominus in templo his diebus docuit, sed animos preparauit ad futura
fidem, post spiritus sancti missionem, ab electis & multis milibus suscipiendam
et conseruandam. Principes autem sacerdotum & scribae cum senioribus dum
aliud non possunt, rogant dominum qua ista autoritate faceret. Quibus nihil
uoluit respondere: uidebant enim ipsi & sentiebant diuinam esse autoritatem
& uirtutem, qua omnia fiebant, cui nimirum resistere nequibant. Alia ergo
quaestione eos retundebat de baptismo Ioannis, qua utique inuuit eum e caelo fu-
isse: diuinitus enim missus fuerat ut baptizaret, Ioan. 1, ipsos autem obstinate
contempsisse eum & impie satis constat.

Respondens autem Iesus, dixit eis: Interrogabo uos & ego unum
sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego uobis dicam in qua potestate
haec facio. Baptismus Ioannis unde erat, e caelo an ex hominibus? At il-
li cogitabant inter se, dicentes: Si dixerimus e caelo, dicet nobis: Quare
ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus: Ex hominibus, timeamus
turbam: omnes enim habebant Ioannem sicut prophetam. Et respon-
dentes Iesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico uobis in
qua potestate haec facio.

Supra 14.4

Principes hi sacerdotum & seniores populi, si pii fuissent & rationabiliter
iudicassent, intelligere poterant haec tanta qua operabatur Christus uerbo &
iussu simplici miracula, sola dei uirtute possibile esse, cuius potestate nimirum
diuinam agnouissent, non tentandi & accusandi gratia quaesiuissent, sed dice-
re cupientes, sine dubio Christus illis declarasset mysterium salutis, & potesta-
tis suae uim & originem. Quoniam autem digni non erant audire talia, propo-
rea non eis dat responsum, sed contra interrogauit, & clauum clauo repulsi,
quaestionem obijciens quam solui non posse sciebat. Percontabor, inquit, &
ego uos quiddam, ad quod si mihi responderitis, tum respondebo quaestioni ue-
strae: Autoritas qua baptizauit Ioannes unde uenerat illi, e caelo an ex homi-
nibus? At illi deliberabant apud se quid essent responsuri: uidebant enim qua-
estionem esse bicornem, ut in alterum cornu necesse esset incidere. Cogitabant
autem: Si dixerimus e caelo, continuo dicet nobis: Quare igitur oraculis illis
uos non credidistis? siquidem ille praedicauit regnum dei, & de me testimonium
perhibuit. Sin dixerimus: Ex hominibus, hoc est humana temeritate uel cogi-
tatione non prophetico & diuino spiritu, metuenda nobis est populi seditio,
quod omnes persuasum habeant Ioannem fuisse prophetam. Itaque ne carperen-
tur, responderunt se nescire. Tum Iesus: Nec ego, inquit, dico uobis unde mihi
hi sit haec collata potestas, & autoritas agendi qua facio in templo & extra. Di-
scimus modum agendi cum impijs, ut ad hominem arguamus cum ueritas de-
perta reijcitur, ut iuxta Prouerbiu: Malo arboris nodo malus clauus aut eius
neus infigatur. Prudenter interrogat ut suo ipsi silentio uel sententia condema-
nentur. Ipsi uero impijssima factio & humilitatis uerbo quo nescire se dicere
usa est ad insidias coaptandas. Mentiti sunt autem, dicentes se nescire: ueritas
autem mentiri non potest. Ostendit ergo illos scire, sed respondere nolle. Scire
ro nosse, sed non dicere, quia illi quod sciunt taceant: & statim infert parabolam
quae

quæ et illos impietatis arguat, & ad gentes regnum dei doceat transferendum. Quid autem uobis uidetur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili, uade hodie operare in uinea mea. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem poenitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo domine, et non iuit. Quis ex duobus fecit uoluntatem patris? Et dicunt ei: Primus. Dicit illis Iesus: Amen dico uobis, quia publicani & meretrices præcedunt uos in regno dei. Venit enim ad uos Ioannes in uia iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei, uos autem uidentes nec poenitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.

Cum nollent de baptismo Ioannis respondere, proposuit illis parabolam, et aliud rogauit, sed quo eiusdem moneret eos cuius quaestione de baptismo Ioannis monere uoluit, nimirum impoententiæ ipsorum, qui Ioanni ad respiscen-
tiam hortanti non obtemperassent, ne quidem uiso exemplo meretricum & publicanorum, qui illius hortamenti acquieuerant. Quis est autem ille filiorum patris, nisi deus qui creator est omnium, & paterno affectu amat quos condidit, & a suis quoque uult diligi creaturis quasi pater non tam timeri ut dominus? Duo uero filij populi sunt gentium & Iudæorum: maior quidem gentium populus ex patre Noë, Iudæi uero ex Abraham. Priori populo dixit deus: Hodie, id est in tempore sæculi huius, operare in uinea, id est fac iustitiam, ut quod tibi non uis fieri alteri non feceris. Hanc iustitiam generaliter deus plantauit in natura omnium hominum, quam tamen homines perficere renuerunt, habentes quidem intellectum boni & mali: bonum autem relinquunt, & malum sectantur. Gentes enim a principio relinquentes deum & eius iustitiam, transierunt ad idola & ad auaritiam contra conscientiam, iustitiam quam sciebant perficere recusantes. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo domine, & non iuit. Iudaicus enim populus Mosi respondens, ait: Quæcumque dixerit dominus, faciemus. Et Ioanni quoque obsequi spondentes baptisma sumpserunt: quasi deo per eos loquenti spondent omnia, sed reuersi postea mentiti sunt ei filij alieni. Ex his igitur duobus uter uidetur satisfacisse Prior ille qui mox respiscens abiit in uineam. Attracti enim parabola ueritate ipsi aduersum se sententiam protulerunt, confitentes populum gentium patris & facere iustitiam dei, quam promittere & mentiri. Quorum iudicium confirmans, ait: Profecto uere dico uobis, quod publicani & meretrices præcedunt uos in regno dei. Ac si dicat: Non solum populus gentium melior est uobis Iudæis, sicut indicastis & ipsi, sed etiam publicani & meretrices qui sunt inter uos manifeste turpissimam uitam profitentes, præcedent uos in regno dei. Ponuntur tamen hæc in persona quoque omnium peccatorum, quorum hi quidem reuelles deo impia uita, tamen ilico tacti poenitentia obtemperant Euangelio. Vos qui titulo ac professione estis populus dei, qui & olim dixistis & hodie dicitis: Omnia quæcumque dixerit dominus faciemus, qui semper habetis in ore præcepta dei & templum domini, tot modis prouocati non potestis ad poenitentiam permoueri. Venit enim Ioannes ostendens uobis uiam iustitiæ & iram

diuinam imminere, securim admotam arboris radicibus non statim resipiscen-
tibus. Vidistis publicanos & meretrices homines uestro iudicio deploratos, ob-
temperare illi, uos nec singulari Ioannis sanctimonia nec illius minis nec ex-
emplo publicanorum ac meretricum prouocari potuistis ad poenitentiam. Ita
fit ut illi fide præripiant uobis regnum dei, uos frustra deum ore profitentes ob
incredulitatem animi uestri excludamini. Sic autem fiunt ex nouissimis primi,
& ex primis nouissimi. Quis autem non iam timeat? quis sibi placeat? quis non
ad omne uerbum domini trepidet? sed & non magnopere de dei bonitate con-
fidat? quando nullis quantumuis flagitiosis uidet regnum dei claudi, modo cre-
dant uerbo dei, ad resipiscentiam uocanti.

D Aliam parabolam audite. Homo erat paterfamilias qui plantauit
uineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit
turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est.

Marci 12. a

Luce 20. b

Isaia 5. a

Ierem. 2. d

Quoniam excindenda arbor est quæ pergit sterilis esse, ut monuerat Iudæ-
os proxima parabola, licet multam præ se pietatem ferrent, plurimamq; promissis
sent semper, tamen perseverare immorigeros, & nullos pietatis fructus ferre:
ita nunc admonet ultionis, quæ ipsos hinc manebat. Est autem obscurior & hæc
parabola, perstringens insignem Iudæorum ingratitude, qui tot dei benefi-
citijs prouocati non solum non resipuerint, uerumetiam prophetas alios post se
lios qui missi fuerant, ut ad illorum prædicationem aliquando resipiscerent, cru-
deliter trucidarunt. Is paterfamilias est, cui cœli & terra, quasi una sunt domus:
est enim dominus naturæ angelicæ & humanæ, pater bonitatis et beneficent-
tiæ, gratiæ & gloriæ, cui omnes homines & angeli seruiunt in ueritate, quasi
boni filij genitori. Uinea quam plantauit uinitor studiosus populus est Israel,
de Aegypto translatus, qui primum omnes in circuitu infructuosas syluas exci-
cidit Chananaicas gētes, & sic postea plantat, ne forte arbores lasciuientes dum
huc & illuc per longa spatia ramos suos exporrigunt, adhuc tenerum suffocet
malleolum. Sic deus gentes sine fructu iustitiæ constitutas occidit, & in eorum
locum collocauit Israel, ne forte gentes indisciplinatae dum in longum terminum
suarum damnationis extendunt, affligant populum dei nouicium. Sepes huic
populo circumdedit angelorum custodiā, ne in uineam Christi inuisibiles latrones
irrupiant. Torcular ecclesia est, sicut & area, in qua omnes fructus uinæ, id
est opera seruorum dei, et fides roborata ad dei gloriam transmittuntur. Habet
in se torcular ecclesia uerbum dei, quo non delectatur natura carnalis, acqui-
escit autem ei contorta timore diuini iudicij uel amore præmij. Turris locauit
ta uerbum est propheticum uel cultus dei in templo extructo. Colonis locauit
hanc ecclesiam sacerdotibus & episcopis, in primis Abraham, deinde Moysi, &
prophetis, ut diligenter instituerent & tractarent populum domini ad gloriam
dei & ipsorum salutem. Sicut autem duram terram ferrum emollit, sic & uerbum
duritiam cordis relaxat. Sicut rastro herbæ eradicantur à uinea, sic acri sermo-
ne uitia de populo refecantur. Peregre autem profectus est, non loci mutatio-
ne: nam deus nusquam abest qui omnia implet, qui dicit: Ego deus appropin-
quans & non de longinquo. Abire autem uidetur à uinea, ut uinitoribus libe-
rum operandi arbitrium derelinquat.

Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos
ad agricolas ut acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehenserunt seruos
eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium uero lapidauerunt. Ite-
rum

rum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.

Seruos suos dicit prophetas, quos per singulas aetates & generationes misit ad docendum populum Iudaicum. Sicut enim per singulos gradus Iudaice malitiae dei misericordia addebatur, sic contra clementiam dei humana malignitas certabat. Inter homines qualiscumque amicus semel iniuriam si passus fuerit, frangitur, quantusuis affectus eius & amicitia minuitur: Dei autem misericordia semper creuit ad Iudaeos, qui seruos dei toties missos inhumaniter ac crudeliter contempserunt, comprehensos uel ceciderunt ut Ieremiam, uel occiderunt ut Isaiam, uel lapidauerunt ut Naboth & Zachariam, quem interfecerunt inter templum & altare. Legamus epistolam Pauli ad Hebraeos, & ex ea plenissime discimus qui seruorum domini quanta perpeffi sint. Fructum quem exigit dominus a fidelibus per uerbum dei est pietatis totius studium, fructus planae fidei in deum & charitatis in proximum, opera misericordiae quae dominus in iudicio requirit a saluandis. Tales fructus sancti domino obligantur. Sancti autem sunt per fidem iustificationem & uiuam, quae ad omne opus dei uiuacem reddit, beniuolum, studiosum, et perseverantem. Plures autem misit, uolens bonitate sua euincere illorum malitiam, uel dignos mundo ostendere maledictionum, quae illis lege praedicta sunt.

Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolae autem uidentes filium, dixerunt intra se: Hic est haeres, uenite, occidamus eum, & habebimus haereditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra uineam, & occiderunt.

Quod dicit, Verebuntur filium meum, non ignorans dicit, quod illum occisuri essent, sed significare uolens quid facere deberent. Oportebat enim, inquit, licet tot & tantos seruos occiderint, uel filium reuereri. Ex omnibus autem & tantis operibus eius cognouerunt Iudaei Christum esse filium dei, tamen intransigentem occidere, excacati malitia & liuore, dicentes intra se: Si populus istum habuerit doctorem, necesse est ut dimittat consuetudinem hostiarum, quae ad nostrum pertinent lucrum, & acquiescat offerri sacrificium iustitiae, quae ad gloriam dei pertinet, & iam non erit populus iste nostra possessio sed dei, non ad nos hodie praefertur quaestus & luxus pietati & ueritati. Est enim haec cogitatio communis omnium sacerdotum carnalium, qui non sunt solliciti quomodo populus uiuat sine peccato, sed aspiciunt quid in ecclesia offeratur ad suum lucrum. Apprehensum autem eiecerunt eum extra uineam, id est extra Ierusalem, ubi crucifixus est dominus, quem suo consilio eiecerunt Iudaei, & deus suo consilio eiecit eum ordinauit. Isti cogitant ut crimen mortis eius extra ciuitatem explerent, deus cogitabat ut uirtus resurrectionis impios non saluaret, moreretur quidem Iudaeis ad mortem, gentibus autem resurgeret ad uitam, & ut suscipientibus se gentibus, alijs saluandis & credituris uinea locaretur.

Cum ergo uenerit dominus uineae, qui faciet agricolis illis: Aiunt illi: Malos male perdet, et uineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.

Id commeruerunt improbi & ingrati agricolae, ut uinea propheticae ueritatis, uinea regni caelorum, uinea uerbi dei, uinea promissa terre & gratiae, ipsis

perditis alijs collocaretur, uerbum dei gentibus concrederetur, ueritas occeratis Iudæis à gentibus agnosceretur, qui ipsum uera fide amplectentes, fructus dignos cognitione dei ferrent, id quod & factum est, & ita regnum dei à Iudæis est ad gentes translatum. Nam sicut si optimus quisque rex populum aliquem dignatus esset regno suo moderari pacifice, & defendere ab hostibus, illustrare regnum suum contemnere, leges calcare & prauaricari data opera, adhuc legatos regni sui rex mitteret, hortatum ut resipiscerent ad ipsorum commodum, ipsi ueros legatos pacis occiderent, denique filium unigenitum crucifigerent, non merito rex offensus illos perderet, alios in fidem suam reciperet, legibus formaret, & uirtutem tueretur, uicissim quoque illi sese compararent, agnoscerent regis gratiam, colerentque. Ad hunc omnino modum populum Iudæorum deus sibi peculiū elegit Iudæos, legem & prophetas dederat, qui eum tamen semper contempserunt, impietatibus suis grauissimis ac contumelijs in prophetas, quos & occiderunt, tandem filio dei unico Christo domino non parcentes. Unde & iustissime abiicit eos, abrogato fœdere quod seruauerunt nunquam, à quo uerbum suum abstulit dominus, & gentibus illud misit, Iudæos funditus extirpauit, extinxit, stupidos reddidit ad omnem ueritatem.

Psal. 117. d
Acto. 4. b
Roma. 9. g
1. Pet. 2. d

Dicit illis Iesus: Nunquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Iudæi decepti ænigmate, ore proprio se condemnant, pronūciantes se ob inuincibilem animi prauitatem dignos esse supplicio, & merito gentes esse recipiendas ad Euangelij gratiam, meliore fide culturas uineam quam illi coluissent. Sub hac Iesus subindicans se quidem illorum peruersitate damnatum ac reiectum, moriturum ignominiosa morte, ceterum resurrectione per uirtutem patris illustrandum per uniuersum orbem, tantaque soliditate inuincibilem futurum, ut quisquis in ipsum impeerit sibi sit exitium accersiturus. Ad hoc indicandum quo minus offendat adducit prophetiam è Psalmo 117. Nunquam ne, inquit, legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput anguli. A domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris. Significans eos edificare synagogam, sed eiectione Christo, sine quo nullum esset firmum ædificium, sed tamen illum reiectum ab ipsis lapidem, magno in pretio futurum in ecclesia magna, & gloriosa gentium omnium in toto orbe terrarum. Nunc quidem se non agnosci sed damnari à Iudæorum primoribus, nihilominus tamen futurum principem omnium fidelium. Ego, ait, plane is lapis sum, quem pater in fundamentum Sion posuit, me nitentur electi omnes. Idem iunctis duobus parietibus populo Iudæorum & gentium angulum concludam, quia in me illi iunguntur, iunctique seruabuntur. Et qui ceciderit super lapidem hunc, hoc est in me impeerit, confringetur & conquassabitur. Nam qui me reiecerit aut impugnarit, is deum reijciet atque impugnabit: quid queat iam in hoc esse integrum? quid saluum? Fide in deum uiuitur, ea sublata quid adsit nisi mors & perditio?

Isaie 28. d

Ideo dico uobis, quia auferetur à uobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem uero ceciderit, conteret eum.

Quia uos Iudæi oblatum uobis regnum cœlorum & salutem spernitis, ideo dabitur

dabitur gentibus reliquis, quibus & est promissum à prophetis, quæ gentes toto in orbe dignos Euangelio fructus adferent. Atque ut hic lapis salutem adfert ijs qui obediunt Euangelio, ita per incredulitatem repugnantibus adferet exitium. Quisquis enim impegit in hunc lapidem, quisquis Euangelicæ ueritati contrauerit, contradixerit, aduersabitur, is confringetur, nihil proficiet in his quæ molitur, non labefactabit fidem ecclesiæ & electorum charitatem ac salutem. Rursus in quem ille inciderit, quem Euangelij ueritas & Christi sententia damnauerit, in hoc mundo uel futuro, is conteretur ut salutem recuperare nullam possit. Aliud quoque est offendere in Christum per fragilitatem & ignorantiam, uel reliqua peccata carnis, aliud Christum negando & per infidelitatem. Etenim qui peccator est, & tamen in illum credit, cadit quidem super lapidem, & confringitur, sed non omnino conteritur: reseruatur enim in Christi fiducia per fidem & pœnitentiam. Super quem uero ille ceciderit, hoc est cui lapis ipse irruerit, qui per infidelitatem in Christum peccauerit, ut iudicium accipiat damnationis Christum negando penitus, sic cõteret eum Christus, ut nec testa quidem remaneat, in qua hauriatur aquæ pusillum.

Et cum audissent principes sacerdotum & pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.

Quamuis duro corde essent propter incredulitatem & impietatem in Christum, audientes tamen tam apertas propositiones negare non poterant, intelligebant autem maxime ex huius sermonis clausula, quod superiores quoque parabolas, quibus decepti pronunciauerant aduersus se sententiam, in ipsos dixisset, eosque exarserat eorum uesania, ut iam illi fuerint iniecturi manus, ni metuisent populum, quod à plerisque magnifieret Iesus, & propheta crederetur. Semper autem turba mobilis est, nec in proposita uoluntate persistens, atque in motu fluctuum diuersorumque uentorum huc illucque trahitur, quæ nunc ut prophetam admiratur postea damnat ut crucifigatur.

CAPVT XXII.

Respondens Iesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens:

Respondens Iesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: Pharisæi intelligentes de se dici parabolas, quærebant eum tenere & occidere. Hanc eorum sciens dominus uoluntatem, nihilominus increpat sæuientes, nec timore superatur quocumque quo minus arguat peccatores. Adicit autem et aliam similitudinem quo magis infigat animis illorum, obstinata malitia fieri que reſciantur ab Euangelica salute, quodque gentes sint occupaturæ quo illi se reddidissent indignos. Nullum enim excludi à regno dei, sed hoc honoris habitum esse genti Iudaicæ, quod primum omnium est uocata, et uocata blande, non ad tristitia aut abiecta, sed ad nuptias, hoc est ad honorem, delicias, & libertatem Euangelij. Nec solū fuisse inuitatos per prophetam Ioannem et ipsum Christum, uerumetiam post mortem per apostolos esse uocandos, nec prius Euangelij præcones deflexuros ad gentes, quamdiu apud suos pro suo officio multis ludibrijs ac pœnis fuerint affecti, ut nulli queant imputare quod postea tot calamitatibus puniantur, qui toties oblatam dei beniuolentiam spreuerint, ac eius prædicatores crudeliter sunt persecuti. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias, & nolabant uenire.

A

Luce 14. d
Apo. 19. b

Rex iste qui fecit nuptias filio suo deus omnipotens est, eidem sponsam ecclesiam iungens collectam ex Iudæis & gentibus. Seruum autem suum dominus misit, id est seruos multos, Abrahã, Isaac, Iacob, Mosen, Iosue, Samuelem, & similes, qui ecclesiam fidelium regerent & uocarent ad cultum dei ueri, per Christum olim promissum, & in fide uera exhibitum, qui locutus est patribus uerbo suo, & eduxit Israel de Aegypto, in manu Mofi & Aaron: per quos & miles dominus uocauit ad dei uerum cultum & ueram fidem Iudæos ueritatis uerbo, multas quoque gentes ad unius dei cognitionem, quæ semper uiguit in electis, quales multi semper fuerunt inter gentes. Inuitati sunt enim omnes gentes ad amorem & cultum unius ueri dei, in primis autem Israeliticæ, accepta lege & terra promissa, sacerdotio & regno, quibus sibi deus astrinxit eam gentem, quæ tamen pro maxima parte semper dura ceruice rebellis extitit uerbo domini, & ducibus à deo constitutis. Quin & gentes reliquæ, obmissio dei unius & ueri cultu, reuenerunt colere deum obseruantia legis naturæ, sed abierunt post idola & affectus cordis prauis per omnia uitia. A temporibus ergo Mofis, coepit hoc nuptiale conuiuium præparari, quando lex domini data est irreprehensibilis, populo peculiari, conuertens animas, quando ex decem speciebus confectus est cibus decalogi salutaris, ad quem & gentes omnes obligabantur seruandum. Sicut enim regale prandium multis ciborum speciebus ornatur, ita & hoc conuiuium scripturarum diuersis iustitiarum speciebus est decoratum, & salutaribus documentis.

Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum parauit, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias.

Ex eo tempore inuitatores exierunt prophetae, qui homines ad nuptias futuræ sponsi uocarent, id est ad unius dei legitimum cultum, & ad redemptionis ueræ desiderium, ad fidem Christi, prophetantes eis de ipso: at illi noluerunt uenire. Item misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, apostolos scilicet quos misit, dicens: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel: euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum, hoc est quod dicit: Prandium meum parauit, id est ex omni lege & ex omnibus prophetis scripturarum mensas ornaui. Qui sunt tauri & saginata occisa? prophetae qui occisi sunt, procurantes salutem populi & gloriam dei quærentes. Donec nonnulli me immolatus est agnus, qui totius mundi reatum innocentia sua deterfit. Cuius nunc post mortem Christi Euangelium prædicatum est & creditum, quo homines fideles quotidie nutriuntur. Sic & prophetarum uerba non antea fidei autoritate insigni habiti sunt & honorati post mortem. Vnde & dominus dicit: Qui ædificatis sepulchra prophetarum, & dicitis: Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non fuissetis participes eorum in sanguine prophetarum. Omnia autem parata dicuntur, quia quicquid ad salutem queritur, totum impletum est in scripturis: unde ignarus discit & eruditur, contumax & peccator terretur & flagellatur: laborans ad dei gloriam & proximorum salutem excitatur promissionibus uitæ cœlestis & perpetuæ, quas fide manducando & ruminando amplius excitetur ad opus uere bonum & Christiano dignum.

Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in uillam suam, alius uero ad negotiationem suam: reliqui uero tenuerunt seruos eius, & contumelios affectos occiderunt.

Inuitantem tam magnifice & humaniter omnes neglexerunt, cumque inuissent inuitantes, alius aliud excusabat, hic sibi uisendam uillam quam nuper emisset, ille sibi boues inspiciendos quos esset mercatus, alius sibi nuper ductam uxorem à qua diuelli non sustineret. Atque hi tantum sibi dementes erant, qui tam felici conuiuio prætulerint curas quasdam rerum fluxarum uiles & sordidas. Sic inter eos qui non recipiunt Euangelij ueritatem multa diuersitas est. Minoris enim criminis sunt qui occupati alijs rebus uenire noluerunt, his qui contempto inuitantis affectu uerterunt humanitatem in crudelitatem, & tentos seruos regis uel contumelios affecerunt uel occiderunt. In hac tamen parabola sponsi siletur occisio, & per seruorum mortes contemptus ostenditur nuptiarum. Ostenditur enim mors discipulorum Christi, quos post domini ascensionem occiderunt Iudæi, maxime sacerdotes, Stephanum lapidantes, in Iacobum mortem gaudentes, item Iacobum Alphæi lapidantes, propter quæ omnia Ierusalem destructa est à Romanis. Ideo consequenter dicit in parabola.

Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.

Romanus exercitus dicitur exercitus dei, quia domini est terra & plenitudo eius. Nec enim uenissent Romani in Ierusalem nisi dominus eos excitasset, iusto ultionis iudicio, quod ira dicitur, qua est uehementer indignatus, uidelicet lenitate sprete se uertente in furorem, missisque satellitibus suis perdidit homicidas, nec hoc contentus ciuitatem illorum igni succendit. Quibus uerbis Christus monere uoluit Iudæos, ut expectarēt eam à domino ultionem, quam in parabola sumpta de ijs qui regis seruos occiderant memorauerat, scirentque se iam non solum oblata gratiæ non fore participes, sed præterea indicibilibus malis obruendos & perdendos.

Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidē paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunque inuentis, uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quos inueniunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

Refertur hæc iussio ad apostolos Christi, dicentes Iudæis: Vobis primum missum fuerat uerbum dei, sed quoniam indignos uos iudicatis æterna uita, ece conuertimur ad gentes. Exitus ergo gentium sunt gentium regna, foris extra Israel, ex quibus quoscunque inueniebant apostoli uocabant ad nuptias. Uocabant autem obediens tantum, non autem curabant utrum aliquando ante uocationem mali fuerint an boni qui uocabantur: omnes enim quos inueniebant re poterant uocabant. Bonos autem intelligere hic simpliciter conuenit humiliores et rectiores ex eis qui ueniebant ad cultum dei, quibus conueniebat apostolicum dictum, quod ait: Cum gentes quæ legem non habent naturaliter que legis sunt faciunt, huiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium eis perhibente conscientia eorum. Adducti sunt ergo plurimi regno dei translato ad gentes per Euangelium, sed malos cum bonis adduxerunt, quod et supra aliquot parabolis indi-

cavit. Impletæ sunt autem Christi & ecclesiæ nuptiæ, & restituti sunt deo qui ab apostolis sunt inuenti, recubuerunt & recumbunt usque hodie ad epulandum in nuptiis.

B Intrauit autem rex ut uideret discumbentes, & uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intraisti non habens uestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.

Oportuit quidem malos uocari & bonos, non autem ut mali permanerent, sed ut exuerent & deponerent uestimenta inepta nuptiis, & induerent se nuptialia indumenta, id est fidem & charitatem cum fructibus, uiscera nempe misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem: hæc enim sunt nuptialia indumenta. Ideo rex ingreditur, ut uideat discumbentes, priusquam apponatur prandium præparatum eis, tauri & saginata, & omnia præparata, ut uidens retineat quidem habentes nuptialia uestimenta ad quæ delectetur, condemnet autem contrarios. Ingressus ergo inuenit quendam qui non mutauerat proprios mores, qui tota fide nondum domino adhaerebat, nec induerat se nuptialia indumenta, & dixit ei: Quomodo intraisti huc, non habens nuptialia indumenta? Et quoniam peccarat per infidelitatem, & nondum renouatus est fide, nec induit dominum Iesum, quasi non habens excusationem aliquam, obmutuit. Non solum autem reiectus est à nuptiis, qui iniuriam nuptiis fecit, sed adhuc à ministris regis super uincula constitutis, ligatis pedibus, quibus non est usus in uia dei ad bonum, & manibus, apprehensoria uirtute, qua nullum bonum opus impleuit, condemnatus est & coniectus in locum ab omni lumine alienum, in desperationem euadendi perpetuas miseras, quæ uocantur tenebræ exteriores. Sed & si quis nostrum ad inuitationem quidem regis ueniens ad nuptias filij eius, non autem & indutus fuerit, qualia prædicamus nuptialia uestimenta, similia patietur, ligatus manus & pedes expelletur in tenebras exteriores: ubi erit fletus, secundum quod scriptum est: Vbi quid nunc ridetis quoniam flebitis. Et ut ostendat sermo tristitias & dolores eorum in quibus erunt, qui non fuerint huiusmodi fide & charitate induti, idcirco illic erit non solum fletus, sed etiam dentium stridor. Et addit: Multi uocati, pauci uero electi. Si quis enim considerat multitudinem hominum quæ in ecclesijs congregatur, & discussit quanti sunt qui fidei opera exercentes discipulissime conuersantes configurantur huic sæculo, uidebit, quia uerus est sermo domini, dicens: Multi uocati, pauci autem electi.

Marci 12. b. c
Luce 20. d

Tunc abeuntes pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia uerax es, & uiam dei in ueritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis quid tibi uideatur, licet census dari Cæsari, an non?

Iudæi suo modo uiuentes iuxta legis corticem alieno à reliquis gentibus, putabant sibi certandum usque ad mortem pro ueritate & libertate, dominumque credebant certaturum pro se. Ideo contradicebant gentibus dominantibus sibi, ut

bi, ut non transgredierentur legem domini. Et frequenter radicibus interire peccati sunt sub Romanis, uolentibus statuam Cæsaris introducere in templum dei, resistentes & prohibentes fortiores super se factos propter peccata. Sicut tempore Tiberij Cæsaris, sub Pontio Pilato cogente ut Cæsaris statuam in templo susciperent, Iudæis supra uires suas resistentibus: similiter et tempore Caij Cæsaris. Id certe quod grauius erat captiuitatibus uniuersis: quoniam omnis captiuitas, quam frequenter sunt passi, corporis erat uexatio fidelium: introductio autem statuæ in templum, animarum erat interitus, ut hic Origenes testatur. Et in tempore ergo Christi quando tributum iussi sunt dare Romanis: consultabant Iudæi, utrum deberent qui dei populus erant & portio eius, tributa dare principibus, aut potius pro libertate bellum suscipere, nisi permitterentur uiuere ut placebat. Iudas ergo Galilæus, de quo Lucas in Actis, auellens multam multitudinem Iudæorum, docebat, non oportere Cæsari dare tributum, neq; dominum neq; Cæsarem appellare. Herodes autem tetrarcha populo suaudebat, ut statui præsentem consulerent, & non uoluntarie contra fortiores suscipere bellum, sed acquiescerent dare tributum. Vnde & hoc loco occasionem susceperunt pharisæi, uolentes Christum capere in sermone, mittentes discipulos suos cum Herodianis, ut eum interrogarent, utrum liceret Cæsari dare tributum, an non. Forsitan autem in populo tunc erant, qui dicebant oportere dare tributum Cæsari: & hi uocabantur Herodiani ab his qui hoc facere recusabant. Qui autem libertatis zelo dare tributum uetabant, uidebantur esse pharisæi, subtilitatem Iudaicarum disciplinarum cautius obseruantes, ut si quidem Christus responderet non oportere Cæsari dare tributum, traderent eum Romanis, quasi recessionis authorem: si autem iuberet dari, pharisæi accusarent eum quasi personas hominum aspicientem, magis quam docentem uiam dei in ueritate. Considerandum autem quomodo discipuli pharisæorum laudibus pro uocare conantur, ut non acciperet Herodianorum personas, qui partes Cæsaris defendebant, sed secundum uoluntatem pharisæorum definiret, non licere tributum pendere Cæsari, sicq; Herodianis traderetur. Vbi iterum apparet parosidium contra pietatem, quod iungebat alioqui disiectissimos. Malitia quoq; blande adulantium, & hypocritarum laudationem simulatam, qui laudant ut perdant, catenam subdolæ laudis portantes in ore, & gladium malitiæ abscondentes in corde. Veluti si quis taurum ualidum uiribus non potest subiugare & uineulo flectere, mollibus manibus nodosam eius fricat ceruicem, ut quem uirtute tenere non potuit, per blandimentum comprehendat. Tanta quoq; cæcitas erat, ut toties re frustra tentata non conquiescerent. Nec pudet inconstantiam, qua nunc magistrum appellant, cum antea calumniati sunt illum spiritum habere Beelzebub. Et libertatem illius collaudant, ne uereatur Herodianos offendere. Magister, inquit, nouimus te ueracem esse, nec assentiri cuiquam, nec mentiri quicquam, sed magna cum libertate doces quod deo placitum est, non quod hominibus uidetur.

Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ: ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.

Vt ostenderet Christus non se latere illorum insidiosam blandiloquentiam, ita temperauit responsum admirabili sua sapientia, ut neutri factioni se redderet obnoxium, sed utranq; moneret, quod magis ad illorum salutem attineret, nimirum ut deo principi summo soluerent censum pietatis. Quid me, inquit,

tentatis hypocritæ: ostendite mihi numisma census. Conabantur enim Iesum illaqueare uerbis ipsius, ille uicissim eos illaqueat ex ipsorum responsis. Obtrulerunt igitur denarium, qui Cæsaris habebat imaginem ac titulum: ubi notatur moneta Romanorū Iudæos hoc temporis usos fuisse, eoq̄ constare denarium, hoc est drachmam. Non est malitia quamlibet occulta quam dominus non aspiciat. Hypocritæ sunt qui aliud sunt & aliud simulant, aliud opere agunt, aliud uoce prætendūt. Non se patitur tentari dominus, sed fiducia pietatis frui uult. Census debetur magistratibus, ideo reddendus. Numisma est de rebus licitis & utilibus. Pharisei blandiebantur ut perderent, Iesus confundebat ut saluaret. Vtilior est homini deus iratus, quam homo propitius.

Roma. 13. 6

Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt dei, deo.

Vt se declararet dominus non in hoc uenisse ut leges ferret hisce de rebus quæ nihil attinebāt ad pietatem, quæq̄ pro tempore aut recte fieri possent aut secus, nūmo conspecto quasi parum agnosceret eiusmodi literas atq̄ imagines qui coelestia tractabat, rogauit, cuius esset inscriptio & cuius imago. Respondit sum est, Cæsaris. Quem non hic putemus Augustum sed Tyberium significari priuignum eius, qui in locum successit ipsius, sub quo passus est dominus. Omnes enim reges Romani à primo Caio Cæsare, qui imperiū arripuerat, Cæsares appellati sunt. Videtur autē responsio domini hūc habere sensum, quem tamen occæcatis phariseis, et non nisi captiose quærentibus innuere maluit, & explicare: A deo est ordinata omnis potestas, neq̄ poterit ulla uobis nisi ipso uolente dominari. Iam potiuntur rerū apud uos dudum Romani, quod relictur monetæ inscriptio. Reddite igitur tributum quod à uobis Cæsar requirit. Noluistis domino in libertate seruire, seruiendum igitur nūc est hominibus libertate amissa: id tamen impietatis uos non obligabit, potestis nihilominus deo quæ dei sunt reddere, id facite, mentem uestram illi consecrate, tum fidem ceremonijs legis testamini ut potestis, sin minus, nō erit quod pro eo uobis de minus irascatur. Vnde & nos discamus à deo nobis impositum magistratum agnoscere, eiq̄ in omnibus quæ non sunt impia parere. Nihil enim officit pietati, si quis deo dicatus det principi prophano tributū, etiamsi non debeat, male obsequi quam prouocare, præsertim in ea re quæ pauperiorem reddit non impium. Alioqui si exigat quod uos reddat impios, non iam Cæsaris tributum est sed diaboli. Numisma Cæsaris aurū est, numisma dei homo est. Diuinitis Cæsaris imperat, conscientia innocentiæ deo obligamur, qui imaginem suam in anima hominis suis demōstrauit apicibus, quinq̄ sensibus carnalibus, & quinque que spiritualibus, quam dei imaginem semper illibatam eidem reddamus, humilitate ritate perspicuam, fide sanctificatam, spe certam, patientia firmam, humilitate tranquillam, castitate puram, parsimonia sobriam, conscientia tranquillitate iucundam, hospitalitate deuotam, misericordia piam, & deo conformem. Tali bus enim inscriptionibus suum deus numisma formauit ad suam effigiem, nō mallei uel incudis ictu composuit, sed prima conditione creauit.

Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.

Audito hoc responso admirati sunt, primum quod intelligerent illum non latuisse dolosum commentū, deinde prudentiam admirabilem, cui frustra tenderet insidias humana uersutia. Mirati sunt quidem, sed non sunt immutati. Et relicto

relieto eo desiere prouocare, quem uincere non poterant, sed non desierunt odisse, quem amare debebant.

In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem,

Marci 12. b
Luce 20. d
Acto. 23. b

Nulla impietatis factio Christum non impugnabat, quātumuis se inuicem peius cane & angue odissent, quia ab uno agebantur satana omnes, quem exarmaturus uenerat Christus. Vnus dies est multa certamina, ut uel inuadendi affiduitate dominum superarent, dum interim de fonte uiuo aquæ salientis in uitam æternam haurirent sermones ad sui iudicium, à quibus refici debuissent. Erant autem duæ hæreses in Iudæis, Phariseorum una, qui iustitiam præferentibus quàm legis diuinæ. Altera Sadducæorum, quæ factio fuit crassior & indocior, dissentiens in hoc à pharisæis, quod negant esse resurrectionem corporis humani, adeo ut nec angelos esse credant, nec animas extare semotas à corpore, nihil esse putantes quod non uideatur. Non solum autem hanc carnis resurrectionem negabāt, sed etiam animæ immortalitatem tollebant, ut quibusdam uidetur, secundum quos & Samaræi sapiebant. Nec non etiam apostolorum tempore quidam erant ex Corinthiis animæ uitam post mortem negātes, propter quos Paulus dicit: Si in hac uita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiles sumus omnibus hominibus. Quamuis enim quis carnis resurrectio nem non credat, tamen qui animam æstimat immortalem, non tantum in hac uita sperat in Christo. Hi ergo Sadducæi cum audissent Christum crebro meruisse uitæ æternæ, & futuri sæculi, ac resurrectionis iustorum, adoriuntur illum experimentum facturi utrum cum pharisæis sentiret, an sibi contraria doceret, ut uel caperent illum si secum pugnaret, uel irriderent si cum pharisæis sentiret.

& interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Deut. 25. b

Lex cuius hic Sadducæi meminerunt legitur Deuteronomij 25. Lata uero fuit ut & aliæ politicæ omnes, publicæ tranquillitatis causa, quam non parum sanè promouet si hæreditates impermixtæ maneant, & qualibet familiæ suas possideant, quare dominus & familiarum perpetuitati, & legitimæ successioni diligenter consuluit, cum alijs tum hac lege, quam obiecerunt Sadducæi, ut frater demortuo sine semine fratri ducta eius uxore excitare posteritatem conaretur, ac primogenitum ex fratria eius nomen & hæreditatem possidere faceret, ueluti demortuo fratri adoptatum. Quæ cum ciuili lex sit, hæctenus & Christianis magistratibus obseruanda erat, ut & ipsi suis oportunitis medijs & legibus eo spectarent, quo manente apud quamlibet familiam sua hæreditate, cum plus pacis seruarietur, tum alienis hæreditatibus insidiātium auaritiæ atq; decocorum nepotationibus potētius occurreretur. Priuati uero ex ea discāt, ut quemadmodū quisq; natura sibi ipsi in liberis superstes esse cupit, ut ad idem & alijs faueat, sitq; cōtentus sua sorte, atq; alijs suas hæreditates non tantū non cupiat inuadere, sed etiam hæredibus suis saluas seruare libenter operam impendat: sunt enim hæc synceræ dilectionis officia. Verum de hac lege suo loco.

Erāt autem apud nos septem fratres, & primus uxore ducta defun-

ctus est: & non habens semen reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus & tertius usque ad septimum. Nouissime autem omnium, & mulier defuncta est. In resurrectione ergo, cuius erit de septem uxor omnes enim habuerunt eam.

Qui resurrectionem corporum non credebant, & animam putabant interire cum corporibus, recte huiusmodi fingunt fabulam, quæ deliramenti arguat eos, qui resurrectionem asserant mortuorum. Potest autem fieri ut uere in gente eorum aliquando hoc acciderit, quod tamen exempli gratia adductum necessario accidisse non oportet. Potuit enim & confingi, ut Christum in dubium traherent, ut resurrectionem arguant, & Moysen signum suo patronum faciant. Et cuius ex illis, dicunt, erit mulier siue uxor? Diceret quis: O impudicus Sadducaei, Prioris qui duxerat uxor erit, si quidem concederemus in resurrectione nuptias fore: alij enim etiam si mariti, tamen accessorij erant respectu primæ. Tandem autem fabulæ opponunt turpitudinem, ut resurrectionis denegent ueritatem, putantes hoc modo se inuenisse acutissimam rationem, ut dicant: Sicut non est possibile, ut ea mulier quæ fuit septem uirorum, sit unius uxor, sic fieri non potest, ut fiat resurrectio mortuorum.

Respondens autem Iesus, ait illis: Erratis, nescientes scripturas neque uirtutem dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli dei in caelo.

Ad hanc interrogationem quoniam plus habebat ignorantiae quam malitiae Iesus dignatus est respondere. Etenim qui per inscitiam errat, dignus est quod doceatur. Cæterum qui mera malitia sciscitantur, indigni sunt responso. Erratis, inquit, qui scripturas legitis quidem, at non intelligitis, & nihil imaginantes sitis praeres corporeas quas uidetis. Nescitis uirtutem dei, qui mirabilior est in his quæ non uidentur. Hic ubi uices sunt nascentium ac morientium coniugium adhibetur ad propagationem humani generis: cæterum ubi iam absorpta est mortalitas, & homines erunt immortales, quod futurum est in resurrectione quæ nos reddet eosdem quidem sed immutatos, neque ducet quisquam uxorem, neque nubet ulla: nihil enim illic opus coitu, ubi mors non erit. Si autem Sadducaei scripturas & uirtutem dei cognouissent, non absurdum putassent renouari rursus homines in uitam ab eo qui ante ipsos condiderat ex nihilo, imò ad imaginem dei conditi, sperassent se omnino ad eam regenerandos. Si uero illi iidem non potuissent ignorare, tum agnouissent longe aliam uitam in futuro expectandam quam hic agimus, nimirum ut immortalem, ita ab opere gignendi alienam, eoque ad eas leges quibus praesens uita instituitur nequaquam pertinere, neque posse ex eis colligi huiusmodi aliquid, quale erat quod ipsi de septem uirum muliere obieciabant. Discimus uero hinc uitam angelicam nos in futuro uicturos, planè ab omni corruptione & immutatione alienam uereque beatam. Discimus quoque dei uirtutem ignorare eos, qui scripturas uel non legunt uel non intelligunt, qui secundum scripturas uiuere dedignantur. Qui enim scripturas de deo legens uult inuenire deum, festinet uiuere deo digne. Qui secus agit, non deum querit ad salutem suam, sed dei scientia abutitur ad gloriam uanam. Ideo & si semper legat nunquam inuenit, sicut nec philosophi inuenerunt, qui ipsam causam quærebant non colebant.

Exod. 3.6

De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à deo, dicente uobis: Ego sum deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob.

Job: Non est deus mortuorum, sed uiuentium.

Tacite notat hanc tam absurdam quaestionem esse natam ex falsa persuasione, qua credebant nullam esse resurrectionem, & non dedignatur hanc opinionem ex animis illorum reuellere, docens & hoc ex Mosis libris colligi, cuius autoritate fuerant aggressi Iesum. Cur autem perperam sentitis, inquit, de resurrectione mortuorum, quasi non & hanc palam docuerit Moses, cuius scripta crasse parumque attente legitis. An non legistis quid apud hunc loquatur deus: Ego sum deus Abraham: &c. Hi si toti perissent morte corporum, non diceret se esse deum illorum, sed fuisse. Cui enim deus deus est, illi benefacit, id est deum se ei exhibet, iam uita in totum expertibus & in eam nunquam reuocandis quid benefacit: Non sunt igitur sancti extra participationem uitae. Quod si est deus illorum, utique uiuunt illorum animae, uiuunt & ipsi toti quodammodo spe resurrectionis futurae. Deus est enim uita, nec est deus mortuorum qui iam esse desierunt, sed uiuorum. Ita docuit illos esse quidem resurrectionem, sed non esse talem qualem imaginabantur quum proponerent stultam de septem fratribus quaestionem. Discamus hoc loco, ut calumniatoribus nostris prius rationem exponamus, postea autoritatem, ut ratione quidem eos placemus, autoritate confirmemus. Calumniatores enim oportet conuincere, interrogatores autem docere. Calumniatores enim, & si intelligit rationem, non tamen acquiescit, fratribus autem resurrectionis ueritatem alijs quibusdam manifestioribus exemplis Christus uti potuit, & indicijs, quandoquidem & generalis fidei articulus fuit apud omnes fideles, unius ueri dei cultores, qui idcirco sepulturarum rationem habuerunt honestam, & futurae uitae felicitatem crediderunt praemium uirtutis & fidei. Quae articulum clarius docuit Christus, & spiritus sanctus in apostolicis scripturis, uerbis quam plurimis & exemplis, Christi in primis resurgentis, & prophetarum multis scripturis, quas perfidi ut admittere uel intelligere non uolunt sic eadem resurrectione ad uitam digni non erunt. De qua tamen quaestione plenius scribitur in extrema parte primae epistolae ad Corinthios. Quia uero circumstantes turbae mysterium resurrectionis cognoscebant ex scripturis, & catholica fide tunc ut semper eandem approbante, & uerbis Christi multipliciter ostensa, ideo admiratae sunt de doctrina Christi & responsis eius, quemadmodum consequenter dicitur.

Et audientes turbae mirabantur de doctrina eius.

Videbat populus ora improborum obturari, ut domino respondere non possent prudentibus Christi responsis exclusi, unde & admirabantur efficaciam ac promptam doctrinam. Solidius enim erat iudicium uulgi pendentis ex ore ueritatis & Christi spiritu tracti, quam pharisaeorum & Sadducaeorum, qui inuidia & auaritia deprauati Christi domini uerba & opera ex animo detestabantur, ut sibi aduersa. Re uera enim admiranda erat Christi doctrina & clarissima, quam populus intelligere facile poterat & approbare, longeque profusior & amplior quam ut libris comprehendere potuerit.

Pharisaei autem audientes quod silentium imposuisset Sadducaeis, **D** conuenerunt in unum, & interrogauit eum unus ex eis legis doctor, ten

Quod de Herode & Pilato legimus in domini nece eos fecisse concordiam, hoc etiam nunc de pharisaeis cernimus & Sadducaeis, qui inter se contrarii sunt,

Marci 12. e
Luci 10. e

sed ad tentandum dominum pari mente consentiunt. Qui ergo iam supra in
 offensione denarij fuerant confutati, & aduersae partis factionem uiderant sub
 rutam, debuerant exemplo moueri ne ultra molirētur insidias. Sed maliuolentia
 & liuor nutrit impudentiam. Cum ergo pharisaei uidissent obmutuisse Sed
 ducaos, exprobrata etiam inscitia scripturarum, rursus ueluti recepto spiritu
 sese pharisaei conglomerauerunt, ac unum quendam legisperitum subornant, qui
 doctus uidelicet quaestione Christū adoriretur, quo uel illum argueret inscitia,
 uel ipse laudem eruditionis auferret. Sed ut ex domini ad eum responsione li
 quet, quae in Marco legitur, motus domini uerbis fuit nonnihil ad ueritatem,
 atq; ita nonnihil regno dei adductus est. Quod futurum Christus sciens, tam
 apertius & benignius illi respondet. Conuenerunt autem in unum pharisaei ut
 multitudine uincerent, quoniā ratione uincere nequiuērūt. A ueritate nudos
 se esse professi sunt, qui multitudine se armauerunt; dicebant enim apud se. V
 nus loquatur pro omnibus, & omnes loquamur per unum, ut si quidem uice
 rit, omnes uideamur uictores; si autē uictus fuerit, uel solus uideatur cōfusus.

Deut. 6.4

Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus: Dilige
 dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in
 tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum.

Præceptum hoc omnium primum & maximum legitur Deutero. 6. his uer
 bis: Audi Israel, dominus deus noster dominus unus. Et diliges dominū deum
 tuum toto corde tuo, & tota anima tua, & tota uirtute tua. Quod nihil aliud est
 quam ita diliges ex animo deum tuum, ut cunctam naturam omnesq; uires tu
 as amor eius peruadat & possideat, mens eum ante omnia cogitet, uoluntas in
 eo tota delectetur, cunctaq; uires ad placita ipsius rapiantur. Quae utiq; dilec
 ctio solidae fidei primus fructus ac ceu primogenita proles existit. Ut enim ani
 mo hominis statim per spiritum sanctum de bonitate dei recte persuasum est,
 quemadmodum certo cognoscit omnium optimum etiam sibi deum, ita non
 potest cor ipsum non super omnia amare. Hinc continuo mens tota est in cogi
 tanda ineffabili eius uirtute & bonitate, rā ut eam alijs suadeat q̄ ut uita pro ut
 rili exprimat: inde ad dei uoluntatē conuertitur, quicquid in homine est. Quod
 uero hanc dilectionis dei uim magis explicaret Christus Mentem adiecit. Ma
 gnum autem & minimum mandatum dicimus, quantum ad dignitatem manda
 datorum, non quantum ad utilitatem, quae omnium una est, & omnia manda
 ta unū sunt, quia sic cohaerēt, ut alterū sine altero seruari omnino non possit. Di
 liges, inquit, non dicit timebis, quia diligere maius est quam timere. Inchoatio
 sapientiae & culturae dei timorem habet, perfectio autem dilectionem. Timere
 seruorum est, diligere filiorum. Non uult dominus ut seruiliter timeatur ab ho
 minibus quasi dominus, sed ut pater diligatur, qui adoptionis spiritum dona
 uit fidelibus, qui & ab initio creationis magis se patrem haberi uoluit ab homi
 nibus quam dominum. De uehementia autem dilectionis iam dictum est, & ea
 dem uide loco suo in Deuteronomio.

Leuit. 19. d

Marci 12. c

Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te
 ipsum. In his duobus mandatis uniuersa lex pendet & prophetae.

Præmissum primum illud & maximum præceptum nemo uere seruauit
 seruet & secundum illi simile: siquidem alterum ex altero pendet. Diliges pro
 ximum tuum sicut te ipsum. Quicquid enim in tota lege præcipitur, quicquid
 docent prophetae, hoc totum in his duobus præceptis comprehenditur. Quis
 quis

quis enim deſi toto pectore diligit, nihil negliget quod ille præcepit: & qui proximum diligit tanquam ſeipſum, is nec furabitur, nec adulterium committet, nec falſum dicet teſtimonium, nec concupiſcet rem alienam. In ſumma nihil alteri faciet quod ſibi fieri nolit. Omnis igitur dei lex huc ſpectat, & nos ad id uocet, ut perfectũ bonitate deum & ipſi boni in omnes beneficijs noſtris pro uirili referamus. Hæc imago cœleſtis eſt, quæ amiſſa ſemel, debet quotidie in nobis reſtitui, ad quam & cõinuo ſpiritus Chriſti electos reformat. Quare cum huc uentum fuerit, ut iſti legi de diligendo proximo uiuatur, uere dilectio dei iam poſſidetur, ex qua nimirum prouenit hæc mandatorum eius obſeruatõ, & beniuolus iſte in quolibet animus, qui perinde alijs conſultum cupiat atq; ſibi, totusq; in eo ſit, ut commodans multis, commodantẽ omnibus patrem ſuum cœleſtem referat. Hæc tamen dilectio proximi faciet facere & ferre quæcunq; aliqua ratione proximis utilia eſſe cognouerit. Quo pacto ſemel iam obſeruatũ quicquid omnino legum eſt, ſiue externam ſiue internam uitam reſpicientium. Vnde recte hic dominus dixit, in his duobus mandatis totam legem & prophetas pendere, id eſt totam uitæ doctrinã, quam conſummatiffimã deus propoſuit in lege & prophetis ſuis. Qui enim deũ uere diligit, is neceſſe eſt ut ſolidam fidem habeat, & ad ipſius uoluntatem totus comparatus ſit, mox ſequitur uitæ perfectio ſancta ac decẽs. Eſt autem hic in his ordo, primum omnium audire & agnoſcere deum noſtrum & dominum, in quo ſolo omnes ſpes noſtræ collocentur; id perſuaſione ſpiritus ſancti conſtabit, unde & cor accenditur ut uere diligat quem nouit optimum: mox hic amor dei in nobis, omnia in nobis transformat ad ipſius uoluntatem: unde demum amor proximi, & ab ipſo uita ſequitur decentiffima, planeq; ad imaginem dei comparata. Tunc phariſæus ex tentatore iam propemodum factus diſcipulus, ſubiicit: Vere ac recte dixiſti magiſter, quod unus ſit deus, quodq; non ſit alijs præter eum, quodq; hic ſolus ſupra cuncta, totis cum uiribus diligendus, quodq; omnes affectus noſtri ſint in unum illum transferẽdi, quodq; diligere proximum perinde atq; ſeipſum maius ſit omnibus holocauſtomatis & ſacrificijs. Ieſus uidẽs quod prudenter reſpõdiſſet neq; pergeret inſidiari, ait illi: Haud procul abes à regno dei. Intelligebat enim phariſæus quid eſſet optimum, tantum hoc deerat, ut affectu ſequeretur, quod intellectu tenebat. Atq; interim tacite mordet conſcientiam quorundam phariſæorum, qui Ieſu moliebantur inſidias capitales, eoq; quum illi tantum interrogaffent de ſummo mandato, cuius obſeruantiam ſibi falſo arrobabant, ultrò adiecit & ſecundum de proximo diligendo. Nondum enim ſuſpicabatur Chriſtum eſſe ipſiſſimum uerbum dei & domini. Certe proximum ac benemeritum negare non poterant, in quem tamen machinabantur quod nemo ſibi uellet accidere.

Congregatis autem phariſæis, interrogauit eos Ieſus, dicens: Quid uobis uidetur de Chriſto? cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu uocat eum dominum? dicens: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid uocat eum dominum, quomodo filius eius eſt?

Ultimus hic Chriſti ſermo ad phariſæos & aduerſarios fuit, quo prouocare illos anniſus eſt ad ſe cognoscendum, quo ſermone uoluit regni ſui admonere, & ſimul erigere animos eorum qui ſanabiles erant, uti Chriſtum expectarent

Marci 12. d

Lucæ 20. d

Pſal. 109. d

maiolem carnali regi, eoque & maiolem Dauidi patri suo. Carnales enim Iudaei non nisi carnalia spectabant & sperabant. Porro excellentiorẽ Dauidẽ Christum ex eo uoluit agnosci, quod de Christo ex spiritu dei Dauid loquens appellauit eum dominum suum, quod pater filium non appellasset, nisi se maiolem agnouisset. Voluit ergo adducendo hunc Psalmum de inuicta regni sui potentia & uictoria contra hostes suos cogitationes illis mouere. Quasi diceret: Nihil omittitis quo me impugnetis, tam abest autem ut me expugnaturi sitis, ut paulo post ad dexteram suam me pater sit collocaturus in summam rerum omnium potestatem, quam exercebo, donec uos & omnes hostes mei subsellium pedum meorum positi fuerint. Interim emittet pater ex Sion uirgam uirtutis suae & meam, sanctum Euangelium regni, potentiam saluatricem omnium fideliũ eo: quae & in medio inimicorum meorum dominabitur, nequicquam uobis & alijs repugnantibus. Tum erit tempus uirtutis meae cum sit modo humilitatis, tum in sancto decore adorabunt me omnes gentes, quem uos paulo post necedabitis & crucifigētis. Cetera eiusdem Psalmi uide suo in loco, ex quo clare declaratur regnum Christi uniuersale, æternum, sacrosanctum, & pacificum, quod & quale non nisi diuinum esse potest, unde & Christum esse dei filium iuxta naturam diuinam, Dauidis autem progeniẽ iuxta humanam satis luculenter demonstrat, per ænigmata quidẽ subindicans quod post apostolis explicandum latius reliquit suo tempore. Sibi non solum esse naturam humanam quam uidebant, & in quam essent fauirituri, uerum etiam diuinam, quam utcumque uideatis poterant coniectare, nisi liuor, odium, ambitio, auaritia, ceteraque uitia animos eorum excæcassent.

Et nemo poterat ei respondere uerbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

Post hanc quaestionem nemo potuit ei quicquam respondere, ita exerebat sese in uerbis eius spiritus sanctus, qui & in nobis tanto ager potentius, quanto mundo uidebimur pro gloria dei periculo & cruci uiciniores. Vtque Christus nunquam maiore gloria & uirtute sese inspiciendum praeuicit agens in carne, quam tunc cum proximum supplicium esset: ita & nobis uera gloria ac salus nunquam praesentior aderit, quam cum pro ipsius nomine ad interitum carnis propius accesserimus.

CAPVT XXIII.

AUc Iesus locutus est ad turbas & ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribae & pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint uobis, seruate et facite, secundum opera uero eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.

Cum toties illis pharisaeis obstruxisset os, teste multitudinem, ne prorsus illorum autoritas concideret apud populum, cui doctores praesidebant, audientes quidem docet, at non imitandos. Quamquam enim maxime conuenit, ut qui doctoris munus suscipit integritate uitae fidem & pondus conciliet suae doctrinae, tamen non expedit omnino contemnere salutiferam alioqui doctrinam ob doctoris improbam uitam. Reuerentia, quam illorum mores non promerentur, danda est auctori cuius praeccepta recitant. Neque enim polluitur lex dei si per os improbi doctoris profertur, ipsi quidem inutilis est, sed accipienti prodele. Auersus igitur a pharisaeis Iesus, in quibus nullam uidebat esse spem uitae emendationis,

datioris, turbis ac discipulis loquitur in hunc modum. Ipsi scribæ & pharisæi se uobis produunt quàm sint animis corruptis, quàm inuidi, quàm auari, quàm inanis gloriæ cupidi: sed tamen ob muneris authoritatem audiendi sunt. Occupant cathedram Moysi cuius legem docent. Quæ docent sancta sunt; docent enim uerbum domini, docent sanctimoniã, fidem & sanctos mores, quæ a se aliena sunt, uita namq; longelateq; dissidet à doctrina. Proinde quæ uobis præscribunt secundum dei uerbum ex autoritate Moysi seruate & facite, sancta sunt enim & deo grata, à quo & præcepta: docet enim legem & prophetas. Sic doctores ecclesiarum si bene uixerint ipsorum est lucrum, si bene docuerint auditorum. Accipiant auditores quod suum, non discutiant alienum. Sacerdotes etiam infideles docere possunt propter fideles, propter bonos etiam malos fouendi, non propter malos boni sunt negligendi: sic propter bonos sacerdotes etiam mali honorentur, ne propter malos etiam boni contemnãtur. Melius est enim mali iusta præstare, quàm bonis iusta subtrahere. De homine malo potest bona doctrina procedere, ut uilis terra aurum pretiosum producit, propter quam non contemnitur, aurum eligitur, terra relinquitur: sic doctrinam amplectamur, mores relinquamus. Scire bonum & malum in natura est positum, facere uero in uoluntate & gratia dei.

Alligant autem onera grauiã & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Luce 11. 2

Corporalia legis mandata secundum literam onera sunt grauiã, & alligationes non leues, sicut Petrus testatur in Actis apostolorum, dicens: Quid tentatis deum, & uultis imponere iugum super ceruicem discipulorum, quod neque nos neq; patres nostri potuimus portare, sed per gratiam dei credimus salui fieri: Multo tamen grauiora ceremoniarum legalium et traditionum onera imponuerunt pharisæorum magistri populo Iudaico, in multitudine lotionum, ieiuniorum, delectu ciborum, genere uestium, stulta quiete sabbatorum, præparacionibus epularum, & multa id genus, de quibus usq; hodie tractant Talmuridici doctores, discipuli talium pharisæorum doctorum, qui Christi temporibus docuerunt, quorum quidam Christianam religionem amplexi, degenerauerunt in Manichæorum stultitiã & impietatem. De huiusmodi obseruantijs multiplicatis hic Augustinus loquitur, quales & postea inter Christianos fuisse constat, & plangit Augustinus ad Ianuariũ scribẽs: quales & monachorum patres fuisse constat ex dictatis ab eisdem regulis. Chrysostomus quoque hoc loco in opere imperfecto de pœnitentiã regulis memorat. Leuiora autem omnia comprobantur, quàm ea quæ Romanorum cum tempore præsidis & pontificis sumus, & secundum dei uerbum nunc tandem contemnere sana conscientia didicimus. Vere enim ieiunia, preces, pœnitentiã, disciplinã, uigiliã, peregrinationes, & castitates imposuerunt conscientijs alioqui timoratis, cum ipsi nihil horum uel minimo digito contingere uel mouere uoluerint, sicut pharisæi & similes Christi tempore plus quàm totam legem seuerissime exigebant, ipsi sibi nihil nõ indulgentes, in alios austeri, in se lenissimi. Colligunt enim fasciculos præceptorũ graues & importabiles, & imponunt humeris alienis, quod ipsi ne digito quidem dignantur attingere. Onerant enim legem per se fatiosam suis constitutiunculis, quo sibi concilient opinionem eruditionis & sanctimoniã. Quod si qua præstant iuxta legis præscriptum, non id faciunt ex

animo, sed ad laudem auramque popularem. Unde & sequitur in litera in uerbis Christi.

Marc. 12. d

Luce 11. f. 20. g

Omnia uero opera sua faciunt ut uideantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificent simbrias. Amant autem primos recubitus in cenis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi.

Docebant quidem ex lege & prophetis ut omnia fierent ex uera fide iustoque timore domini, ut ueritas & aequitas coleretur, quisque proximo faceret quod sibi uellet fieri, in ceremonijs legis cor uere credulum & dei gloriae deditum haberent &c. Dicebant autem haec, sed non faciebant: siue enim praestarent elemosynam, siue orarent ac ieiunarent, omnia faciebant in hoc ut ab hominibus spectarentur, ubique sua querebant. Aberat quoque eis iudicium, misericordia, fides: nihil nisi hypocrisis erat omne illorum studium, si quid boni facere uidebantur. Sic enim hostis humani generis ubique occasiones accipit & adducit ac recia texit, ut etiam ex spiritualibus spiritualia fascinentur & corrumpantur, ne quid sincere remaneat in spiritualibus quoque. Ideo unumquemque aggreditur secundum conditionem & statum quem inuenerit circa eum. Clericos ergo tentat inuidia & ambitione, dum etiam sacerdotes qui positi sunt in ornamentum populi, in eius ficationem sanctitatis ex eorum ministerio, diabolus corrumpit ministerium ipsorum, dum uolunt placere hominibus, nolunt inter se habere uel ferre meliorem, ideo difficile tales poenitentiam agunt. Dilatant phylacteria, cum deus post praeccepta legis edita subiecerit: Ligabis ea in manu tua, & erunt in uisum tuum per in oculis tuis: nimirum illud sentiens, non oportere unquam obliuisci praecceptorum dei, sed ad horum regulam componendas esse omnes uitae actiones. Isti cum prorsus negligant obseruare iussa dei, tamen specie falsa se iactant apud populum. Obambulant lata phylacteria circumferentes, incedunt latis ac magnificis simbrijs, in his praeccepta legis ostentant inscripta, cum in uita nusquam appareant. At haec animis inscribi oportuit, uita decebat exprimi. Sic placere oculis dei, cui uni uita nostra ceu fabula quaepra agitur. Sed hoc spectatore contempto, uilissimam laudem affectant apud imperitam multitudinem. Et cum ubique deceat doctorem moribus dictis atque ipso etiam uultu praese ferre uirtutem eximiam, isti nusquam aliud agunt, quam quod est inanissimum, ac uix etiam uero dignum. Si quo uocantur ad cenam, illic pueriliter ambitiosi sibi placent, quod ipsis locus tribuitur honoratior. In synagogis & publicis conuentibus amant primae sedis honorem. Cum uersantur in foro, gaudent honorifice saluari. Cuius si soli sint honore digni, aut soli sapiant, quum hoc ipso minimi sint apud deum, tur plurimum sapere. Vocari uolunt magistri, non esse: nomen appetunt, officium negligunt.

Iacobi 3. 4

Vos autem nolite uocari Rabbi; unus est enim magister uester, omnes autem uos, fratres estis.

Soli deo debetur honos, qui solus uere magnus est & honorandus, soli deo debetur laus sapientiae, soli autoritas. Harum rerum si quid est in hominibus, umbra quaedam dumtaxat est, si ad dei magnitudinem conferatur, & hoc ipsum a dei largitate profectum est. Proinde si quid honoris tribuunt homines hominibus ob dei dotes, quas in illis esse suspicantur, non debet sibi uendicare curam

buitur, sed totum ei transcribere, unde totum & gratis habet si quid habet bo-
ni. Vos autem meos discipulos, nolim istis esse similes, quin potius memores
exempli doctrinaeque meae, fugite cognomen arrogans sapientiae, neque uobis ipsis
placeatis, si quis appellet Rabinos, hoc est magistros nostros: unus est enim, in
quem uere hoc nomen competit. Hunc magistrum habetis communem, in
autem ad illum collati nihil aliud estis quam condiscipuli ac fratres inuicem, in-
ter quos mutua charitas omnia reddit paria. Nec decet ut quisquam semet an-
teponat alteri, sed longe diuersum certamen est, nimirum ut alius alij cedat ho-
norem, & alius alium officio praueuiat. Itaque nec magistrum quenquam appel-
letis in terris, quando quicquid habetis salutiferę doctrine, id totum debetis deo.
Ex hoc docet quisquis recte docet, illius afflatu proficit quisquis uere proficit.
Qui alium magistrum sequitur, nempe hominem, uel mendacium sequitur, cum
sit omnis homo mendax, uel Christi uerbum homini tribuit, ut iam non sit dei
uerbum. Ideo apostoli omnia referebant in Christum, nolentes ipsi aliud quam
ministri & mysteriorum dei dispensatores agnosci, qui & dijudicarentur in do-
ctrina & uita a reliquis, & probarentur. Quicumque certus non est in animo id
quod credit Christi uerbum esse, Christo sane non credit, sed ei cuius uidetur
sibi uerbum amplecti. Si uero certus est Christi se uerbo credere, non poterit a-
lium eius authorem agnoscere, nec de sua scientia superbire, nec firmiter adhe-
rere homini cuiusque, in re sibi non omnino perspecta, ne non tam dei uerbo cre-
dere se credat quam hominis authoritati, etiam si sepe uerum dixerit & sanctum:
labi enim omnis homo potest & fallere, domino non suo spiritu dirigente in
omnibus.

Et patrem nolite uocare uobis super terram: unus est enim pater ue-
ster qui in caelis est. Nec uocemini magistri: quia magister uester unus
est Christus.

Nec posthac patris honorificum uocabulum homini tribuatis in terris, se-
mel professi patrem caelestem, cui uere debetis & uitam & quicquid habetis, et
unde pendetis toti. Ne quis igitur honorem soli deo debitum sibi uendicat. Ne
mo homini tribuat quod soli deo debetur. In hunc unum omnis laus, honor, &
gratiarum actio est transferenda. Si quis bene docet, laudetur in illo sapientia
dei, quae se per illum exerit communicatque. Si quis cura sollicitudineque patrem
agit, laudetur bonitas dei, quae per illum nobis prospicit. Neque uero haec dicit do-
minus, quod impium sit praepceptorem praepceptoris appellare uocabulo, aut pa-
rentem parentis nomine salutare, sed hoc sermone prorsus euellere studet ex
animis suorum pharisaicam opinionem, qui quod erat dei sibi uendicabant, &
honorẽ exigebant a populo pro doctrina non sua, sed dei, quasi ipsi essent autho-
res, ac non potius ministri: tum plebis amorẽ uel simplicitatẽ uel adulationem,
quae laudibus immodicis illos uehebat, quasi hominibus plus deberent quam deo.
Quoniam autem intellexit ex huiusmodi ambitione nasci pestes & exitia con-
gregationum, ideo sermonem hac clausula absoluit.

Qui maior est uestrum, erit minister uester. Qui autem se exaltaue-
rit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur. Luce 14. c. 10. c

Quod quisque habet magnorum aliunde accepit & gratis, & in hoc accepit
ut alijs impartiret. Itaque quo maior est dotibus diuinis, non hoc erit, si sapit, arro-
gantior, sed sollicitior ut communicet, hoc submissior ne semel perdat arrogan-
tia quod diuina benignitas est largita. In authorem deum gloriam omnem trans-

feret, sibi præter humilis ministri sedulitatem nihil uendicans. Is uerè magnus est, qui sibi minimus est. Atq; is iam incipit esse minimus apud deũ, qui suo iudicio magnus est. Quod si quis se iactet & efferat de gratuitis donis dei, spoliatus ijs quibus se facit indignum, ex maximo fit minimus. Contra, qui se detestatur agnoscens & exaggeras imbecillitatem suam, ac dotes dei quibus magnus est, aut dissimulans aut in fratrem utilitatem expromens, is quoniam sua modestia prouocat liberalitatem diuinam, auctis dotibus ex magno fit maior. Sic in uocatione ad peculiarem dei gratiam, primas sibi partes Iudæi defendebat, tanq; familiares & filij, humiliati sunt autẽ & facti post gentes nouissimi. Gentiles quoq; quæ contra meritum suum se uocatas intelligebant, prælatæ sunt Iudæis. Illi ad prandium nuptiale mediocre sunt inuitati, isti autem ad cœnā magnam. Illorum inuitatores propheta, istorum dei filius. Electio illorum ex promissione & patribus, istorum ex gratia & fide.

Væ autem uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines: uos enim non intratis, nec introeuntis sinitis intrare.

Post prædicta Iesus uersus ad scribas & pharisæos palàm & magna uehementia libertateq; inuehitur in eorum malitiam, minitans illis ultionem diuinam, quo uel pudore resipiscant, uel metu suppliciorum uertantur ad meliora, & omissa simulatione sanctimonix incipiant ueræ esse pietatis Euangelice cultores. Væ, inquit, uobis eruditi in lege, & fama opinioneq; uulgi religiosiores, sed hypocritæ, qui cum profiteamini legis peritiam, & ob hanc quodã modo reneatis clauis regni cœlorum, non solum ipsi nõ intratis, sed alijs intrare uolentibus quibus debueratis aperire fores eas occluditis, & obsistitis ultrò paratis quos cessantes debueratis excitare. Quum enim conspiciatis iam adesse lucem Euangelicam, tamen uestræ gloriæ uestriq; lucri gratia populum adhuc in umbris legis detinetis, ceremonijs excludentes à ueritate. Quibus hodie quoq; similes sunt & dici eadem possunt, quotquot authoritatem iudicandi de doctrina & scriptis nacti, & ipsi quæ Christi sunt respuunt, aliosq; arcent autoritate sua ab illis, ut non tam ministri esse uelint quàm dominos se præsentent dei. Hic quoq; Chrysostomus: Regnum, inquit, cœlorum dicuntur scripturas, quibus insertum est regnũ cœlorũ. Ianua est intellectus earum. Vel regnum beatitudo est cœlestis, ianua scriptura per quã introitur. Clauicularij sacerdotum, hoc est episcopi quibus creditum est uerbum docendi & interpretandi scripturas. Clauis autem uerbum scientiæ scripturarum, per quam aperitur hominibus ianua ueritatis. Adapertio autem est interpretatio uera. Nõ sunt autem scripturæ clausæ, sed obscuræ, ut cum labore inueniantur: quia nõ sicut uoluit enim deus alios esse doctores, alios discipulos, obscurã quoq; esse ueritatem, ne non tam utilis inueniatur quàm contemptibilis, illis scilicet à quibus nec amatur nec custoditur. Non potest esse excusatio condemnationis ignorantia ueritatis, quibus fuit inueniendi facultas, si fuisset quærendi uoluntas. Clauis autem scripturas, est aliud interpretari pro alio. Sic modo sacerdotes quidam claudunt ianuam ueritatis, scientes quoniam si manifestata fuerit ueritas eorum ecclesia est relinquenda, & ipsi de sacerdotali dignitate ad humilitatem uenient popularem. Ipsi enim non intrant in ueritatem scripturæ propter auiditiam, necq; alios intrare permittunt propter ignorantiam.

Vae uobis scribae & pharisaei hypocritae, qui comeditis domos uiduarum, oratione longa orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium.

Auaritiam uentrisque studium scripturae ferè ubique tribuit pseudoprophetae, quibus malis etiam laborabant pharisaei & scribae, quos dominus obiurgat avaritia & crudelitatis, qui uiduarum domos uorabant, rapientes undecunque, ut ferè uiduae, pupilli, & humiliores in populo, quibus desunt formidabiles patroni, omnium patent iniuriae & rapacitati potentiorum. Id uero fit multis rationibus, crudelitate scilicet & deceptione doctrinarum, non tantum simplicitate, quae hactenus fuit in usu monachis otiosis, uenditionibus suas precibus, cantus, uigilias, & merita. Hi pharisaei praetextu religionis imponebant uiduis, simulando longas preces in ecclesijs quod est in publico, quum interrim animus nil spectaret quam praedam à mulierculis: est enim incautior sexus & mollior, quia non omnia semper cum ratione considerat, facileque flectitur de malo ad bonum & contra, propterea impostores sanctitatis circa mulieres facile se ingerunt et uotis potiuntur, maxime uero ad uiduas, quae consultoribus maritis carent, & à dando non arcentur. Cum ergo Iudaicos sacerdotes confundit, Christianos monet, ut non cum uiduis permaneant amplius quam cum caecis, cantus, uigilias, & merita. Hi pharisaei praetextu sanctitatis imponit pietatis amatoribus. Vnde & nunc quoque uidemus seueritatem dei in impostores monachos & clericos: gratiam autem & misericordiam in eos, qui non nisi decepti specie sancta, nolentes et ignari rerum decipere potuerunt, putantes omnia sacra, quae à consecratis & inunctis docebantur, & iniungebantur credenda, agenda, & obmittenda, qui perpetuis uotis arctati sunt, ut resipiscentes aliam quando & uerbo dei uel ecclesiastica obedientia requisiti resilire ab his quae etiam contra conscientiam admittere cogebantur minime possent.

Vae uobis scribae & pharisaei hypocritae, quia circūitis mare & aridam, ut faciatis unum profelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam uos.

Per terras & maria obambulat, ut è gentibus unum aliquem aut alterum pelliceatis ad legis professionem, & ad unius dei culturam. Qui cum attractus fuerit spe discendae religionis, superstitiosa doctrina uestra peruersisque moribus talem spe redditis, ut non solum non fiat purus dei cultor, & haeres regni caelorum, sed sceleratior etiam Iudaeus quam fuerit ethnicus, & magis etià obnoxius gehennae quam uos estis: fit enim ferè, ut discipuli malos praecipuos uincant etiam plerumque. Hos & tales retulerunt hucusque, qui summo studio plurimos laborauerunt in monachismum pertrahere, qui & semper ferè deteriores se illos relinquunt. Vt interim taceamus de illis, qui à Iudaismo conuersi ad Christianismum, edocti sunt idola reuereri, sanctos inuocare patronos, Papam terrestrem deum credere, deum suum ore percipere, & in uentrem traicere, & patrem dicere suum deum: quod sine graui scandalo Iudaeus in lege institutus & prophetis, credere agereque non potuit, nisi, quod frequenter contigit, pessimus uixisset etiam in sua lege, quale hactenus scandalum fuimus Iudaeis & Sarracenis, & exitialis odij causa.

Vae uobis duces caeci, qui dicitis: Quicumque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debitor est. Stulti & caeci,

quid enim maius est, aurum, an templum quod sanctificat aurum?

Vbi obmissa est dei sapientia, in errores absurdos adeo mortales prolabantur, ut nemo satis eorum dementiam possit stupere. Sic & his scribis usu uenerat, ad quos Christus: Vae uobis, inquit, ceci duces, qui professi doctores ipsi nescitis quid doceatis, nimirum aberrantes a scopo legis, nec alio torquentes omnia quam ad quaestum uestrum. Dicitis enim, quod si quis in contentione seu in aliquo iurgio uel in causa ambiguo iurasset per templum, & postea contumtus esset mendacii, non teneatur iureiurando: sin autem iurasset per aurum et pecuniam templi sacerdotibus offerendum, id in quo iurauerat exsoluere esse cogendum, praepostero iudicio pluris facientes non ea quae per se sanctiora sunt, sed quae uestrae auaritia gratiora. Alioqui respondete mihi stulti & caeci: Vtrum est sanctius: aurum quod ornandi gratia additum est templo, quodque uertitur in lucrum uestrum, inque uestri luxus materia, an templum ipsum, cuius ius sanctimonia facit, ut aurum etiam alibi prophanum illic sanctum habeat. Similis hodie furor multos occupat, quod si quis sacerdos meretricem foueat, & quotidie Missas uel sepe dicat, is decernitur catholicus, & idoneus minister ecclesiae: si honestam uxorem & filios habeat in timore dei, haereticus & damnatus, ac ultimo dignus supplicio. Si quis adulteria committat sabbato uel ueneris die, is negligitur & fertur: si carnes his diebus comederit, durissime mulcatur. Si quis Minorita Euangelica praepcepta excesserit, quae illis consilia sunt, uenialiter peccauit: si uero pecuniam super se portauit, aut integros calceos, mortale peccatum admisit, uix carcerem euadet. Vide de his etiam Decretale Paepae de Verborum significatione, in sexto & Clementinis, si uacat & uelis.

Et quicumque iurauerit in altari, nihil est: quicumque autem iurauerit in dono quod est super illud, debet. Caeci, quod enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in coelo & in omnibus quae super illud sunt: & quicumque iurauerit in templo, iurat in illo & in eo qui habitat in ipso: & qui iurat in caelo, iurat in throno dei & in eo qui sedet super eum.

Et hic quoque uultis praepostero iudicio donaria uideri sanctiora altari, quod ea cedunt in usus uestros, quum templum & altare extructa sint in cultum & gloriam dei, quae uobis curae non est. His uestris commentatiunculis quid aliud quam subuertitis legem dei quae prohibet omne periurium? Etenim quem admodum interpretatione subuertitis praepceptum de honorandis parentibus, ita hic docetis peierare. Perfectum erat omnino non iurare, sed tamen quisquis iurauit per rem quamcumque quae sacra habetur, apud eum cui iurat periurus est, nisi praestiterit quod iurauerit. Quisquis iurat per altare, iurat & per ea quae sunt in altari: ita quisquis iurauerit per templum, iurat & per deum templi inhabitantem. Quisquis iurat per caelum, iurat per thronum dei, & per consequens per eum qui sedet in illo. Quisquis iurat per caput alterius, iurat per rem deo sacram, cuius is qui iurat nullam habet potestatem. Neminem autem offendat dominum deum dici habitare in templo: uere enim in templo Hierosolymitano deus habitauit, antequam uenisset hora de qua Christus locutus est, ut neque in eo neque loco alio sed in spiritu & ueritate adoraretur: uoluit enim ibi peculiariter inuocari, adorari, & coli, gratiaque sua responsa dare, quemadmodum Salomoni praemiserat. Sed nihil hoc ad nostra consecrata templa: cum ubique Christus dominus sit, & nos ipsos oportet esse sanctum templum dei. Sic & modo secundum Chrysostomum,

ostentum, multa simpliciter Christiani & insipienter intelligunt. Ecce enim nunc quoque modicum uidebitur iurare per deum, maius autem per Euangelium: quibus similiter dicendum est, Stulti, scripturae sacrae propter deum sunt, non deus propter scripturas. Maior est ergo deus qui sanctificat Euangelium, quam Euangelium quod sanctificatur à deo.

Vae uobis scribae & pharisaei hypocritae, quia decimatis mentam & anethum & cuminum, & reliquistis quae grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem: haec oportuit facere, & illa non omittere. Duces caeci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

Erant ad quos loquebatur scribarum quidam populares, quidam autem et sacerdotes, sicut & pharisaei, ideo dubius est ad utrosque hic Christi domini sermo: Vae uobis qui decimatis: nam & qui accipit decimas, recte etiam Hebraeis decimare uidetur, & qui dat decimas. Scribae ergo & pharisaei minorum olerum exactas decimas dabant, ut apparerent iustiores & studiosiores legis diuine obseruatores. Sic & eorum quidam erant qui minutissima quaeque exigebant, & in decimis extorquendis adeo superstitiosi, ut è uilissimis etiam oleribus, menta, ruta, anetho, & cymino decimas colligerent, atque interim ea quae maiori momenti, undeque pendet uera iustitia pro nihilo ducebant, iudicium & charitatem dei, in quibus ut legis consummatio ita & solida sita est iustitia, pietasque, ne nihil facerent quo probitatis speciem aliquam haberent, decimas dabant quam exactissime, ut minutas quoque herbulas decimarent. Porro non culpantur quod exacte decimas de omnibus suis prouentibus darent: oportebat enim haec facere, sed quod illa maiora omitterent sine quibus pietas nulla constare potuit. De iure autem decimarum saepe dictum est in Leuitico & ali-

*Decima eccles-
iastica.*

bi, quomodo sit de iure naturali, non quantum ad numerum denarium, sed ad charitatis fideique necessarium ministerium in ecclesia conseruandum per idoneos ministros ecclesiae in spiritualibus & temporalibus, qui commodius sustentari non possunt quam ex decimis, si & ut sufficiant pro ecclesiasticis personis, quales sunt doctores ecclesiae, & in casu pius magistratus, pauperes ueri & uicini de huiusmodi ecclesiasticis bonis, quales sunt decimae ad huiusmodi instituta à spiritu sancto, & à magistratu fideliter gubernante, cui in talibus quoque si- cut & in alijs iustis & aequis institutis parendum est, qualescunque etiam sint qui illas praecipunt: interim uideat quisque quo illas iure recipiat, ad quid uicissim ecclesiae obligetur. Cum etiam secundum pontificia decreta infumendae decimae non aliter sunt quam in alimenta pauperum, & ad uictum eorum qui bene praeparantur Christianis in uerbo & doctrina laborantes, propter quos alendos & apud Christianos decimae sunt institutae. Iam ecclesiasticorum talium & pauperum alimenta ita ut hodie sit conuerti ad quaelibet flagitia fouenda, graui diuina maledictione uindicabitur. Ad magistratum certe pertinet huiusmodi abusus et alios similes auertere, quod cum facere neglexerit, sed exegerit his dare decimas, quibus ut hactenus indigne dantur, non mirum si populum scandalizant pro tranquillitate fraudabuntur optata. Interim tamen ecclesiastici uideant, ut si nare non possunt, ut nunc habet status praelatorum, in hoc tamen incumbant, ut uel ab alijs idoneis in doctrina & moribus fidelibus uiris serantur, ut ecclesiae prouideant de praedicatoribus uerbi dei, ex canonicis scripturis, & ipsi inte-

rim possessores ecclesiasticorum bonorum tanto largiores sint in pauperes & egentes, suam quoque uitam frugalius transigant, memores semper eius dicti: Beatius est dare quam accipere. Agnoscant perniciosissimum esse stipendia sub Christo facere & Christo domino non militare. Taceo quod maior hodie Prælatorum ecclesiasticorum pars soleat uerbi dei prædicatoribus resistere, persequutiones mouere, & ad uitæ periculum insidiari, adeoque Christi castra oppugnare, cuius gloriæ sese iurarunt esse zelatores, & uerbi dei prædicatores & defensores. Exigit igitur lex, & in primis curari uult quæ maximi sunt momenti, & unde pendet uera iustitia, iudicium, misericordiam, & fidem, ne quis afficiatur iniuria, ut eleemosynis subueniatur egentibus, ne quis fallatur periurio. Illa autem ut exacta minimorum decimatio ad horum pertinent executionem. Si, inquit Christus, cuncta huiusmodi serualetis ad unguem, uideri poterat religio nunc cum obmissis his, sine quibus nulla constat iustitia, curetis ea quæ leuissima sunt, hypocrisis est non religio, imò religionis pernitias. Siquidem antequam decimæ instituerentur à domino, integritas, beneficentia, & fides exigebatur, & ad iustitiæ laudem pertinebant. O, inquit, duces cæcos, qui præposere religiosi culicem excolatis quum camelum deglutiat, in minimo superstitioni in maximo negligentes, à modico peccato sese abstinentes, maiora autem committentes. Contra, præcepta dei quæ magna sunt deuorantes, & opinionem religionis in paruís quæ lucrum habent diligentiam demonstrantes.

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat & id quod deforis est, mundum.

Diuersis uerbis eodem sensu quo supra arguit pharisæos simulationis atque mendacij, quod aliud ostendant hominibus foris, aliud domi agant, præposere curantes munditiam. Crebris quoque lotionibus, aut purgatis calices & patinas & candelabra, quæ quoniam extraria sunt non inquinant animum hominis, & id quod intus est negligitis illotum, nimirum animum uestrum. Non enim inquinat hominis animum, si quis bibat ex illoto calice, sed si quis bibat ut num fraude partum, si quis ad luxum bibat non ad necessitatem. Identidem abluitis corpus atque ea quæ corporis sunt, & animum non purgatis, rapina, libidine, cæterisque ueris sordibus impurum & inquinatum. Pharisæe, te inquam appello, pharisæe cæce, qui te titulo cultuque iactas magistrum populi: cæce prius hoc cura quod unum ad rem pertinet, si placet uera mundities munda prius quod est internū, & tum si uidetur munda quæ sunt externa, corpus, uestimenta, urceos, calices, patinas, sellas, reliquamque suppellectilem: alioqui in his ostentare munditiam negligitis istis quæ sola nos reddunt apud deum mundos aut immundos, non mundities est sed hypocrisis, ac ueræ mundities pernitias. His enim uestris constitutiunculis corrumpitis animos simplicium, ut huiusmodi munditijs freti, negligant ea quæ uel sola fuerant curanda & primum.

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: sic & uos à foris quidem parietis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.

Ad eandem obiurgationem hypocrisis pertinet & præsens similitudo, quæ illi foris falsa religionis specie splendebat, intus pleni omni impietate, foris sicut sicut

sicut sepulchra dealbata, cum intus pleni sint fictione et dolo, simulantes se esse quod non sunt. Merito autem ut iustorum corpora templa sunt dei, quia anima in corpore iusti dominatur & regnat, quasi deus in templo: sic corpora quoque peccatorum sepulchra sunt mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Sic simulatores bonorum quamdiu ignorantur laudabiles sunt, dum perspiciuntur, fiunt abominabiles. Dicitur igitur hypocrita, si bonum est esse bonum, ut quid non vis esse quod vis apperere? Si uero malum est esse malum, ut quid vis esse quod non vis apparere? Nam quod turpius est apparere, turpius est esse: quod formosum est apparere, formosius est esse. Ergo esto quod appares aut appare quod es. De huiusmodi hypocritis tam mundis foris, & nitentibus habitibus, intus uero spurcissimis, non est opus exempla producere, nimium diu & plures uidimus & uidemus: defuit enim eis solida iustitia fidesque, ideo necessario adfuit fictio & iniquitas, ut necessarium habuerint externum uitae splendorem querere, nulla interim habita ratione puri cordis & innocentiae.

Vae uobis scribae & pharisaei hypocritae, quia aedificatis sepulchra prophetarum, et ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non fuissetis socii eorum in sanguine prophetarum, itaque testimonio estis uobismetipsis, quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt.

Hoc loco Chrysostomus ait: Qui martyria aedificant, ecclesias ornant, bonum opus facere uidentur, sed siquidem & alias iustitiam dei custodiant, si de bonis eorum gaudeant indigentes, si aliorum bona sua non faciant, uideri possunt ad dei gloriam aedificasse. Si contra omnia agant, quis tam insensatus est ut non intelligat, quia non ad dei gloriam faciunt aedificia illa, sed propter aestimationem humanam, dum interim pauperes uolentiam passi interpellant contra eos. Non gaudent martyres quando ex illis pecunijs honorantur, pro quibus pauperes plorat. Qualis est uirtus illa iustitiae, munerare mortuos & exponere uiuentes, de sanguine miserorum tollere, & deo offerre? Illud non est deo offerre, sed uelle uolentiae suae socium facere deum, ut cum si oblatam sibi pecuniam de peccato libenter acceperit consentiat in peccato. Vis domum dei aedificare? da fidelibus pauperibus unde uiuant, & aedificasti rationabilem domum dei. In aedificijs homines habitant, deus autem in hominibus sanctis. Quales ergo illi sunt qui homines expoliant, & aedificia martyrum extruunt? Iam ergo ex antiquis temporibus morbus ille est in hominibus, quem increpat Christus nunc in pharisaeis. Ad falsam, inquit, ostentationem sanctimonie magnifice extruitis sepulchra prophetarum, ut nunc cernuntur memoriae martyrum, & ornatis monumenta iustorum, quos uestri maiores occiderunt: et simulantes uos fauere uirtuti intersectorum, ac detestari perfidiam & crudelitatem eorum a quibus sunt occisi, dicitis: Si uiissemus aetate maiorum nostrorum, nequaquam aduersari fueramus in necem innocentium, cum nunc atrociora moliamini uobis aeternae salutis uiam aperient. Hoc animo cum sitis, nimirum declaratis uos germanos esse filios eorum qui prophetas a quibus liberè monebantur occiderunt, quacumque occasione quaesita, nihilo meliores illis futuri, si uos contigerit illorum aetate uiuere.

Et uos implete mensuram patrum uestrorum. Serpentes, genimina uiperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennae?

Probatis superioribus dictis, quod filij essent homicidarum, et eorum qui prophetas occidissent, nunc concludit quod uoluerat, & quasi extremam sylogismi partem ponit: Et uos implete mensuram patrum uestrorum, quod illis defuit uos implete, ubi desierunt isti uos inchoate. Illi interfecerunt seruos, uos dum minimum crucifigite, Illi prophetas, uos eum qui a prophetis predicatus est. Sic ergo respondete maioribus uestris, & quod deest eorum extremam crudelitatem uos ne quid desit implete. O propago uiperarum, homicidarum filij homicidarum, quum tam inuincibili malitia sitis, quum nullis neque beneficijs neque miraculis neque blandis sermonibus neque austeris neque pollicitis neque minis possitis corrigi, ut interim effugiatis iudicium hominum, quomodo effugietis iudicium gehennae, damnationem aeterni cruciatus?

Ideo dico uobis: Ecce ego mitto ad uos prophetas & sapientes & scribas, & ex illis occiditis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae filij Barachiae, quem occidistis in templo & altare. Amen dico uobis: Venient haec omnia super generationem istam.

Gene. 4. b

Hebr. 11. d

2. Par. 4. 24. f

Gravi autoritate haec locutus est Iudeis, quia consummatio aderat, regnum suum & potestatem ipsis testatus est, dicens: Ecce ego mitto ad uos prophetas &c. Vt si qui adhuc inter eos sanabiles essent, ad resipiscenciam reuocarentur, reliquis uero omnis adimeretur excusatio. Qua ratione & statim post mortem discipulos suos misit, in quos deseruerunt omni genere crudelitatis et incredulitatis, per reliquum illud tempus usque ad uastationem gentis & urbis per Titum, quando mensuram suam impleuerunt, ut iustas iam poenas horrendo illo darent excidio: quando ultus est in eis omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti &c. Christum enim caput sanctorum omnium, & eius apostolos, omnibus reliquis sanctis maiores, quia maiorem merito dei cognitionem attulerunt, isti Iudaei occiderunt, & omnium homicidarum priorum crudelitatem consummauerunt, non solum superauerunt; ut sic se reos constituerent uniuersi sanguinis iusti qui unquam ab illis effusus fuit, qui & uindicatus est in eis, quandoquidem nulli unquam grauiores poenas dederunt istis Iudaeis, qui a Tito sunt & a Vespasiano occisi & uenditi. Vt enim sancti omnes a primo ad ultimum idem corpus sunt, habentes Christum suum caput, sic & scriptura dicit bona donari his sanctis, quorum posteris post multa etiam saecula praemia & laudes retribuuntur. Sic & mali unum corpus faciunt, ut patres quoque infideles & mali in iniquis filijs & posteris puniantur. Sic Amalechitae damnati, post quadringentos annos in posteris sunt puniti; patrum enim impietatem hi tandem posteris penitus impleuerunt: sic Iudaei illi pessimi, & contemporibus iusto dei iudicio meritas dederunt poenas scelerum suorum, & omnium qui eosdem patres antecesserant. Quanquam & priuati quique olim priuatas suas uindictas acceperint & accipiant semper, publica tamen haec fuit & insignior ultio, qua dei iustitia orbi luculentius declarata est. Sicut & bonitatem suam deus publicis beneficijs exhibet agnoscendam, non tantum in personis piorum, sed saepe etiam post ipsorum mortem filijs in multas generationes, ut Abraham ac alijs sanctis patribus usu uenit: sic quoque poenas sumit a malis, utque bonis priuatim dei merces nunquam defuit, sic nec malorum poenae quas iustis

Sic uenit super hosce Iudæos omnis sanguis iustus olim effusus, quem tamen non omnem à mundi exordio effuderunt, quia in ipsis demum ea crudelitas pleae maturuerat, dignaque euaserat, quae luculenta illa & memorabili ultione uindicaret, cum interim semper quique suas quoque priuatas poenas priuati dederint. Quod uero Zachariae huius meminit filij Barachiae qui & Ioiada dictus est, hinc est, quod celebris eiusdem in scripturis sit tam mors ipsa, quam causa mortis. Eadem nimirum quae & Christo Ioanni Baptistae & apostolis fuit, quia impietatis arguisset regem & populum. De quo lege 24. cap. in secundo Præteritorum. Adiecta quoque fuit particula Amen dico uobis, ueniēt hæc &c. quo magis Iudæi terrerentur. Tot, inquit Christus, prophetae missi sunt, quorum multos interemistis. Tandem ipse ueni in quæ scitis quid moliamini. Nec hoc contentus, quo magis sit omnibus euidentis uos atrocissima condemnatione dignissimos esse, Ecce ego rursus mittam ad uos alios prophetas, sapientes, & scribas, qui summa lenitate uos reuocent ab ista crudelitate ad mentem meliorem, nec imputabuntur superiorum temporum parricidia uobis si ad horum prædicationem egeritis poenitentiam. Verum nec his parceris, sed ex his alios gladio necabis, alios lapidibus obruetis, alios crucifigetis, alios flagellabitis in synagogis uestris, & adeo non recipietis eos, ut persecuturi sitis de ciuitate in ciuitatem donec illos insanabili uestra malitia compellatis ire ad gentes. Quibus rebus adeo prouocabitis iram dei in uos, ut quicquid homicidiorum patratum est à maioribus uestris, à primo parricidio, quo Caim occidit Abel fratrem suum, usque ad eadem Zachariae filij Barachiae, quæ occidistis inter templum & altare, nec loco religione deterriti nec parentis sui & propria probitate prohibiti ab homicidio, horum poena dilata refundetur in caput uestrum, qui maiorum omnium crudelitatem non solum retulistis, uerumetiam uicistis. Vestra igitur calamitas tam erit insignis, ut totus mundus intellecturus sit, quanta fuerit crudelitas huius nationis in optimum quenque uirum, quamque pertinax rebellio aduersus deum, tanta uos lenitate tam diu tolerantem, tanta beneficentia toties inuitantem ad meliora.

Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties uolui congregare filios tuos quemadmodum galilæa congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Lucæ 13. 8
4. Esaiæ 1. c

His dictis clementissimus dominus Iesus qui pro sua bonitate nolebat quemquam omnino perire, considerans miserabile quod imminebat, excidium uirginis Hierosolymitanæ (nam illius oculis erant omnia præsentia) simulque inexpu gnabilem illorum peruicaciam qua diuinam lenitatem uersuri erant in furorem, oratione lamentabili deplorat Iudaicæ gentis uastationem, subindicans secundum aduentum suum, sed Iudæis tamen demum sero resipiscentibus, & Christum quem nunc negant agnoscentibus, quum magis in rem illorum fuerit nunc confiteri seruatorem suum à deo missum, atque idem ex animo canere quod indignantem, inquit, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui missi sunt ad te, quoties conatus sum congregare filios tuos, quemadmodum fidelis & sollicita gallina metuens pullis suis congregat eos, fouetque sub alas, & noluisti? A me nihil ommissum est quo seruareris, sed contra nihil abs te prætermisum est, quo tibi pernitiam accereres salutem excludens. At cui semel praua uoluntate contigit uelle male agere, is inuitus seruari non potest. Oportebat meæ uoluntati

uestram respondere uoluntatem. Ecce nunc imminet uobis misera calan-
tas. Relinquetur uobis habitatio uestra deserta, relinquentur uobis caecitati uestra,
donec aliquando uel tantis docti malis resipiscatis.

Dico autem uobis, non me uidebitis à modo donec dicatis: Benedi-
ctus qui uenit in nomine domini.

Hoc est, Postquam omnia frustra erga uos tentauit, ardētissimo amore meo
superare nequeo uestram erga me et uerbum patris maleuolentiā & inuidiam.
En uos relinquo atq; ualere sinam, testorq; posthac, hoc est breuissimum tem-
pus quo adhuc agam in hac carne mortali, me nō amplius uidebitis, donec nō
pauci ex uobis spiritu patris desuper donandi & mihi credituri, me eum qui
sum agnoscent, & in me credent, dum illis propediem ortus fuerit dies salu-
tulistis; Benedictus qui uenit in nomine domini, redemptor sanē noster & sal-
uator mundi, rex cœlorum & Messias, rex æternus et uniuersalis. Idq; per tot-
tum mundum me esse prædicabitis, & gloriam mei nominis ad fines orbis ter-
rarum decantabitis. Tunc spiritu sancto illuminandi quidam ex uobis, & non
pauci, oculis fidei cernent saluatorem promissum in lege & omnibus proph-
tis; tunc me benedicent uenientem in regno meo, quem nunc calumniati
uenisse in nomine Beelzebub. Nobis quoq; animaduertendus est hic tantus
Christi affectus, quo toties nos congregare conatur, quoties gratiæ suæ & uo-
luntatis patris admonet uarijs modis, locis, temporibus & personis: uæ nobis,
si sub alas eius non nos diligenter reconderimus, cum plena cernamus omnia
circumuolitantibus miluis rapere nos conantibus.

CAPVT XXIII.

A T egressus Iesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli eius
ut ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens,
dixit illis: Videtis hæc omnia? Amē dico uobis, non relinque-
tur hic lapis super lapidem qui non destruatur.

Marci 13.4

Luce 21.6

Luce 19.2

Significat hæc Christi domini egressio de templo, omnem Iudaicæ legis, ce-
remoniarum, templi, urbis, & gentis statum breui abolendū, uastandam Ieru-
salem, ut iam ante prædixerat, id quod & defleuerat insidens asino. Id discipulis
li ut par fuit plurimum admirabantur, & ostendunt domino templi molem, &
pere tam admirabili illustratā & gloriosam, tum adeo firma structura, ut non
uideretur posse dirui. Iesus autem respondit: Videtis, inquit, hæc omnia, tam
magnificas scilicet structuras, quas Herodes instituerat. Illud pro certo habeo
te, nihil est omnium horum tam munitum aut pulchrum aut sanctū, quod non
sit demoliendum, adeoq; dissipandum ut nec lapis ullus lapidi cohæreat. Nihil
in mundo manibus extructum semper est durabile, perpetuis rebus magis stu-
diendum. Iudaicam gentem ob crudelitatem & scelera à domino desertā testan-
tur suo exilio tam diuturno, & perpetuo omnium gentiū in illos odio. Homo-
num patiuntur eius discipuli circa gentem suam & templi gloriam, quā cupere-
rent glorificari amplius, nō annihilari. Non curat deus templa marmorea, sed
spiritualia corda fidelium. In cœlis erat ædificatio promouenda firma & semp-
duratura ex uiuis lapidibus sanctis personis. Videnda sunt hæc omnia tempo-
ralia, non amanda, non desyderanda nimis, quia caduca. Veritatis huius pro-
bationē fecit exercitus Romanus, literis testatur Iosephus Iudæus, de sua gen-
te hinc.

te historiam absoluens miserabilem. Consistit reaedificata Ierusalem, sed alio loco, humili forma & fortuna, ut uix pristinae formae ruinae appareant, ex longitudine temporum, & toties tentata desolatione urbis, ut uix alia frequentius capta legatur in orbe ciuitas, mundo toti posita in exemplum. Si ciuitas aliqua regi suo rebellet, nonne tollit ab ea ius ciuitatis, milites transmittit ut fiat deserta, ut quae regis potestatem non cognouit in bono, experiatur in malo? Sic haec gens Iudaica coelesti regi rebellis, legem contempsit, ministros occidit, in regis coelestis filium impias manus extendit, occidit, ideo ab ea sublata sunt pignora ueritatis, spiritus sanctus, pax, gaudium, ut aeterna illic dominetur perditio.

Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando haec erunt? & quod signum aduentus tui, & consummationis saeculi?

Solitus erat dominus his diebus sub uespera egredi Ierusalem in montem Oliueti. Cum ergo iterum iam audissent discipuli uastadam urbem & templum, cum quo simul putabant finem omnium, & plenum Christi regnum adfore, rogant eum primores quidam ex discipulis, quibus & alia mysteria retexerat, sperantes uel sibi solis hoc aperiturum: & quando haec quae iam praedixerat futura essent, & quod signum aduentus sui & consummationis saeculi: simul enim haec omnia fore existimabant, uastadam Ierusalem & ipsum uenturum cum gloria, & mundum hunc finem accepturum, & quidem breui, quo pariter sperabant gloriae Christi & felicitatis se consortium adepturos. Dominus autem quoniam e re ipsorum non erat de fine mundi & certo signo regni sui scire, de his nihil respondit: monuit autem quae magis & propius ad salutem ipsorum faciebant. Primum quidem futuros multos impostores, quo ab eis sibi cauere: deinde de bellorum calamitatibus & famis, quibus ante excidium Iudaei affligendi erant, ne nimium turbarentur: tum de persecutionibus suis propter Christum & a falsis fratribus: denique de atrocitate excidij urbis & gentis, ut superstitibus fugerent, & omnes deum tanto magis timerent, & impietatem omnem detestarentur. Post haec uero rursus praedicat futuros pseudochristianos & pseudopphetas, monetque cauendos. De fine quoque saeculi, non quando, sed quam horrendo & inopinante adfuturo. Vnde & nos discamus ea potissimum perquirere quae proxime faciunt ad fidei & morum pietatem, ut officiosiore charitate proximo seruiamus & deo.

Et respondens Iesus, dixit eis: Videte ne quis uos seducat: multi enim uenient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos Ephes. 5. 6
Coloss. 2. 4

Seducunt. Sic accipienda Christi uerba uidentur. Obmittite rogare de meo aduentu cum gloria, ac de fine saeculi quando haec sint futura: uenient enim ante haec quae uestra magis intersunt, & multo scire praestat. Scitote futuros multos post discessum meum, & uenturos in nomine meo, qui se dicent esse Christum, falso & patris mei legationem praetenturos, quos & Iudaei in suam perniciem malignam sunt audituri & assumpturi, me seruatore damnato & negato. Sic enim diuinitus comparatum, ut qui dei ueritatem respuerit credat postea mendacio, Christi enim nomen & officium cum sit, populū tyrannide liberare malorum, & gubernare feliciter, ideo se pro Christo uenditasse uidebuntur quotquot se Iudaeorum liberatores saluatoresque polliciti sunt. Quales ante excidium Ierusa-

lem Iudæi multos habuerunt, quos & Iosephus Iudæorum historiographus describit, ut Theodam magum sub Cuspido Fado præfide libro 20. cap. 4. De quo & Gamaliel Acto. 5. Iudam quoque Galilæum in diebus professionis. De quo libro 18. cap. 1. Turba quoque tunc magorum erat populum seducentium contra tranquillitatem populi, quam habere potuissent sub Romanis, ut libro 20. cap. 11. Similiter de eo Aegyptio qui arrogata sibi prophetæ opinione congregavit triginta ferme millia, Ierusalem capere tentans, oppressus à Felice. De quo in libro de bell. Iud. lib. 2. cap. 12. De quo & Felix Paulum interrogabat, Acto. 21. Iterum de alio cap. 14. scribit, qui populo salutem promittebat & requiem, si se sequerentur in desertum. Talibus multis delusus fuit Iudæorum populis, qui sese Christos asseruerunt & Messiam. Qualis & Simon Magus, qui Samaritanis persuaserat se esse dei uirtutem, quæ uocatur magna, Acto. 8. Hi cum multos seduxerint, non ab re fuit, ut suos Christus promoneret in tempore ne & ipsi talium imposturis caperentur.

Audituri enim estis prælia & opiniones præliorum. Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri: sed nondum est finis. Consurget enim gens contra gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentia, & famines, & terræmotus per loca: hæc autem omnia initia sunt dolorum.

Ne quoque ob plurimos sanè & horrendos tumultus bellicos & seditiones, quibus gens Iudæorum exagitanda erat priusquam penitus excinderentur, plus nimio perturbarentur, de illis præmonet, ne terreantur, quandoquidem ipsi in his omnibus malis seruandi sint, & in Euangelico negotio prospere processuri, & cum gloria dei magna Christi & sua, hoc est apostolorum. Ipsi autem bellorum rumores, seditiones, & motus coeperunt potissimum sub præfide Cuiusmano, qui Tiberio Alexandro successerat. De quo lib. Antiq. 20. cap. 6. & lib. de bel. Iud. 2. cap. 11. Alius quoque erat tumultus inter Iudæos & Samaritanos, multa hominum strage locorumque uastatione. Ex genere quoque Sicariorum, qui tectas uestibus sicas gestantes, passim in turba homines perimebant. Tertius secutus est tumultus apud Cæsaream. Et sub P. Festo tum Felici succedente, conante prouintiam liberare latronibus, sed urgente ultione dei non potuit. Cui cum Albinus & huic C. Florus successisset, semel omne genus malorum inundauit, qui nihil obmiserunt ad crudelem tyrannidem & uim manifestam ac rapinas: sic seditiosorum Iudæorum audacia indies creuit, unde continuus motus cædesque passim ædebantur ante exitium Ierusalem. Agrippa quoque res multis à rebellando dehortabatur, sed frustra, quia qui nouandis rebus Iudæis mis aperto Marte oppugnabant, & omnes trucidant. Quo die quædam hora Cæsarienses Iudæos suos numero uiginti milia trucidarunt. Paulo post Scyropæ litæ horum secuti exemplum, tredecim Iudæorum milia interemerunt. Mox Ascalonitæ duo milia quingētos, Ptolemais duo milia, Alexædriæ quinquaginta milia. Inde iusto bello eos aggressus est Cestius Syriæ præfectus. Sed cum Hierosolymorum obsidione soluta uim Iudæorum fuga declinasset, audentiores facti fuerunt authores rebellionis, omnemque populi potestatem nacti inenarrabilem miseriam sibi suisque inuexerunt, donec prorsus per Titum exterminarentur. De quibus omnibus fusius Iosephus. De his tot tantisque bellorum rumoribus motibusque gentium hic dominus omnium præcognitor prædixit, addens ad apostolos: Videte ne turbemini, oportet enim omnia hæc fieri: sed nondum est

est finis, non modo sæculi, sed ne gentis quidem et urbis Iudæorum, Eodē tempore impletum est, quod Christus dixit: Consurget gens contra gentem, & regnum contra regnum, ut patet ex prædictis. De pestilentijs & terræmotibus non dubiū quin euenerint, quæ tamen longe leuiora bellis habita sint. Pro quibus signa magna & terriculamenta contigerunt. De quibus Iosephus libro 6. de bell. Iud. cap. 12. ubi de sydere narrat supra urbem simili gladio. Nona hora nocturna, lux diem superans in templo effulsi, per quæ dimidiam horam durauit: bos immolandum agnum in templo peperit, porta templi aenea ultrò patefacta, in aëre uisi cōmissi exercitus. Audita uox in templo: Migremus hinc, & cætera multa. De fame constat, quæ Hierosolymis ita inualuit, ut multi egestate obierint. Et ea quæ in toto orbe regionis Syriacæ accidit sub Claudio Cæsare prædicta ab Agabo, Acto. 11. Quia fame sola uel potissimum afflictam intelligimus Iudæam. De quibus huius gentis calamitatibus potissimum dominus prædixit, & sic declarauit, quomodo omnis sanguinis iusti ultio de Iudæis sumenda esset, tum cōfirmat suos, ne perturbatis adeo rebus apud Iudæos animis quæ omniā consternatis, imposturis crederent, uel spem profectus in Euangelio prædicando desponderent. Neque etiā noui aliquid dominus prænuñciasset, si de bellis, fame, & peste inualituris in diuersis partibus orbis alijs dixisset, quando ista nunquam desunt orbi, quod & Chryostomus hinc colligit. Ergo quod dominus subiunxit: Hæc autem omnia inītia sunt dolorum, hūc sensum habet. Audietis quidem & uidebitis passim calamitates hominum, præcipue Iudæorum: nec tamen inde terreamini, quo minus fortiter uerbum meum & Euangelium prædicetis ubique locorum. Fieri enim utrunque oportet, et regnum meum crescere, & Iudæos indicibilibus malis exterminari: nec tunc finis aderit, nec gentis huius nec mundi, quin bella uidebitis atrocia, & huius gentis crudele exterminium sine uestro damno, si à me pepēderitis: nihil enim uos hæc mala lædent. Ideo iubeo uos non turbari, sic enim fieri oportet, sic me ruit populi huius Iudaici uetus & noua impietas. Vos interim confidite, qui me saluatorem amplexi estis, quem isti reijciunt. Tantum ne à me rursus desiciatis, & perpetuum semper me saluatorem experiemini.

Tunc tradent uos in tribulationem, & occident uos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

Discipuli Christum interrogauerant de regno & gloria, prædicuntur autem ipsis hic pericula pseudodiscipulorum, Iudaicæ gentis persecutiones, crux, ignominia, & grauiā scandala multorum à recepta semel ueritate deficientium: quia tradendos uelut oves in medio luporum. Quas huiusmodi aduersitates senserunt mox à nece Stephani, quū dispersi sunt omnes per regiones Iudææ & Samarię præter apostolos: hanc promouebat & Saulus. Herodes quoque rex ut affligeret quosdam de ecclesia, Iacobum occidens, Petrū conijciens in uincula. Quid uero Paulus cum suis expertus fuerit persecutionū tam à Iudæis perfidis, conuersos ad Christum persequentibus, quàm à gentibus, Acta apostolorū narrant, & ipsius epistolæ. Nihil ergo hic Christus prædixit, quod illi non sint experti.

Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem.

Exercendi quoque erāt discipuli & hac aduersitate, quæ grauior saepe est sanctis quàm persecutio. Sicut & grauius multo est à recepto Euangelio desciscere

Ioan. 15. c. 16. d
Supra 10. c

re quam illud nunquam recepisse. Quia autem semper bona pars Evangelii seminis cadit in terram petrosam, hoc est in corda à spiritu dei ad pietatem non immutata, necesse est semper quoque fore quos persecutionis tempestas à regno Christi detorqueat. Id si accidere potuit Demæ, qui insignis collega Pauli erat, ut sæculum præfens amplecteretur, mirum non est, si alijs quoque multis eveniat, quamvis nulli electorum accidere possit, qui bona terra sunt, in quam cadens semen uerbi dei, sanctum affert fructum. Ne ergo supra modum ob hanc calamitatem turbarentur pii multis deficientibus, ut semper paucus est electorum numerus, de his quoque uoluit præmonere. Nam non solum defecturi multi erant passi offendiculum, hoc est cruce atque persecutione ab Evangelio repulsi, sed & ex fratribus futuri quoque hostes erant: quod & ipsum Paulus experitur in posteriore ad Timotheum epistola cap. ultimo.

B Et multi pseudoprophetae surgent, & seducēt multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum: qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.

Satanæ apostolos ac discipulos multos passuri erant, contra quos magna semper Paulo & pugna & querulatio fuit. Hi fuerunt illi serui uentris non lesu Christi, Rom. 16. Apostoli satanæ, 2. Cor. 11. ambientes æmulari à Galatis, & ipsos labefactantes, canes, mali operarii, concisio, inimici crucis Christi, quorum deus uenter, deceptores per philosophiam & inanem deceptionem, uerborum habentes speciem sapientiæ, & aliàs passim; nusquam enim ferè Paulus talium non meminit, ut & Petrus apostolus ac Ioannes. Tum quoque abundante etiam iniquitas, hoc est prauitas illa naturæ, qua sibi tantum homines student, alieni ab omni beneficentia erga alios, qua abundante necesse utique est charitatem refrigescere. Quam refrixisse suo tempore nõ obscure Paulus indicat, quando omnes in Asia ipsum auersati fuerant, 2. Tim. 1. Sic ergo Christi discipuli in totis & foris aduersa multa ac tristitia passuri erant, omnia tamè superaturi, quot fide solida in ipsum perseverassent usque in finem. Vnde ihs omnibus subiunxit: Qui autem perseverauerit &c. Nihil uobis erit periculi, modo constanti fortisque animo perseveretis usque ad finem. Nulla malorum uis quenquam periret perdere, nisi quem animus rectus defecerit. Sicut autem mox ab exortu Evangelij sic exerceri suos uoluit dominus: sic quoque expectandum erit & nobis. Erunt namque sui simile semper Evangelium, neque dissimiliter uel ab hominibus reuerenti, uel à regno satanæ oppugnabitur. Ne igitur offendant nos si impij nos aperto Marte oppugnent: si deficiant à Christo uel nobis, offensi cruce: etiam si ex fratribus hostes nobis fiant: si pseudoprophetae fidei sinceritatem modis omnibus fermentare conentur: si apud reliquum ecclesie uulgus multa iniquitas uigeat, charitasque refrigeat. Ista omnia experti sunt quicumque ab initio ueritatis assertores fuerunt, sancti patriarchæ, prophetae, Christus, apostoli, & germani horum omnium ac seduli successores. Videat ergo quiuis cui credat, & quam certus sit fidei suæ in dominum Iesum Christum, ut quolibet sæuiat persecutione, & multos absterreat, nos certi cum uerbo dei simplici et aperto perseveremus cum domino, ita salui futuri quantumuis periculis exercitati.

Et prædicabitur hoc Evangelium regni in uniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc ueniet consummatio.

Et hac quoque sententia Christus discipulos consolatur, quæ & ipsa apostolorum tempore completa est antequam uastaretur Ierusalem, ut hic dominus prædixit,

prædixit, dicēs: Tunc nimirum postquam ubiq; prædicatū fuerit Euangelium in testimonium gentibus, ueniet cōsummatio, sanè templi, cultus, urbis, & gentis Iudæorum, prædicta à Daniele propheta, & nunc à Christo domino. Certe cum Paulus scripserit Colossensibus, eo tempore Euangelium toto orbe fructificasse, etiam omnibus gentibus prædicatum fuit, hoc est magnæ partî gētium per Synekdochen. Quam enim late illud uel unus Paulus sparserit, ipse de se ad Romanos testatur, nempe à Ierusalem & circumiacentibus regionibus usq; ad Illyricū. Deinde ad Italiā & Hispanias, adq; Gallias & Germaniam Pauli temporibus constat Euangelium prædicatum, cum adhuc stare templum & Ierusalem, sed iam tunc paulo post destruenda. Prædicatum est autem Euangelium toto mundo in testimonium gratiæ dei & salutis electis: reprobis autem deq; ipsius bonitate edocerentur, ita ad fidem in ipsum pietatisq; testimonium prouocarentur. Ex quibus Christi promissis consolari potuerunt apostoli, de profectu suæ apostolicæ functionis, de fidei in Christum & Euangelij diffeminatione minime impedienda, sed citius opinione promouenda in toto orbe, quamlibet multa passuri forent apostoli ab apertis hostibus pietatis, à falsis prophetis & fratribus, ab hypocritis & operarijs iniquitatis. Ad hanc autem Hierosolymæ & Iudæicorum ciuium consummationem tota quoq; uidetur Apocalypsis tendere. Certe non adeo leuicula res fuit tale quidem tantæ gentis exterminium, ut indignum haberi possit de quo Christus uaticinetur, cum minores multo calamitates quibus attritus hic populus fuit multis antea uaticinijs deus prædixerit per prophetas. Sed & aliàs Christus grauius admodum prophetauit de eius excidio cum fleret super hanc urbem.

Cum ergo uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat).

Abominatio ista manens uel stans in loco sancto, quæ desolationis causa & signum fuit, obsidio est exercitus Romani, ob multas rebelliones ipsorū contra Romanos, multisq; de causis, ut patet ex Iosepho. Ea & à Luca describitur à Christo prædicta in hoc sermone, dicente: Cum autem uideritis circumdari ab exercitibus Hierosolymam, tunc scitote quod imminet desolatio eius &c. Ergo abominatio desolationis dicta à Daniele stans in loco sancto, de qua hic dicitur, obsidio fuit, uel aquila imposita templo causa obsidionis & rebellionis, utraq; detestabilis Iudæis & pernitiōsa: quam obsidionem perpeffi sunt Iudæi ab exercitu Romanorum, quam aquilam & quam obsidionem desolatio, hoc est consummatio templi & urbis consecuta est. Explicationem autem prophetiæ Danielis cap. 9. uide in uersu 24. & deinceps ad finem capituli, ne idem bis dicatur. Qui enim prophetiam legit, & mysteria fidei ex prophetis didicit, historiasq; tam sacras quam prophanas non ignorat, & de uarietate historicarum in supputatione annorū simpliciter sentit, et non ad unguem exigit, quandoquidem Græci, Latini, & Hebræi discordant. Is certe qui sic legit intelliget, nempe prophetiam Danielis impletam in Christo primum, deinde in desolatione gentis & templi, glorificatione autem Christi & prædicatione Euangelij in totum mundum, ante præfinitum illud tempus septuaginta hebdomadarum, ut iudicabis legendo.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere

Marci 13. b

Luca 21. d

Dan. 9. g

lere tunicam suam. Væ autem prægnantibus & nutriētibus in illis diebus. Orate autem ut non fiat fuga uestra hyeme uel sabbato: erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neq; fiet.

Vt hanc desolationis abominationem quàm maxime horrendã fore ostendat Iudæis, iubet ut ubi uiderint eam stantem in loco sancto, hoc est sanctæ urbi imminentem, circumdata ea ab exercitu Romano, quàm celerrime ac relictis omnibus qui in Iudæa fuerint fugiant, in nullas autem urbes, sed in montes proximos, in deserta loca, & ea quidem festinatione tanquam anxie & perturbato animo. Vt si quis in tecto domus sit (habent enim Palæstini & Hierosolymitæ tecta plana, super quæ multum uersari & pleraq; agere solent) non descendat in domum, ut inde quicquam secum auferat: & si in agro deprehensus fuerit, ut recta quoq; ad montana confugiat, neq; reuertatur in domum, ut uel commodas fugæ uestes accipiat. Cumq; sola fuga salus contingere tunc possit, adiicit: Væ prægnantibus & lactantibus, nimirum quod infantium onere prægrauata fugere nequeunt: utq; magis fugæ necessitatem significet, addit præterea: Orate autem ut non fiat fuga uestra hyeme, quum nimirum difficile fugiter facere. His namq; omnibus sententijs formisq; loquendi uulgaribus, atrocitatem malorum quæ tunc esset Iudæos constrictura exaggerare dominus uoluit, ac persuadere, quod mox a pertis uerbis subiunxit, magnã adeo fore afflictionem illam, ut æqualis ei non fuerit, nec ulli genti acciderit sic destructa, ab initio mundi ad id usq; tempus, neq; unquam futura sit. Quod facile uerum cognoscet quicumq; Iosephi historiam legerit.

Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.

Præter indicibilia mala quæ pertulere Iudæi in obsidione & exterminio Ierusalem, innumeris continuo pereuntibus, partim mutuis cædibus, partim fame, quæ usq; adeo inualuerat, ut præter omnium quamlibet abominabilium ciuibus, quædam mulier proprium filium sibi coxerit, capti fuere toto belli tempore milia nonaginta & septem, mortui uero per omne tempus obsidionis decies centena milia, ut scribit Iosephus lib. 7. de bello Iud. cap. 18. Vt dubium non sit, si dies illi tantæ calamitatis abbreviati non fuissent, non euasisset salua omnis Iudæorum natio & caro uel progenies, quæ tanta extiterat, et tam deo chara et illustris. Sed quia electos adhuc aliquos ex hac gente habebat dominus, & erat habiturus, decurtauit hosce dies misericordia domini, ne in totum genus Iudæiticum extingueretur. Vt autem hic fugere iubet dominus his malis incipientibus, ita scribit Eusebius, monitos diuino iussu & respõso fuisse, qui imminente ista obsidione Christiani Hierosolymis erant reliqui à Iudaica persecutione, ut trans Iordanem emigrarent in oppidum quoddam Pellam nomine, ut ita tempestas hæc ipsos in Iudæa non deprehenderet, lib. 3. cap. 4. De futuris autem non est ut solliciti simus, satis bene res nostra habet, si iam imminetia possimus recte excipere, ac præsentibus pie uti. Neq; ad futura nos rectius preparauerimus, quàm ex sententia domini utendo præsentibus. Vnde cum in omni scriptura multa suis deum prædixisse futura legimus, perraro tamen certum fuerit, ea futura cognouisse, ut illis se consolentur, ad hæc sese patientia duret.

simul autem certum eorū tempus prænouisse, ut remissos facere possit, ita non apparet quam pijs commoditatem adferat.

Tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Marci 13.6
Lucæ 17.6

Quandoquidem Iudæis circa ea tempora Christus expectabatur, sed rex terrenus, qualem & hodie Iudæi expectant, qui carnali potentia ipsos in libertatem adferat atq; gentes eis subiiciat, in procliu erat impostoribus se pro Messia illis insinuandi. Quales cum plerisque recepissent miseri Iudæi, nullus tamen eis tantam perniciem intulit, atq; Ben Cuziba, quem propterea filium mendacii cognominant. De quo multa apud Iudæos memorantur, qui sub Hadriano imperatore, ipsis ingenti numero congregatis, regem & Christum sese mentitus fuit. Sed hic uoluit Christus monere suos, ut à se solo penderent semper, & si carne absente, qui spiritus instinctu gratia auxilio & diuina potentia sua ac bonitate semper adfuturus esset usq; ad mundi consummationem. Ne terrenum aliquem Messiam reciperent, ad quod nimium propensi erant. Sicut natura ex pers fidei, non nisi præsentibus sensibus saluatore cōfidere potest. Christus autem non carne regnaturus est, sed in spiritu. Ait ergo: Si quis tunc templo destrueto & Iudæis deletis uel uenditis uobis dixerit: Ecce hic Christus, aut illic, hoc est carnalem demonstrauerit Christum, nolite credere. Prædico namq; uobis, illos suscipiendum, non uerbis tantum sed signis quoq; & prodigijs magnis, ita ut electi quoq; in errorem inducantur, si fieri possit, qui tamen uocem aliorum audire non possunt, seruante illos spiritu domini, ideoq; nulla impostura capi poterunt. Mementote igitur quod horum uos præmonuerim. Ecce ego quo nemo melius futura nouit, neq; quisquam uobis fauet impensius, prædixi hæc uobis, certo ergo illa expectate, & solida fide suscipite.

Si ergo dixerint uobis: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgor exit ab oriente, & paret usque C

que in occidentem: ita erit & aduentus filij hominis. Si dixerint uobis falsi prophetae: Ecce in deserto est, ut Aegyptius ille Christus sub Felice, qui & prophetam habuit præconem Rabi Akiba, & in deserto suos collegit, nolite exire urbes. Aut si dixerint: Ecce in penetralibus est, ut aliter falsus Christus in oppido Bitter sese pro Christo extulit, nolite credere. Regnum enim Christi gloriosum est, & longe maiore cum luce & maiestate mundi & Christi mundo adueniet, sed sicut fulgur omnibus conspicuus exit, & nemini non apparet ab oriente usq; ad occidentem: ita erit aduentus filij hominis in die suo, ultroq; ad ipsum confluent quotquot ipsum desyderant, nemine inuitante aut apparentem per se omnibus Christum indicante. Cauendum ergo omnibus, qui in hoc sæculo regnum dei externum pollicerentur, aut loco certo illud addicerent, nimirum quod sit longe augustius & diuinius, sed in spiritu & fide: in præsentem quidem sæculo situm, in futuro autem ea claritate effulsurum, ut gloria eius uniuersum orbem sit repletura, & summa tandem erunt fidelitate cum Christo rege sanctorum electi ad illud apparituri. Non dissimiliter accipiendum, id quod de Christi & sui corporis & sanguinis præsentia in sacra

mento mensæ domini inica disputatur, ut longe diuinior, certior, sacratio, utilior, credibilior, essentialiorque & substantialior, si sic loqui libeat, ac etiã intelligibilior, ac scripturis conformior sit, in effectibus, efficacia, & uirtute animæ fidelis Christus cum omni sua gratia, influxu, essentia, & operatione, per deuotam ac ardentem fidei contemplationem eorum quæ & Christus in se est, & nobis est, & toti mundo, nempe iustitia, salus, redemptio, satisfactio, propitiatio, & felicitas fidelis animæ, & uita spiritualis, eibus munificus, & unice desyderatus, atque ab anima suo more fruibilis & comestibilis. Non ipsa corporis, membrorum, arteriarum, & sanguinis corporalis præsentia utcumque inuisibilis & insensibilis, quamlibet substantialis & realis, quæ non sine miraculo maximo, imò impossibilitèr, quia contra essentiam rei, poni potest, quãdo nulla creatura immensitatem habere potest, quæ solius est diuinitatis. Sic uniuersale regnũ Christi, æternum, & animarum sanctarum, omniumque quæ in cœlo & terra sunt, non potest esse mundanũ, corporale, uel temporale, sed spirituale & diuinum, sanctarum animarũ per fidẽ & in spiritu præsentè Christo fidelibus suis, sed & sacramentaliter, dum in cœna passus recolitur pro salute mundi. Id quod Iudæis non sufficit, qui corporale et mundanum optant & semper expectant, ut glorificentur ipsi per Messiam, cuius regnũ nunc est per fidem in cordibus situm, in futuro autem ea claritate effulsurum est, ut gloria eius uniuersum orbem repletura, quando in summa felicitate cum Christo rege sanctorum electi ad illud glorificandum sunt apparituri, secundum quod sequitur.

Ubi cunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

Non, inquit, metuatis ne non sitis mecum futuri in tanta rerum uel confusione, uel sequutura eam felicitate regni mei. Non deerunt capiti sua membra, etiam trans maria dicuntur sentire cadauera, & ad escam huiusmodi congregari, tantis terrarum spatijs & maris fluctibus separata paruorum cadauera conuertunt: quanto magis fideles & omnis multitudo sanctorum festinabit ad suum regem, prouocati clementia & bonitate eius, cuius fulgur erit ab oriente & apparet usque ad occidentem, neminem latere potens, nisi qui uidere non uult, nec quenquam excludens, nisi qui contemnit beneficia & dominum beneficentem ac saluantem.

Statim autẽ post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & uirtutes cœlorum commouebuntur: & tunc parebit signum filij hominis in cœlo.

Accipienda hæc sunt de die extremo fineque sæculi, de iudicio orbis, & de Christi domini glorioso aduentu. Vult autem dominus omni momento suos ut hinc migrent paratos esse, eoque noluit tempus aduentus sui indicare, sed tantum ni hora illum expectari. Ideo tam suis quam apostolorum sermonibus non longe abesse diem suum palam uoluit prædicari. Ideo hic dicit: Statim autem post afflictionem &c. quod non plus est quam quod in Marco legimus. Cæterum in illis diebus, quasi dixisset, Post tribulationem dierum illorum quibus gens Iudæorum atrocissime uastabitur, nulla similis expectanda est, sed tandem cum homines minime putarint adierit finis sæculi, summo cum terrore hominum, qui mihi non crediderunt. Statim tunc finem mundi adfuturum dico, quia nihil tam insigne postea ædetur, nullam tam apertam de impietate mortalium uoluntatem sumam, donec dies ista aduenerit, quo redibo iudicaturus omnem carnem.

Marci 13. c
Luce 21. c
Ezech. 32. b
Isaie 13. b
Ioel 3. c

nem. Qui dei aestimatione non longe aberit, cui mille anni sunt perinde atq; dies unius. Signa autem in sole & luna sunt de quibus Lucas. Stellae cadent caelo, hoc est lumen amittent. Virtutes caelorum astra sunt, quae utiq; concutientur cum tota machina caeli & terrae, quando sicut Petrus praedixit, illo die caeli in morem procellae transibunt, elementa aestuantia soluentur, terraeq; & quae in ea sunt opera exurentur. Quibus sane uerbis diem illum domini horredum & terribilem dominus uoluit nobis monstrari, talemq; semper expectari fidelibus & impijs. Iram scilicet domini dei contra omnes sceleratos, non tam potens quam semper praesentem exhibens. Mos est enim scripturae per huiusmodi signa commemorata, solis & lunae obscurationem, ac stellarum terrarumq; & marium concussiones horrendas, significare summas tempestates ultionis diuinae, ut Isaia 35. & 24. Jeremiae 15. Ezech. 32. Ioelis 2. & 3. & alibi. Constitutis enim in summa angustia uidetur totus mundus perturbari, sol obscurari, luna esse sanguinea, stellae lucem suam attrahere, terra tremere, mare fremere, & cum cae ruina minari. Non quod ita re ipsa accidat, sed quod adeo homines angustientur, ac si illa acciderent. Signum autem illud filij hominis, quod in caelo apperiturum sit, quidam crucis imaginem fore putant. Siue uero id futurum sit siue secus, certe maiestatem uirtutemq; Christi terra caeliq; ostendent, ac omnium potestatum habentem orbis totus indicabit, non aliter atq; in urbibus ac arcibus signa triumphalia. Tunc & impij eum uidebunt, quem ut filium hominis hic contempserunt, sic tunc regem esse caelorum & omnium habere imperium sentient & dolebunt.

Et tunc plangent omnes tribus terrae, & uidebunt filium hominis Apo. 1. 6
uenientem in nubibus caeli cum uirtute multa & maiestate.

Sentient tunc homines sic omnia misceri, & totam mundi machinam ruerem, indeq; ut par est, praesumma anxietate & desperatione plane exarescent. Atq; hi plangent tunc, appaerente iam in nubibus signo filij hominis, & eius gloriosum aduentum praedicente. Sed qui sunt tribus terrae, nullum ius supernae & caelestis ciuitatis adepti sunt. Christum enim saluatorem isti ignorabunt, immeriti temporalibus, & amore huius mundi, eoq; sentient intolerabile sibi iudicium dei imminere. Quemq; summa cum laetitia electi suscipient, illi summo cum terrore uidebunt uenientem in nubibus cum uirtute & gloria multa. Planctus iste tunc erit omnium, Iudaeorum quidem, qui Christum uenientem cum gloria scelus crucifixionis eius negare non poterunt. Gentiles, qui stultitiam putauerunt colere crucifixum, & qui creaturae detulerunt gloriam creatoris. Christiani quoq; peccatores, qui magis dilexerunt mundum quam iustitiam uel fidem. Ante Christum uenientem pro candelabris fulgura uiua praecedent, & pro tubis horrenda audientur tonitrua. Ideo subditur.

Et mittet angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius a quatuor uentis, a summis caelorum usque ad terminos eorum.

Sonora haec & uocalissima tuba, qua electi undiq; conuocabuntur, efficacissima illa tam mortuorum quam uiuorum ad tribunal Christi conuocatio est, quae ministerio angelorum fiet. Videtur uero allusum ad morem Israelitarum, qui per Leuitas sonitu tubarum conuocari solebant, Num. 5. Ad haec audiebatur tubarum sonitus, & quando lex Israelis dabatur, in quo specimem quoddam aditum fuit huius ultimae conuocationis populi dei, quam non ita absurdum

est & ipsam corporali sonitu futuram esse, quando & corporibus sed immutatis ad gloriam sancti domino sistentur. A quatuor autem uentis intelligitur undiq; terrarum electos congregandos. In illa uoce puluis iam dissolutus corporum mortuorum in noua membra omnipotentis uirtute dei mirabiliter & subito colligetur & constringetur. In illa uoce quasi una persona obnoxium totum mare discutitur, ut si quid apud se retinet de humanis ossibus, sine contradictione restituat.

Ab arbore autem fici, discite parabolam, cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas: ita & uos, cum uideritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis.

Postquam alia arbores uernare coeperint, frequenter euenit, ut accedens frigus præcedat æstatem, & iterum arbores indurescunt. Ficus autem uernare post omnes arbores uernat, difficile post ficum frigus interuenit. Ideo ergo comparatur ficus ecclesie, propter indubitabilem sæculi noui aduentum. Prædicat ficus indicijs quibusdam instare æstatem, uidelicet, quum ad Fauoni statum iam tenerescente ramo protrudit gemmas ac folia, quodammodo parurit. Ita & uos quum uideritis hæc omnia quæ prædixi, scitote quod aduentus filii dei est in foribus. Ideo quoq; ficus ecclesie similatur, quia sicut ficus sub uno cortice plurima grana intra uiscera dulcedinis inclusa constringit, sic ecclesia sub uno corpore multos Christianos intra uiscera suæ charitatis congregatos complectitur. Præterea omnis arbor penè uno in tempore fructum præbet, & infra paucos dies maturescunt, cadunt, & cessant. Ficus autem ex quo cepit fructus afferre, usq; ad hyemem fructificare non cessat: nam alij colliguntur maturi, & alij hinc procedunt. Sic ecclesia ex quo coeperit proferre sanctos, usque ad finem sæculi non cessabit. Nam per singula tempora quibusdam decedentibus alij subinde nascuntur. Voluit uero hæc prædicando suos præmonere quocumq; illi sæculo fuerint, contra futuras tentationes, atq; reddere in studio pietatis sollicitos & uigilantes. Vnde & in Marco dicitur: Quæ dico uobis, omnibus dico &c. Quemadmodum autem uisis in arbore fici gemmis, non uestigio plenam æstatem, sed primum florem, inde ficuum incrementum, & demum suo tempore maturas ficus atq; iustam æstatem adfore scimus: ita agnoscamus, & quæ hic Christus prædixit non simul sed ordine cuncta esse complenda, ut uisis prioribus proxima continuo adfutura non dubitemus, donec & postrema eueniant.

Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc donec hæc omnia fiant. Coelum & terra transibunt: uerba autem mea non præteribunt.

Quæcumq; hic Christus prædixit, excepto solo extremo die, de quo mox subiecit eum soli patri cognitum, intra unius hominis tunc uiuentis sæculum, euenierunt. Ideo recte dixit: Non præterituram eam in qua loquebatur ætatem, donec nec omnia illa fierent. Certe auditi fuerunt apud Iudæos rumores bellorum, prælia multa commissa, impostura ualuit pseudoprophetarum, persecutionem tulerunt sancti, prædicatum est Euangelium regni, excisa est Hierosolyma, rursus pseudochristi & falsi prophetae multos seduxerunt, & seducunt donec Christus redeat. Quibus prædictis, ut dies extremus subindicari non potest, quia soli patri notus, ita nec ea quæ die illo futura prædixit, nempe solis lunæq; defectus, stellarum casus, & uirtutum cæli commotio, tantus quoq; terror & paucorum hominum

hominum in terra. Ad eandem certitudinem prædictorum à se pertinet quod subiecit: Coelum & terra transibunt & c. ut supra 5. cap.

De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli coelorum, nisi solus D

Marc. 13. d.

Luce 17. f.

pater. Satis uel hinc patet, extremum diem nõ adnumeratum prioribus, quæ præ dixit dominus intra suam illam ætatem euentura, neque uoluisse quidem de tempore eius aliquid respondere. Insanum itaq; est de certo aduentus eius tempore diuinari, unde falsos uidimus quotquot id hætenus ausi fuerunt. Mirandi quoq; sunt & alij, præter insanos Anabaptistas, nempe cordatores, qui ex eo quod modo Euangelium prædicatur, sæuit persecutio, uiget impostura falsorum prophetarum, regnat apud plurimos summus luxus, & uitæ impuritas, & potentium multorũ atrox crudelitas, instare nostro sæculo & intra paucos annos diem illum, quasi hæc omnia nõ etiam intra primum Christi ecclesiæ sæculum contigerint. Quod uero addit, Nisi solus pater, sicut & alibi, Quæ pater posuit in sua potestate, ostendit, quod & ipse Christus secundum diuinitatem hæc sciat, qua nouit omnia, sed non expedit nosce apostolis; ut semper incerti fideles omnes de aduentu iudicis, sic quotidie uiuant, quasi die alia iudicandi sint.

Sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis: sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usq; ad eum diem quo intrauit Noë in arcã, et non cognouerunt donec uenit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. Gene. 7. b

Significauit his uerbis dominus diem iudicij, hominibus sæculi omnino inopinantibus, curis ac delitijs uitæ huius penitus immerfis, nec minus aliquid expectantibus superuenturum. Et quidem sicut diluuiũ ac ultio Sodomorum impijs olim superuenit cum horrendo ipsorum exterminio: sic suos monet ne similes hominibus illis qui diluuiõ perierunt et Sodomitis esse uelint, sed caute sibi, ut est apud Lucam, ne quando grauentur corda crapula & ebrietate curisq; huius uitæ, subitusq; eis ingruat dies ille, qui tanquam laqueus improbus, eoq; cum ipsorũ salute: impijs autem in perniciem. Est ergo proximum id ad quod hortatur, insuper ut uigilemus semper, hoc est cum timore & tremore in hoc sæculo conuersemur, anxie tempus redimentes, quod dies mali sint, & omnium scelerum occasione plenissimi. Tum quoq; deprecemur bonũ spiritum, quò probemus & sectemur in omnibus domini uoluntatem, ut fide con firmatis liceat effugere superuẽtura orbi tot mala, & stare coram filio hominis iudicaturõ & reddituro unicuiq; iuxta opera sua, quæ scilicet de uera animi fide uel infidelitate testatur. Dies enim ille subito ueniet & inexpectatus, quem admodum temporibus Noë quũ annis aliquot esset eis prædictum diluuium: tamen arbitantes nequaquam uenturum, edebant, bibebant, elocabant spon sas, & ducebant uxores usq; ad extremum diem quo Noë ingressus est arcam, neq; crediderunt fore, donec uiderent iam adesse diluuium, quo perierunt uniuersi qui noluerunt exemplo Noë parare se aduersus eum diem.

Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur: duæ Luce 17. g
moletes in mola, una assumetur, & una relinquetur: duo in lecto, unus

assumetur, & alter relinquetur.

Alia quoque uigilandi cauendique ratio adijcitur, quod mirus tum delectus fiat, & cum duo in agro, in lecto, in mola fuerint, unus assumetur, & alter relinquetur. Multa igitur ratio uigilandi & pietatis studio incumbendi nobis proposita est, quo ex ijs futuri simus qui assumentur. Quod autem additur: In illo die uel tunc, non uidetur referendum ad diem extremum, in quo deprehensio in tecto uel agro nequaquam integrum erit aliquid tollere redeundo, sed redendum est ad omne tempus, à morte Christi, quo semper paratos nos esse oportet, ut hinc migremus. Moraliter alij exponunt, sed non tam consequenter.

Marc. 13. d
Luce 12. c

Vigilate ergo, quia nescitis qua hora dominus uester uenturus sit. Illud autem scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur uenturus esset, uigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & uos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis uenturus sit.

Ab incertitudine aduentus sui hortatur ad uigilantiam: primo quidem exemplo patrisfamilias, qui si sciret qua hora &c. Ita cum nos nesciamus, qua hora filius hominis uenturus sit, & sciamus uenturum qua hora minimum putauerimus, par est, ut omni momento uigilemus, hoc est in timore dei perpetuo conuersemur. Non enim expediebat scire apostolis sicut nec nobis, ut per diuina expectationis incerto semper eum ilico credamus uenturum, non solum ad iudicium extremum, sed ad id quoque quod unicuique proprium in sua morte impendet iudicium iustum, certum, & tremendum, iuxta quod etiam ultimum suscipiendum moderabitur. Semper ergo uigilandum in sanctis exercitijs, nihil obmittendum boni, ad quod occasio perficiendi offertur. Ut domini nostri uoluntatem circa nos & opera nostra iugiter meditemur, & circumspiciamus circa huius mundi pericula, quae omnibus multa imminet, ne oscitanter admittamus hostes pietatis & gratiae, uitia et otium, quibus satanas furis instat in fidiatur fidelibus etiam, quam illius malitiam dominus circa suos uertit in suorum, ut sint tanto uigilantiores ad omne opus sanctum perficiendum, parati omni hora ad domini dei uoluntatem implendum, ut dum filius hominis uenerit, inueniat uigilantes & alacres excubitores tanquam fideles suos in bono opere pertinaces & studiosos ad domino suo studiose semper gratificandum & placendum.

Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus eius super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cum uenerit dominus eius, inuenerit sic facientem: amen dico uobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

Quandoquidem sacerdotes mali populum obdormire faciunt in peccatis, boni autem excitant à negligentiae somno, & faciunt uigilare in bono, ideo alia similitudine serui fidelis excitat apostolicos seruos ad uigilantiam circa commissa à domino, ut scilicet sint non tantum fideles, sed etiam prudentes. Prudentem uero dicit non solum scientem & doctum, sed sensatum & circumspicientem, qui potest rerum ponderare causas, omnia rationabiliter disponere, sapienter omnia expendere & dispensare. Fidelis sit, ut faciat priusquam dicat: proueniat & quando. Fidelis sit ut memor sit pauperum, sicut Paulus: prudens autem, ut intelligat cui & quomodo debeat dispensare. Et hoc est quod dicit, dare cibos in tempore opportuno, tempore necessitatis & angustiae. Seruus ergo dicitur

mini famulatio praefectus, ut det illis cibum in tempore, si fide optima munus suum obierit, a domino redeunte praeficitur omnibus bonis suis. Non illi praescripsit dominus quando sit rediturus domum, ne possit in officio cessare, sed quodcumque redierit dominus, nonne beatus erit ille seruus, si offenderit eum fungentem officio suo? Pro certo dico uobis, quod expertus illius fidem, atidebit illi maiora credere, praeficietque omnibus bonis suis. Omnium quidem bonorum magna est gratia, inter omnes autem maxima est sacerdotalis functio, si quis eam bene obseruet. Cum sint enim omnium dei operum pretiosiora animarum hominum, quanto magis credibile est ut super omnia bona sua constituat eum, qui fideliter & sedulo confert deo lucrum animarum? Magnus est ergo qui bene regit hereditatem domini, quam proprio sanguine acquisiuit, tanto autem pestilentior, qui uastat & negligit.

Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo: Moram facit dominus meus uenire, & coeperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebrijs: ueniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus & stridor dentium.

Nemo est cui non dominus mandauerit de proximo, qui non debeat alijs quoque uiuere, non sibi soli. Nec omnino quisquam hominum est, qui non habeat quo proximis suis commodet. Id si synceriter & uigilanter studuerit, a redeunte domino nostro caelestibus bonis praeficitur: si minus, & disperdiderit male qua a domino accepit, atque sub spe nunquam redituri domini coeperit percutere seruos suos, quam is est infelix futurus quum dominus uenerit die quo non expectabat, & hora qua non suspicabatur eum rediturum? Non enim solum submouebitur a suo officio, uerumetiam dominus dissecabit eum medium & portionem illius adiunget hypocritis, hoc est cum impijs abijcietur in gehennam. Pertinet haec ad omnes parabola, quod omnes sumus dei serui. Summa igitur fide inuigilandum est, ut bona domini pro ipsius uoluntate dispensemus, lanitori uero in primis inuigilandum, quod ei domus custodia commendata sit, ut est apud Marcum. Ita sane plus reliquis inuigilandum quibus cura ecclesiarum incumbit.

CAPVT XXV.

Nunc simile erit regnum caelorum decem uirginibus, quae accipientes lampadas suas exierunt obuiam sponso. **A**

Haec duae parabola quas hoc capite Matthaeus commemorat, ad idem pertinent, id manifeste apparet ex eo quod huic priori parabola apertis uerbis subiicit, nempe ut uigilemus omni tempore, eo quod nescimus qua hora filius hominis uenturus sit. Hoc unum sane hic docere uoluit, unde & principale intentum est unum hoc, quod paratae uirgines ad nuptias cum sponso ingressae sunt, imparatae exclusae atque ignoratae. Ad rem praesentem facit monentem ut perpetuo uigilemus, parati euestigio uenienti sponso ut eamus obuiam, hoc est ultrò & cupienti animo fide plena instructi hinc ad eum concedamus. Non tamen sine causa hanc doctrinam docuit multis, sicut & hac parabola, quae & secundum uerba sua & sententias expensa non nihil complectitur eandem ruditionis sacrae, quam tamen sancti multi uarie tractauerunt. Vera quidem omnes scribunt, & ad uerborum rationem non inconuenientia; nobis autem

omnia expendētibus, hæc quæ diximus & dicemus uidētur singulariter proferta, partim iuxta Chrysoſtomum in Opere imperfecto, partim ab alijs deſumpta. Tunc ſimile erit, Chriſtus ait, tunc inquam, quando ueniet dominus, hora qua neſcitur, ad iudicium uniuerſale uel etiam particulare; interim enim non apparet quæ prudentes ſint uel quæ fatuæ. Tunc ſimile erit regnum cœlorum decem uirginibus, omnibus hominibus decem ſenſibus utentibus, quinque ſpiritualibus & quinque corporalibus. Quæ acceperunt lampades ſuas, ubi lampas dicitur fides, qua anima tota illuminatur, accendenda igne diuini timoris, uerbo domini quod ignis eſt; fides enim ex auditu, auditus autem per uerbum dei. Et uenerūt obuiam ſponſo. Ex illa enim die qua homo credit dei uerbo, ex mundo uidetur exire obuiam Chriſto, cuius expectat quotidie aduentum, ut peregrinus conuerſatur in ſæculo, Sponſa autem dici poteſt eccleſia glorificanda tandem in cœlis.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes:

Omnium hominum duæ ſunt partes: aut enim peccatores ſunt, qui ambulat ſecundum ſenſus carnales, aut iuſti ſecundum ſpirituales. Has autem uirgines diuidendas profert Chriſtus, quando iuſti ab iniuſtis, & ſancti à peruerſis per uerbū ſuū diuidendi ſunt, ut ponantur uel ad dexterā iuſti iudicis, aut ad ſiniſtram. Prudentes dicuntur qui incorrupto Chriſti uerbo credunt, & ſecundum illud exhibent ſe caſtam uirginem Chriſto, quorum ſenſus non corumpuntur à caſtitate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Fatuæ autem uirgines ſunt, quæ fidem uel non habent, uel non uiuacem, ſed ſine operibus iuſtitie tepidam & inertem, hoc eſt mortuam.

ſed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum: prudentes uero acceperunt oleum in uaſis ſuis cum lampadibus.

Sicut lampas non ex oleo accenditur, ſed ab igne, per oleum tamen nutritur, & niſi oleum ei ſubminiſtraueris extinguitur: ſic & fides non ex operibus nutritur uel accenditur, ſed ex uerbo dei, ſicut ait apoſtolus: Tum per bona opera nutritur propagatur & illuminat, & niſi ſubminiſtraueris ei opera bona, deficit, & non fuiſſe uera fides monſtratur. Vere autem fatui omnes homines ſunt, qui ſolum exiſtimant ſibi poſſe ſufficere ad ſalutem ſi ſimpliciter credant in Chriſtum, & Chriſtiani dicantur, niſi bona opera curantes, cum dicat apoſtolus: Quia fides ſine operibus mortua eſt.

Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes & dormierunt.

Tardante conſummatione prædicta, non ſolum peccatores, ſed etiam iuſti ad negligentiam deoluuntur, & relicta uirtutis uia ad carnalia delectamenta aliquatenus tranſituri ſunt, ſecundum illud Pfalm. Saluū me fac domine quoniam niam defecit ſanctus. Et Chriſtus: Cum uenerit filius hominis putas inuenies ſi dormire. Qui uere credit conſummationem eſſe propinquam, non ex uerbis quæ dicit aut audit, ſed ex operibus quæ agit cognoscitur: niſi enim curat de mundo, nec in poſterū aliquid ſeruat, ſicut nec peregre profecturus aliquid ſecum in uia portat.

Media autem nocte clamor factus eſt, Ecce ſponſus uenit, exite obuiam ei.

Quaſi clamor ſit præcurrentium & prætubantium angelorum iubentium exire

exire obuiam, ut scilicet exeant de mundo, exant de iniqua carnis natura. Qui enim intelligit illa signa clamantia sæculi finem, ille audit clamorem tubarum clamantium, Quia uenit sponsus: quarum uocem nõ corporis auris audit, sed animæ intellectus, & fides in uerbum domini.

Tunc surrexerunt omnes uirgines illæ, & ornauerunt lampades suas.

Cum clamor factus fuerit, non solum iusti, sed etiam peccatores de somno negligentia surgent: incipient enim timere & festinare, tunc credent quia uere liniendus est mundus. Nam ut securitas negligentiam, sic periculi timor exhibet diligentes, sed nihil proderit diligentia sine fide. Tunc sapere incipient nihil esse uixisse in mundo, nihil proderit sapuisse. Tunc component lampades suas, omnes aspiciere incipient et discutere fidem suam & opera, quæ bene agere conati sunt, ne aliqua ex parte sponso displiceant. Ita singuli semetipsos iudicabunt, fidem suam discutient, conscientias interrogabunt. Quod si semper ageremus, nunquam peccaremus in dominum. Sicut ergo uirgo deformis & ingrata sine causa se componit: sic & tunc peccatores sine fructu se preparabunt Christo obuiam in regnum cœlorum.

Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostrae extinguuntur.

Extinguitur tunc lampas hominis, quando fides eius deficit ac desperat. Si enim bene sibi cõsciis fiducialiter agit ac magnanimiter, quemadmodum si quis infuso oleo lumen addit lucernæ: sic ille operum bonorum studiosum se inueniens, fidei suæ addit audaciam, ut fiat ad opera meliora uiuacior. Qui autem male sibi conscius, semper timidus est & pusillanimis. Ideo ergo timentes miseri et desperantes peccatores ad sanctos dicunt: Date nobis de oleo uestro. Hoc est, Vos sancti qui fidei iustitiam cum operibus sufficiẽter habetis ad gloriam dei consequendam, accommodate nobis operum uestrorum et fidei abundantiam, quando & sufficientes estis & uos glorificare & nos excusare si uolueritis, ut utriq; saluemur.

Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & uobis, ite porius ad uendentes, & emite uobis.

Ostendit Christus tam futurum terribile iudicium ut nulla innocentia sibi confidat. Nemo enim de muliere natus credat iustũ se esse uel inueniri in conspectu dei. Cum stellæ etiam in conspectu eius non sint mundæ, & cœlum sine crimine non est: quomodo ergo appareat in iudicio dei iustus homo, cuius & sine actu peccandi natura ipsa peccatum est, dicente apostolo: Ego carnalis sum, uenundatus sub peccato: quod enim operor non intelligo: nõ enim quod uolo hoc ago, sed quod nolo illud ago. Et iam nõ ego operor illud, sed quod habitar in me peccatum. Tantus erit ergo tunc timor omnium etiam sanctorum, ut nemo præsumat se iustum inueniendum. Quomodo ergo pro peccatoribus tunc intercedent sancti, cum timeant ipsi de se? Sed & indignæ sunt passionēs huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Bonum ergo est consilium sanctorũ ad peccatores, ut eant ad sacerdotes & ministros uerbi dei, illud fideliter audiãt, si quo modo per dei gratiam adiuuantem cum audierint & crediderint faciant, ut habeat uirtutem olei fides eorum, si tamen tempus habuerint.

Dum autem irent emere uenit sponsus: & quæ paratæ erant intra-

uerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.

Quotidie uerbum dei docetur in ecclesia, clamatur pro fide & sanctis operibus obtinendis, pro mundi contemptu contra auaritiam & ambitionem, praedicatur instare diuinum iudicium, mortem non tardare, finem adesse; nemo autem aut pauci credunt. Cum uero ingruerint mortis fata, festinant & anxiantur, uocant sacerdotes, poenitentiam uolunt agere, quando iam poenitentiae locus non est. Itaque dum exponunt peccata sua, dum accipiunt poenitentiae tempus, dum meliora proponunt, errata confitentur prioris uitae, et gratiam implorant, capitur eorum anima, & uacui decedunt, magis autem ligati iusto dei iudicio, quia non propter odium peccati sibi displicentes uolebant agere poenitentiam, sed ob mortis timorem: si enim adhuc uiuere potuissent non sibi displicuissent.

Nouissime uero ueniunt & reliquae uirgines, dicentes: Domine, domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico uobis, nescio uos.

Nihil prodest ex necessitate & non ex fide uel charitate repetitum propositum emendandi & peccatorum confessio. Voluntaria autem & ex fide profecta peccatorum displicentia & confessio modica deo sufficit; ex necessitate autem sola neque magna sufficit. Nescio, inquit, uos, quia signa spiritus mei in uobis non uideo. Sicut enim qui immundum habet spiritum opera bona agere non potest; sic qui fidem habet & spiritum sine bonis operibus esse non potest, sicut nec arbor bona sine fructu suo tempore. Institutio & uoluntas mea est, fugere malum & sequi bonum; uos autem contra, bonum fugistis, malum autem operati estis. Non potestis meorum militum praemia accipere, qui tyranni uexilla secuti estis. Non possum dicere meos, in quibus meum nihil agnosco.

Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Hic intentionis Christi scopus, & totius parabolaes sensus principalis & ferre unicus adnotatur, quasi dicendo: Vos igitur ad exemplum prudentium uirginum serui fideles ac prouidi patresfamilias, uigilate, & in tempore uobis parate bonorum operum comitatum, quia nescitis diem & horam illius aduentus, qui cum subito extiterit, iam non erit amplius tempus benefaciendi, sed cuique ferendum erit praemium pro retro gestis. Addidit quoque dominus & aliam parabolam, extimulans discipulos suos ad perpetuum studium bonorum operum, ne committerent ut doctrinam ac dotes a se acceptas sua negligentia liberent esse steriles, sed studio curaque sua uerterent inutilitatem proximi, seque praepararent idoneos maioribus donis, qui quod pro suo modulo captique accepissent, collocassent in lucrum domini sui, qui gaudet tali faenore ditescere, cum bonorum nostrorum non egeat.

B Sicut enim homo peregre proficiscens, uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij uero unum, unicuique secundum propriam uirtutem, & profectus est statim.

Christus post uictoriam passionis ad patrem iturus, ueluti homo peregre profectus, commendat dilectionem suam ad sanctos. Vis autem scire quantum diligat fideles suos, considera quid passus est pro eis. Si enim magis quam gloriam suam illos amauit, quam propter illos ad tempus posthabuisse uisus est, quasi homo moriens propter eos, quid mirum si maiore dilectione tenebatur sanctorum quos relinquebat in terris, quam dilectione gloriae quam habebat in caelis? Et tradidit illis bona sua. Non inuidens alij plus dedit alij minus, sed pro

pro diuersitate fidei eorum, quam & ipse largitur, dona distribuit: qui autem inuidus est aut parcus, omnibus est parcus & inuidus, nō faciens differentiam personarum. Considera quomodo penē æqualiter remunerauit eum qui tantum in danda gratia quantum in reddēda mercede esset æqualis ambobus. Manifestum est quod in danda gratia non personas aspexit, sed cuiusq; uirtutem, quam & ipse nulli negat petenti: ne supra uirtutem opus iniungens ipse occasio esset offensionis, & non reus esset qui peccauit, sed qui supra uirtutem pondus imposuisset. Volēs ergo dominus socios nos habere in regno cœlesti, opera nobis diuersarum iustitiarum commisit, non quia non habeat potestatem & sine operibus nos glorificare, sed ideo opus præmisit, quia sic illi placuit sicut conueniens esse uidit, & sibi gloriosum & sanctis.

Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens, fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.

Abijt dominus, quia reliquit seruis suis dona sua, adiutrice semper uniuersali prouidentia fructificatura. Eum qui quinque talēra acceperat abijisse & operatum fuisse, est ipsum illa diuina dona non tenuisse otiosa. Et alia quinque esse superlucratum, est eum ex uno quoq; dono fecisse fructum, & eum uberem. Verbi gratia, si quis habet talenta fidei, spei, & charitatis, doctrinæ & zelī, potestatisq; in populū, multos ad fidem illuminauit, plenaq; fiducia ad sperandum erexit, charitate inflammauit, diligenter & zelose sanctam doctrinam docuit, suaq; autoritate in bono cōtinuit, a malo coercuit uel reduxit: hic & sua quinque talenta seruauit, & insuper alia quinque lucratus est. Simile de eo qui duo talenta acceperat. At qui unum accepit talētum, siue fidem siue supposita fide aliud quodcunq; dei donum, abijens fodit in terram, quia illud in anima sua otiosum esse permisit, nihil autem fidei operatus ac doni, quod illi ut operaretur concessum fuerat.

Post multum uero temporis uenit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratum sum.

Præsente Christo nec tentari fideles poterant nec probari, si essent ueri fideles: quoniam si sit præsens non creditur sed uidetur, cum autem absens fuerit non uidetur, sed creditur dum timetur. Christo igitur præsente opus bonum quod fiebat non uidebatur esse in fide, sed in oculis. Ideo nec poterant sibi mercedem fidei per iustitiam acquirere, nisi ascendisset ab eis. Nam seruus fidelis domino absente probatur: præsente enim domino quicquid fecerit nō est laus serui sed domini. Tempus autē differt longum, ut prolixior detur hominibus iustitiæ faciendæ licentia. Bonus autem hic seruus non quasi glorians in opere suo lucri talētorum memoriam facit, sed primum meminit quæ accepit, postea quæ inuenit, ut ostendat non studiū sui esse aut laboris quod acquisiuit, sed beneficiorum domini sui quibus acquisiuit. Quasi dicat: Ego quantum ad meum studium & laborem nec modicam quidem iustitiam facere potuissem, nisi operante in me gratia tua: sicut dicebat Paulus: Plus omnibus laboraui, nō autem ego, sed gratia dei mecum.

Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

Pauca sunt admodum, si quis de magna massa tritici modicam dederit dramam, aut de magno uase uini modicum dederit gustum: sic de magno thesauro regni cœlestis modica nobis arra præstatur per spiritum sanctum, magna tamen nobis esse debet & est, si nostris meritis cōparetur, uel fructibus. Propter quod dicebat apostolus: Ex parte eīm cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem uenerit quod perfectum est, destruentur ea quæ ex parte sunt. Intra, inquit, in gaudiū domini tui, ut possessor fias gaudiū cœlestis & eterni, non tantum spectator. Etiam non quasi minister domini in gaudio eius, sed participes gaudiorū. Sicut alibi dicit: Pater, uolo ut ubi ego sum, & isti sint mecum, ut meam uideant gloriam quam mihi dedisti. Nihil autem dignum facimus in hoc sæculo, quo mereamur fieri participes regni domini dei nostri. Non sunt enim condignæ passionēs huius temporis ad futuram gloriam.

C Accedens autem & qui duo talenta acceperat, ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

Quanquam hic seruus uideretur minor in opere, non tamen deprehensus est minor fuisse in uoluntate. Videns dominus seruo illi non uoluntatem operandi adfuisse minorē, sed fidei uirtutē: nam et ille uoluit similiter amplius operari, sed maioribus desiderijs eius nō suffecit modica fides. Ideo iustus iudex, & si non similia lucra accepit ab illo ut ab isto, tamen beneuolentia simili suscipit ut illum: quia Christus non magis operum est remunerator quam uoluntatum. Non dignitas officiorum apud deum honorabitur sed uoluntas. Non ergo iudicandi sumus quia non fecimus quod in parte nostra non fuit, sed ab illo quod possumus prouocati dei gratia & adiuti si uellemus.

Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti, & timens abij & abscondi talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est.

Accessit tandem & is qui talentum acceptum defoderat in terra, ac iustus rationem reddere, non solum non agnoscit culpam inertiae, uerum etiam dominum insimulans austeritatis & auaritiæ immodicæ, crimen officij neglecti conduplicat. Domine, inquit, sciebam quod esses homo austerus, inde messeras sumptū. Proinde metuens, ne si fors aliquo casu perisset, sequeres in metibus defodisceris talentum tuum in terra. Hoc malui, quàm dum usuram capto periclitari de sorte. Ecce habes quod tuum est. Si non mereor laudem ob lucrum additū, certe fors curauit ut esset in tuto. Huiusmodi uerbis tertio peccat: primo inobedientia peccat, secundo excusat, tertio iniuriam domino facit: tantum malum est excusatio peccatorum. Mentitur primum, ubi dominum dicit metere ubi nihil seminauit. Quis enim hominum est qui nō ornatus à deo est sensibus corporalibus et spiritualibus? qui caret scientia boni & mali? cui non indicauerit malum fugiendum, bonum autem apprehendendum? Tu potius tot semina accipiens gratiarum, uel unum iustitiæ fructum non debuisti offerre? Creat enim

enim sunt in te iudicia & uirtutes, quibus resistere possis motibus concupiscentiarum carnalium, id posse quoque à domino accepisti, si uelis.

Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, et ueniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.

Malus uel nequam seruus dicitur, quia contumeliam reddidit domino pro honore. Piger, quia talentum non duplicauit; ideoque & ut superbus & ut negligens à domino condemnatur. Vere enim nequam, quia domini largitate quae si uolentiam accusauit. Non enim deus intellectum dat homini ut inde gloriam augeat suam, sed ut per dei gratiam ipse sibi seruus uitam aeternam & gloriam mereatur. Seruus autem is excacatus malitia, dum uult sapientiam dei fallere, maioribus se poenarum uinculis alligauit. Si enim uere talem nouit dominum, eo magis curare debuit, ut per diligentiam suam auariciam domini tam potentis faceret suam utilitatem, ne iniustitiam domini magis ad iracundiam prouocaret, quia austeritas non contemnitur sed timetur. Mensa nummulariorum inmensa panis uerbi nutrens animas positus est, supra quam omnes Christiani recumbunt & epulantur in spiritu. Nummularij autem praesidentes mensae istae sunt sacerdotes fideles & prudentes, qui cum uiderint fidem & actus Christianorum, accipiunt iudicium de scripturis, quasi de mensa, ponderantque eos & aestimant, & intelligunt si digni sunt deo aut non. Huic mensae qui commiserit suam fidem, quam baptizatus suscepit à Christo, ut in ecclesia permaneat, scripturas legat ac audiat incessanter ex fide, impossibile est ut non augeatur fides ipsius. Generatur indies timor domini, illuminatur sensus, scientia crescit, conseruatur in fide, excitatur desyderium regni coelestis, zelus antiquorum apprehenditur, quem passim legit in sacris, ut sic usuram amplissimam faciat mensa scripturarum sacrarum. Fides otio minoratur, torpescit, & per carnales actus exinanita uadit ad nihilum: exercitata autem scripturis nunquam desinet crescere: erit enim tanquam lignum quod plantatum est secus decursum aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quaecumque &c.

Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta: omnium enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem qui non habet, et quod uidetur habere, auferetur ab eo. Et inutilem seruum eijcite in tenebras extra.

Christum agnoscens, & cum possit fide & factis non confitens, à consortio fidelium eijci meretur: sicque ab eo tollitur quod habere uidebatur. Ille habet uere scientiam Christi, qui facit iustitiam. Is cum nunc uidet per speculum in aenigmate, & cognoscit ex parte, olim cognoscet sicut & cognitus est. Quicquid boni sine fide Christi est, non ei imputatur qui male usus est eo. Sunt qui uidentur mansueti & humiles, sed non propter deum; & id quidem bonum uidetur, non est autem, quia quod non est ex fide peccatum est. Mitti autem in tenebras exteriores, est iudicari ad poenam aeternam, sicut ad sinistram: de quo sequens parabola est, & Christi doctrina de extremo iudicio & uniuersali. Duabus itaque his praedictis parabolis tota pietatis ratio tradita est. Priore fides qua à mundo abstracti nihil aequè optemus quam uenienti sponso ire obuiam. Hac uero

Supra 13. b
Marci 4. c
Lucæ 9. c. 19. d

syncera dilectio, qua nihil nostri quærentes toti in hoc incumbimus, ut his quæ à deo accepimus siue spiritualia sint siue temporalia proximis inseruiamus, in primis tamen in hoc dantes operam, ut deo ipsos lucremur, uel ex bonis meliores reddamus.

Cum autem uenerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo.

Post biduum pascha celebraturus & tradendus cruci, ab hominibus quoque illudendus, aceto & felle potandus, in maxima humilitate & infirmitate, recte præmittit gloriam triumphantis, ut secutura scandala pollicitationis præmio compesaret. Criminosas autem personas iudex auditurus in publico, tribunal suum collocat in excelso, circa se constituit uexilla regalia, ante conspectum suum ponit super mensam caliculam, unde tribus digitis mortem hominibus scibat aut uitam, hincinde officiales ordinate consistunt, in medio secretario ponuntur genera horrenda poenarum, quæ non solum pati, sed & uidere tormentum est. Stant iuxta parati tortores, crudeliores aspectu quàm manibus. Tormenta iudicij facies cuiusdam schematis terrore uestitur. Et cum ad medium productæ fuerint criminosa personæ, ante interrogationem iudicis ipsius iudicij perribili diseruciatur aspectu. Similiter & dominus se ad iudicium uenturum pro-mittit, similiter cum terrore, non cum simili terrore; nam & bona & mala similiter ordinata sunt in terra sicut in cœlo, non tamen similia. Ergo uidentes in terra poenas & glorias, non similes putare debemus in cœlo, sed cum sint cælia super terram, multo maiora suspicari debemus in cœlo. Quantum enim splendor in typo, illius autem iudicij maiestas in ueritate, testate propheta; Deus manifeste ueniet, deus noster & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit & in circuitu eius tempestas ualida &c. Manifeste, inquit, non iam cælatus in gloria, ut etiam mali eum confiteantur & sentiât nolentes & inuiti; ut qui contempserunt eum in humilitate, cognoscant eum in potestate. Et qui scire noluerunt quàm dulcis est eius misericordia, sentiât quàm grauis est ira ipsius.

Tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes.

In primo aduentu mundauit nos per uerbum, lauit per aquam, sanctificauit per spiritum. In secundo autem glorificabit per resurrectionem, cum transi-formauerit corpus humilitatis nostræ, ut fiat cõforme corpori gloriæ eius, cum feminati fuerint homines in infirmitate & surrexerint in gloria, cum seminati fuerint corporales & surrexerint spirituales, tunc sedebit in sede gloriæ suæ, cum sedes eius hoc modo facta fuerit gloriosa. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, quia omnibus gentibus cognitionis suæ gratiam condonauit, iudicans iuste in utroque, ut nec boni sine doctrina ueritatis, bonitatis suæ poenas effugiant, nec mali propter excusationem ignorantia malitiæ suæ poenas effugiant. Nam sicut in nocte rerum facies non apparet, sed & gemma quasi lapis uideretur, & lapis quasi gemma existimatur; sic & ante aduentum Christi, humanorum cordium differentia non apparebat, sed & mali quasi boni sustentabantur, & boni quasi mali contemnebantur. At ubi illuminatio Euangelij ad omnes gentes prædicata peruenit, tunc manifestata est qualitas omnium uoluntatum, tunc omnes gentes factæ sunt inexcusabiles. Et ideo tunc iuste ad iudicium congregabuntur.

gabuntur omnes, quia qui mandatum præmittit, tacite iudicium futurum esse denunciat. In conspectum igitur huius iudicis conuocabuntur omnes totius orbis nationes. Nullus enim hominum quamlibet excelsus aut humilis poterit illud iudicium effugere, id non humanis coniecturis, sed exacto dei iudicio peragetur, cuius oculis omnia sunt conspicua præterita & futura.

& separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis, & statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

Nunc quidem homines permixti uiuunt iusti cum impijs, ut præ confusione discretio nulla appareat ad homines. Sicut hyeme nõ est discretio inter uirides & aridas arbores, uernale autem illud tempus cum applicuerit discernuntur. Nunc secundum fidem & opera in iudicio manifestantur, folijs iusti uestiuntur uitæ æternæ, & fructibus gloriæ ornabuntur. Et à cœlesti pastore hoc modo segregabuntur. Et pastor quidem corporalis segregat secundum naturas corporum, Christus autem secundum fidem & opera animarum. Oves sunt homines iusti ob mansuetudinem, neminem lædentes ob patientiam si lædantur. Ligantur enim & tacet aut simpliciter balant; sic sancti cum læduntur aut tacent aut in benignitate probati preces mittunt ad deum. Si maledicuntur, non remaledicunt; percutiuntur, non reperiunt; bona eorum diripiuntur, non cit homines peccatores ob libidinem præ cæteris animalibus significantes sunt perbiam & rixam: semper enim incedunt aut percutientes aut humero pulsantes aut cornu, inuidentes mutuum, gloriantes, & impetu gloriæ per præcipitia temere scandentes, garrulæ clamoribus. His uitijs homines hœdis assimilantur nempe peccâtes & impij. Introductus ad regis conspectum uel iudicis, ex ipso loco stationis intelligit gratiam, si propius accedere iubeatur, uel odium si longius stare iubetur. Sic iustos deus ad dextram locat, peccatores ad sinistram, ut unusquisq; meritorum suorum conditionem ex loci definitione cognoscat, & ante iudicij sententiam iam confusionis pœnam excipiat. Quanta autem impij os confusio torquebit, quando ante conspectum angelorum segregatis iustis fuerint derelicti: quæ sola confusio superat omnes huius mundi aduersitates.

Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi.

Vniuerso mortalium genere in duos ordines distributo, tanquam iustus iudex utriusq; rationem proferet sui iudicij, ut boni cognoscant quibus officijs promeruerunt tantam felicitatem, & mali audiant quibus culpis commeruerint æterna supplicia. Ac dextrum quidem ordinem placido latoq; uultu saluans: Venite, inquiet, amici mei, quos mundus quidem despiciat & execrabilis quæ me causa perpeffi estis accipite hæreditatem regni cœlestis, quod uobis diuino consilio paratum fuit à deo omnium rerum præscio ante conditum mundum. Hoc tanto præmio compensare uisum est officia charitatis erga me uestræ, ne uobis perisse putetis. Dedistis enim quæ non semper habere poteratis, recipite nunc quæ semper possideatis. Centuplum in cœlo, quod unicum seminastis in terra. Nec quantũ iustitia hominum mereri potest, tale creatum regnum cœlorum, sed quale dei uirtus potuit præparare. Si enim secundum angustias humanæ iustitiæ regnum cœlorum creare uoluisset, utiq; post opera hominum creasset illud, nunc autem quoniam non secundum mercedem ho-

minum, sed secundum suam largitatem constituit mercedem sanctorum. Ideo antequam sanctos crearet in saeculo, regnum illis praeparauit in caelo. Propterea & quos ante constitutionem mundi suos esse cognoscit, tantis eos laboribus onerat, & tam diu laborare facit, donec digni efficiantur regno caelesti.

D esuriui enim, et dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus eram, & operuistis me: infirmus, & uisitastis me: in carcere eram, & uenistis ad me.

Isaie 58.b
Ezech. 18.b
Eccli 7.d

Non est hoc sic accipiendum quasi propter haec opera sit electos ad possessionem regni caelestis uocaturus, sed quod opera illa testentur eos benedictos patris, & ad possessionem regni fuisse ante conditum mundum electos, quibus luculenter declarauerint se spiritu patris praeditos fuisse. Pauperibus enim bene facere, non est nisi spiritus patris opus. Hoc igitur sensu haec sunt accipienda. Vere enim ad hoc uos pater elegit, antequam fundamenta mundi iacerentur, idque postea benedictione spiritus sui manifestum fecit, quo ipsum in omnes beneficium beneficentia in minimos meos retulistis. Nam esuriui in illis, & cibati & donati fuissetis. Opera itaque hic commemorata testimonia sunt ouium, quod uerae oues filij dei & haeredes existant, non igitur merita ut dictum est. Ad haereditatem uocantur percipiendam electi, non ad percipiendam mercedem. Interim considerandum quanto gaudio extollentur sancti, quando in omnium angelorum conspectu quod ipsi fecerunt hominibus, ipse dominus se accepisse fatebitur. Tale enim uidebitur eorum opus, non quale datum, sed qualis ille qui accipit. Ad litteram autem satis manifesta sunt opera misericordiae, non tantum illa quae enumerata sunt, nempe sex, sed & alia multa his non absimilia, etiam corporalia, ut subleuare portantem onus, uiam monstrare erranti, sepelire mortuum: quin & spiritualia multo plura, ut pane salubris doctrinae errantem, firmum in fide assumere, consolari caecos, & similia multa.

Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, & pauius te: sitientem, & dedimus tibi potum: quando autem te uidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te: aut quando te uidimus infirmum: aut in carcere, & uenimus ad te: Et respondens rex, dicet illis: Amen dico uobis, quamdiu fecistis uisum

Humilitas modestiaque hic notatur sanctorum, quae nec post mortem desiderat. Malus homo delectatur etiam in falsis suis laudibus, quanquam non ad se pertinere agnoscat. Bono autem homini si gratiae aguntur etiam dignae, tamen refugit & repellit audire etiam ea quae sibi debentur: sic hic quoque sancti debita tam sibi laudem tunc repellentes, dicunt: Quando te uidimus esurientem, & respondet rex &c. In tanta gloria constitutus Christus dominus & rex fidelium adhuc contentus est eos dicere fratres, quibus sufficeret ad laudem si seruuli appellarentur. Non enim Christus in tanta maiestate sedens & in iudicio gloriae ueniens, mutauit priorem uoluntatem. Si autem haec omnia corporaliter conuicium sunt moritura, putas quantae beatitudinis est haec omnia spiritualiter conuicium. Nimabus periclitantibus ministrare, quod uiuificante spiritu uiuant in eternum: Quanto melior est anima quam corpus, tanto meliora sunt quae ad salutem animarum

marum, quàm quæ ad sustentationem corporum ministrantur.

Tunc dicit & his qui à sinistris erunt: *Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non uisitastis me.* Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te uidimus esurgentem, aut sitientem, aut hospitum, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi: Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico uobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

Notandum & ex hoc loco quanti sint domino inopes & afflicti, ut sibi factum interpretatur sit quicquid his factum fuerit, & se quoque præteritum reputabit istis neglectis, quos habet dominus suum peculium pauperes & egenos. Hoc uero proprie ad præsens institutum facit: nam monere his uult, ut se interdicem certa fide expectemus, sed nequaquam ignaua aut uacante, sed sine intermissione negotiâte, in salutem proximorum. Proinde qui minimi quidem sunt sibi non displiceant, cum tanti domino sint ut sibi impensum accipiat, quicquid fuerit ipsis impensum, & sibi negatum, quod fuerit negatum ipsis. Alij quoque homines si spiritu dei imbuti fuerint, & ipsi quoque tales dei amicos pauperes non ut minimos æstimabunt, sed ut dei familiam & peculium singulare. Discimus quoque ea potissimum deo haberi bona opera quibus proximo proficitur, & quæ ex charitate & fide in deum proficiuntur. Cum proximo propter dei amorem beneficia conferuntur, fidei & charitatis exercitium pariter impletur.

Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in uitam æternam. *Ioan. 5. 6*
Dixerat iam ante ignem æternum paratum diabolo & angelis eius, hoc est etiam ipsis reprobis, ut regnum patris paratum non angelis sed & ipsis electis dixerit, & quidem ab exordio mundi. Eo uoluit significare atrocitatem poenæ quam impij communem cum diabolo & angelis eius habituri sint. Ut autem ad beneficentiam electos inflammaret, ait se illis dicturum: Possidete regnum &c. Non autem aliter hic pronuntiatur malorum æternum supplicium quam æterna & felicissima uita bonorum. Si igitur hæc finem nullum accipiet, cur audent quidam illi finem facere? Hoedi uasa iræ sunt, parata in interitum. Nemo à charitate alienus, nisi qui & fide uacat, qui & tandem agnitam respuet ueritatem, blasphemusque erit in spiritum sanctum, id neque hic nec in futuro remittetur, sed experietur insani homines, quod uerbis domini credere modo nolunt.

CAPVT XXVI.

ET factum est, cum consummasset Iesus sermones hos omnes, A
dixit discipulis suis:

Finierat iam dominus sermones huiusmodi hæc præscriptos, qui *Marc. 14. d*
Luce 22. d
bus tot modis confirmauerat animos suorum aduersus afflictiones imminentes, ne planè deijceretur, cum mox uiderent dominum suum rapi ad ignominiosum supplicium, tandè palàm ausus est illis aperire diem ac modum mortis suæ, cuius mentionem inculcat animis discipulorum, ne quum eam uiderent uelut ad rem prorsus inexpectatam sic expauescerent, ut penitus ani-

mum desponderent, præsertim cum intelligerent dominum ultrò uenisse ad mortem, quam, alioqui licuisset effugere, neq; prius occidi potuisse quam adesset ille dies, quæ ipse suæ morti præfinierat. Ideo loquitur discipulis suis, dicens:

Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur.

Discipulis loquitur qui communes Iudæorum traditiones & ritus solennitatum non ignorabāt. Pascha autem hic dixit Christus horam agni immolandi pro paschate inter duas uesperas secundum legem, eo die quando esset quarta decima luna post nouilunium proximum uernali æquinoctio, cum Sol Arietem ingreditur, cum incipit lunatio, id est mensis primus. Secundum autem Hebræorum fidelium traditionem, qualis fuit Paulus ille Burgensis episcopus, Dies ille parasceues in qua Christus crucifixus est, re uera fuit quintadecima luna illius anni, in qua die iuxta patrum traditiones non poterat paschæ solennitas magna celebrari, propter sabbatum sequens, ne duæ maximæ solennitates continuis duobus diebus celebrari cogerentur, in maximū gratiam tantæ populū. Ideo iuxta suos canones & calculationes transfulerunt paschalem solennitatem, quæ erat dies prima azymorum, in sabbatum, qui secundum hoc erat iam lunæ sextadecima. Ex quo patet cōcordia Euangelistarū in hoc, quod Christus dominus quartadecima luna uesperæ cœnam habuit cum suis discipulis; & pascha nouum instituit, nempe quinta feria, quæ Iouis dicitur. In quinta decima autem luna sese uerum pascha obtulit in cruce patri pro peccato totius mundi. Ex quibus liquet diem ante biduum fuisse lunam undecimam, nempe diem Martis, quam diem sequens duodecima fuit, & deinde luna tertradecima, post quos duos dies quinta feria & quartadecima luna ad uesperum pascha comedere Christus uoluit cum suis discipulis. In eadem autem nocte traditus est Christus dominus post cœnam noctu in manus Iudæorum & gentium, qui illum ceperunt ut crucifigeretur. Traditus est autem Christus à patre primo, deinde à Iuda traditore, post hæc à Iudæis Pilato, à quo tandem licet crucifigeretur. Pater quidem propter misericordiam circa genus humanum, qui unico filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Careri autem tradiderunt improba uoluntate, & iniquo proposito, iuxta malitias suas priuatas et uarias. Erat autem is dies paschæ à uespera ad uesperam, qui magna religione celebrabatur apud Hebræos, anniuersariam memoriā sibi renouantes, eius diei & noctis, quo quondam apud Aegyptios agni sanguine postibus illito, liberati sunt ab angelo interfectore, & occisis hostium primogenitis tandemq; residuis in mari rubro prauocatis, ipsi incolumes mare illud rubrum & sicco pede maximo dei miraculo transierunt. In huius rei memoriā & gratitudinem quotannis immolabant agnum anniculum immaculatum, eumq; ab angeli transitu uocabant phase. Erat uero hic agnus phase typus & imago domini Iesu Christi uenturi suo tempore, iuxta prædictiones patriarcharum & prophetarū, & totum orbem à peccati reatu & tyrannide suo sacrosancto sanguine redempturi, qui solus omnium à peccatorum maculis fuit immunis. Huiusce rei discipulos submonens, ait: Scitis post biduum immolandum esse pascha, atq; eo die filius hominis tradetur ad crucifigendum.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum & seniores populū in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas; & consilium fecerunt ut Iesum dolo tenerent, & occiderent.

Imminebat quidem dies ille sacer et lætus, cui celebrando conveniebat pijs operibus preparari, & meditationibus sacris de mysterio designato, & de gratia dei accepta dudum in exitu de Aegypto, & de præfigurato Messia excessu perficiendo, in cuius fide sancti omnes semper saluati sunt. Sed longe aliter animati hi impij Iudæorum primores congregati sunt, post prædicta Christi uerba ad discipulos, uel iam ante, quorum autoritate decuerat populi furorem cohiberi, si quis extitisset. Congregati sunt autem in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas; nam hi potissimum conspirarunt in Iesum, quod metueret, ne si ille esset incolumis, sibi suus periret quæstus & autoritas. Illic igitur impio consilio decretum est, ut non palam ac ui, sed dolo Iesu manus iniicerent, & occiderent. Quis hic Caiphas fuerit & cui successerit uel præcesserit, si scire libet lege Iudæum Iosephum lib. antiq. 18. cap. 8. & 4. Omnia tunc sacra officia per auaritiam & ambitionem sacerdotum iam pridem à Romanis conferri solebant, ut quæ abolitioni proxime accedere uidebantur. Omnia enim iam contra legem ab impijs sacerdotibus agebantur, quæ præscribebat, perpetuum esse debere summum sacerdotium, de genere Aaronis, per omnes dies uitæ autoritate, sed gentilium Romanorum iussu, quibus sponte iam in talibus obediabant.

Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

De homicidio quidem iam conveniebat, etiam inter alioqui male concordantes proceres, ambitiosos, & auaros, sed consultatur nunc de tempore & oportunitate personarum & loci. Quanquam enim uehementer sitiebant innoxium sanguinem, liuore & odio rabidi, tamen uisum est in aliud tempus differri cædem, quod immineret in proximo dies ille præcipue sacer ac festus Iudæis. Verebantur enim ne si illum aggressi fuissent eo die quo populus solet frequentissime conuenire, tumultus aliquis exoriretur, propterea quod non pauci essent in populo, qui miraculis conspectis & expertis, auditaq; doctrina mirabili, & animaduersa morum incredibili mansuetudine, magnifice de illo sentirēt. Metuebant plebem, qui non metuebant deum; nec uerebantur homicidio pollueretur diem festum, qui non ausi fuissent uesci panibus fermentatis. Hoc consilium illis fatanas suggessit, cupiens occultare uictimam illam orbi salutē allaturam, sed aliter uisum est consilio diuino. Neq; enim decuit eam hostiam furtim abijci, quam pater uoluit non pro Iudaicæ gentis tantum, sed pro totius mundi salute immolari. Ideo decreuerunt tandem pridie incipientis festi capiendū, idēq; decernunt omnium primores & sanctiores, nempe insectari crudeliter innocentiam & ueritatem.

Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.

Variant hic scriptores de unctione hac, & ea quæ scribitur Ioan. 12. Firmiores autem sunt coniecturæ, eandem à Ioanne unctionem descriptam, quod utranq; Bethaniæ & sub tēpus supplicij Christi accidisse, eisdē uerbis cōtra eam murmuratum, murmurq; repressum à domino, & unctricem excusatam legamus: neq; uerissimile est, post increpatū se uere ad eodē Iudam discipulos reliquos idem aufuros fuisse. Porrò illa quæ legitur Lucę 7. ex loci circumstantia & temporis probatur alia fuisse longe ante supplicium, & in Galilæa. Illic peccatrix

Marci 14. 4
Ioan. 12. 4

sine nomine, hic laudata soror Lazari Maria, unxisse legitur. De tribus Magdalenis extat liber Iacobi Stapulensis, in quo error ille ridiculus confutatur, quo stupidi nugatores eandem mulierem fecerunt & illam peccatricem, & Mariam Magdalenam & Mariam sororem Lazari & Marthæ, quas tres fuisse uerissimè lius est, duas autem fuisse ad minimum aperte cõuincitur. Ergo mulier hæc soror Lazari fuit & Marthæ, ea nimio quodã amore domini accepit alabastrum unguenti: nam in eo genere uasorum optime seruari unguenta author est Plinius, lib. 13. Ioannes & pondus expressit & speciem, libram scilicet & nardinorum. Hæc omnia præterquam quod præfagium erant mortis Christi, ut ipse ea interpretatus est, ingentem mulieris huius erga Christum fidem & amorem indicarunt. Simon autem leprosus dicitur, non quod leprosus & illo tempore permaneret, sed quia antea leprosus, postea à saluatore mūdatus, nomē pristinū retinuit. Sicut & in catalogo apostolorum cum pristino officio & uitio publicanus publicanus appellatur, qui esse desierat publicanus.

Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: **Vt quid perditio hæc? potuit enim istud uenundari multo, & dari pauperibus.**

Per Synecdochen & Syllepsin pro uno omnes, & pro multis unus appellari solet: id quod frequens est in omnibus scripturis, & in ipso Paulo, cum ad Hebræos sanctorum merita & passiones descripsisset, intulit, Lapidati sunt, tentati sunt, ferrati sunt &c. cum unum tantum Esaiam prophetam sectum Iudæi autement, Quamquam & dici possit uere apostolos indignatos propter peccata res, Iudam autē propter lucra sua: unde mussitatio eius cum crimine ponitur, quod non curam pauperum habuerit, sed suo furto uoluerit prouidere. Fur enim erat, & dolebat sibi de hoc pretio sublatam furandi occasionem. Fur enim sic aliud prætexit impietas, aliud in corde agitat.

Sciens autem Iesus, ait illis: **Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me: nam pauperes semper habetis uobiscum, me autem non semper habetis.**

Affirmat dominus bonum opus erga se operatam esse hanc unctricem, utique quia opus eximie charitatis & obseruantie erga ipsum. Vt inde quoque dicamus, nihil damnare quod ulla ratione bonum esse queat. A corde non exterius circumstantijs bona opera aestimantur. Plausibilis quidem erat Iudæi reprehensio, quod omnino uideretur præstare multis necessaria tribuere alimenta, quam tantum insumi in unius non necessarias delicias, sed in præsentem hominum minimo placuit præ illo. Cum igitur cor nobis incognitum sit, à quo operum bonitas pendet, ne simus ad condemnandum faciles. Notatur præterea & rebus ad delicias conditis pios uti posse, modo iuuandi pauperes occasionem non tereant. Certe tunc quoque cum Christus tam pretioso delibutus unguento hoc non pauci fuerunt quibus uix adfuerit panis ad uescendum, sed dum illi non adessent, permisit huic mulieri se isto pretioso unguento ad cohonestandam suam mortem perfundere. Nemo igitur perquirat delicias, nemo item eos qui præsentibus non questis utuntur damnet: possunt enim bene uti fideles omnibus bonis creaturis dei. Et in usu quoque deliciarum discrimen est pijs & impijs. Quod uero ait: Pauperes semper habetis uobiscum, me autem non semper habetis. Hunc sensum habere uidetur, Sinite me rerum dominum uel iam mortuum delictis tantulis uti, Vngi solent mortui, & ego iam iam ad mortem rapiam, unde

unde paulò post sepeliendum ista modo me unxit. Dignior planè uobis haberi debebam, quàm ut tantulum officij impendi mihi ægreferretis. Si curæ uobis pauperes sunt, nunquam uobis hi deerūt, poteritis illis semper benefacere, me autem corpore & corporaliter utentem beneficijs non semper habebitis. Quibus uerbis omnia quibus ipsum demereri officijs possumus proximo monuit impendenda.

Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me, fecit. Amen dico uobis, ubicunq; prædicatū fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.

Quum per omnem uitam humillime se dominus gesserit, mortem tamen qua deuiçturus erat diabolum aliqua magnificentia cohonestauit. Eoq; semel cum triumphali pompa uectus est Hierosolymam, & tamen sepulturæ suæ honorem uelut anticipans unguento perfusus est, & mortuus in sepulchro nouo exciso lapide recondi uoluit, sindonēq; munda inuolui et nobilis uiri cura sepeliri. Solent autem diuitem & honoratiorum cadauera unguentis pretiosis oblini, siue honoris gratia, siue quo tueretur corpus aduersus putrefactionem. Quoniam autem sciebat se prius reuiçturum, q; hoc honoris exhiberent amicis, ante mortem sepulturæ pompam exhiberi passus est, uidelicet, ut multis modis mortis suę mentionem suorum animis infingeret, & horrores eius mitigaret ui moriturum, præuenit officio sepulturam meam, & uiuo infundit, quod mortuo solet infundi. Nolite igitur huius obrectare pietati, quæ adeò grata est deo, ut posteaquam Euangeliū mortis meę prædicabitur per uniuersum mundum, simul & huius mulieris futura sit mentio, quæ pio sanctoq; officio meam præuenit sepulturam. Attende autem notitiam futurorum, quoniam & discipulos uult nō ignorare quod passurus post biduum & moriturus, sciat Euangelium suum toto orbe celebrandum.

Tūc abiit unus de duodecim qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid uultis mihi dare, & ego uobis eum tradam. At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat oportunitatem ut eum traderet.

Oratio domini prædicta quum repressisset aliorum indignationem, qui simpliciter errabant, ignari mysterij, tamen Iudam Iscariotem nequaquam placabat, qui falso prætexerat curam pauperum, cum illi magis esset cordi lucrum: nam is gestabat oculos, suffurari solitus nonnihil ex his quæ pauperibus distribuenda dabantur à munificis amicis Iesu: hinc ille sibi paulatim censum augere. Cum igitur esset totus addictus teterrimo auaritiæ morbo, quod sibi in unguento perisse credebat, id ex domini pretio pensare uolens, adijt principes sacerdotum ac magistratus, quos sciebat certis animis cōspirasse in necem Iesu, neq; quicquam esse in mora nisi ut sine tumultu caperetur. Ad id efficiendum nemo magis idoneus quàm aliquis ex eorum numero, qui proxime familiaritate domino iungebantur, quos non fallebat quò se solitus esset conferre Iesus: habebat enim secessus suos ad precandum. Et inuentus est in illo selectissimo choro duodecim apostolorum, quos sibi Christus omnium primos asciuerat, cui charius esset impium lucrum, quàm dominus & magister tam mitis ac beneficus. Tanta pestis est auaritia, si cuius animum penitus occuparit. Voluit autem dominus hæc imagine significare futuros qui sermonem Euangelicum

Marci 14.6

Lucæ 22.6

proderent studio pecuniæ corrupti, & hoc facinus maxime profecturum ab ijs, qui cū sint ecclesiasticæ religionis proceres, conscijq; uidentur arcanorum domini sui, cui sic sunt familiares, ut eius doctrinam perperam interpretando prodant impijs ac prophanis magistratibus, nihil aliud captantibus quàm exitium Euangelicæ pietatis. Aditis igitur magistratibus dixit: Quid dabitis mihi mercedis, si uobis eū in manus tradidero sine tumultu? Atq; illi pacti sunt cum triginta denarijs. Tantula mercede ad facinus immanissimum conduci potuit, tamq; uili æstimatus est pretiosus ille sanguis, qui sufficiebat uniuerso mortali generi redimendo. Auidus igitur et inhians promissæ pecuniæ Iudas, statim ex eo tempore captabat oportunitatem prodendi Iesum. Sic incidit in temptationis laqueum, qui uolunt ditescere. Multi sunt qui Iudæ factum execratur, & idem faciunt. Nam cum pro munere falsum dicunt testimonium, quia ueritatem negant quæ deus est, ipsum uendunt; dum charitatem uiolant, deum qui charitas est produnt, præsertim cum non ignorantia sed oportunitate faciendi quæsitâ hoc faciunt.

Marci 14. b
Luce 22. a

Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi uis paremus tibi comedere pascha?

Ante biduum dixerat illis Christus, se post biduum pascha celebraturum, cum ut supra dictum est publicum pascha postridie celebraturi essent reliqui Iudæi. Tanta erat inopia Christi, ut nec ipse nec discipuli domicilium haberent proprium quò se reciperent, pascha celebraturi. Prima autem dies azymorum hic accipiēda est iuxta apostolorū & Christi usum, quæ agere tunc instituerat. Re uera enim fuit, ut dictū est, quartadecima dies mēsis primi, & iuxta legem prima dies azymorum: hoc est, qua die agnus ad uesperam iuxta legem fuerat immolandus, nisi traditione Iudaica (quam à Rabi Eliezer post consummatam dei domum secundam Iudæi dicunt ordinatam) distulissent eodem anno in sabbatum: qui dies & ipse dicitur alicubi prima azymorum, quia incipit à uespera lunæ quartadecimæ, & durat ad uesperam lunæ quintadecimæ. Ne quis huiusmodi locutionum modis anxius fluctuetur, quando simplicissime Euangelistæ loquuntur, nunc secundum uulgi opinionem, nunc secundum legem pascha nominando & sabbatum.

At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam & dicite ei: Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha.

His uerbis dominus fidem discipulis cōfirmare uoluit, ut aliàs sæpe, re ipsa demonstrans, omnia sibi in manu esse, neq; defore quicquam etiam ad copiam electis, & deo fidentibus. Eo autem quod iubet dicere patrifamilias: Magister dicit, tempus meum prope est: hunc uidetur habere sensum, iuxta prædicta. Vos paschæ celebritatē differetis secundum uestros mores, traditiones, & calculos in diem proximum & sequentem, in sabbatum nempe, mihi id integrum non est, hac uespera potius mihi erit solennitas auspicienda; tēpus enim meum prope est, iam aduenit meum pascha, ut & ipse immoler uerissimum pascha. In alio Euangelio scriptum est, quod inuenerunt cœnaculum magnum stratum atq; mundatum, & ibi parauerunt pascha. Prædicit deniq; occursum ipsius hominem baiulantem hydriam aque, iubetq; eum sequi quocunq; ingrederetur. sic ab uno obmissum suppletur per alium Euangelistam.

Marci 14. b
Luce 22. b
Ioan. 13. b

Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.

Et edentibus illis, dixit: Amen dico uobis quia unus uestrum me traditurus est.

Vespera erat quinta feria paschæ, quæ & legalis, ut dictum est, præcedens uesperam sextæ, quæ erat initium paschatis Iudaici, inter duas uesperas, hoc est post solis occasum & ante uespertinum crepusculum. Discubere illud cum discipulis intelligendum est legitima comestio agni paschalis, nempe iuxta ceremonias institutas à deo in mote Sinai, & per Mosen legi insertas: ut aliud hic non sit discumbere, quàm edendo legitime facere pascha, quod in tota scriptura non aliter legitur factum, quàm quod alicubi scribitur esse phase celebratum, & quibus ritibus sit aliquando factum, nec à Iosia nec ab Ezechia uel alijs. Quo minus hic Lector miretur, cur non sit scriptum, quo ritu pascha Christus cum discipulis egerit, stando uel sedendo uel accumbendo, sed simpliciter & in genere dicitur discubuisse, hoc est legale pascha legaliter celebraffe primum, deinde ad colloquium & nouum pascha instituendum confedisse, & cum duodecim discubuisse. Inter edendum autem illud pascha, non pauca locutus est Christus, nempe ut desyderio desyderauerit hoc pascha manducare cum discipulis antequam pateretur, & posthac ait: Non edam ultra ex eo &c. & de cœnæ dominicæ negotio sacro, de quo posterior. Hic uero notatur de traditõe eius per Iudam, unum ex electis duodecim discipulis, Vnus, inquit, uestrum me traditurus est, nempe uenditurus Iudæis, uel iam uenditum proditurus, ut me occidant. Quod autem maius flagitium admitti possit, quàm talem dominum & magistrum optime meritum, benignissimum semper, proditorie ob pecuniam hostibus tradere, & ad crudelissimam mortem & despectissimam? Hoc autem Christus in cœtu discipulorum suorum & traditoris præsentia dixit, ut declararet se nihil omnino latere, simulque ut tacta cõscientia proditoris resipisceret ad poenitentiam. Ex uobis, inquit, est qui me prodet, & ex hic præsentibus, quos delegi ex alijs tot meis discipulis priores & chariores, ut semper mecum essetis.

Et contristati ualde, cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum domine?

Discipuli audientes unum ex ipsis dominum proditurum, uehementer turbantur, singulique incipiunt interrogare: Num ego sum domine? Id quod et nos monet, ut si quispiam malus & nocens in nostra esse congregatione deprehendatur, doleamus & perturbemur, & quod ille deum offendit, & quod prauo exemplo suo aliorum quoque integritatem labefactat. Ex quo discipulorum mentore colligere possumus, sibi singulos timuisse, ne tanto sceleri forte affines essent, cùm dominum uere hæc loqui credere cogentur, ut sanè pia corda nihil sibi fidunt, & quantum in ipsis est agnoscunt semper se peccato quàm iustitiæ uiciniore, bene tamen de se sperant, eoque causa purgandi se à tanti sceleris suspitione, quilibet dominum interrogabat, num ipse ille proditor esset?

At ille respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur: bonum erat *Psalm. 40.6* ei, si natus non fuisset homo ille.

Vt cæteros merore propemodum exanimatos aliquo pacto confirmaret discipulos, acriusque feriret Iudæ conscientiam, si forte posset ad poenitudinẽ commoueri, signo certiore designauit authorem eius facinoris, simulque commone-

fecit arctissimæ familiaritatis, quæ debuerat illum à tam uesano scelere reuocare. Qui manum, inquit, intinxit mecum in catino, & non mensæ solum, sed & catini sodalis est, hic est me proditurus, proq̃ familiaritatis officio plusquã hostilia redditurus, cum panis et salis communitio soleat etiam ignotos amicitie fore iungere. Atq̃ hæc quidem ut acciderent filio hominis, sic olim erat præstitum à patre, sic prædictum à prophetis, Ioanne indicante locum, Qui edit mecum panem, sustulit aduersum me calcaneum, hoc est aduersatus est mihi, & euertere me per insidias conatur. Etenim Iudam inter familiares & commentales pacificum uocat: posuerat enim eo loco, ut iure debuisset illi multum fidere, quod non fecit, sciens pridem eum diabolum esse, Ioan. 6. Loquitur hic Psalmus secundum externa, quibus apparebat ei multa à domino credita esse, ut sanè externa credebantur, & ausus tamen fuit supplantare dominum, hoc est insinuarere dolum ad ipsum perdendum. Id si dominus æquo animo sustulit, debemus & nos domesticorum nostrorum iniuriam non grauiter ferre propter ipsum. Interim docemur, unde sit nobis petenda consolatio in afflictionibus, nempe à Christo, ut recordemur bonam dei uoluntatem ad nos, quam & possimus orando exigere. Pater uoluit pati filium, & in mortem tradi à discipulo prædictum fuit, id filio displicere non potuit. Eò tamen nihilominus peccauit traditor deprauata uoluntate sua per auaritiam & odium, ut ei quidem præstitisset non fuisse natum: melius enim ei fuisset omnino nunquam fuisse, quam in æternum excruciarì. Ad gloriam tamen dei cum & hoc faciat, quod fuerit, & semper crucietur, si deum & uniuersitatem operum spectemus, bonum est quod fuerit, sed non ei, qui nunquam saluabitur, ideo quod ei bonum non erit aliquando fuisse. Abutitur quidem Iudæ impietate sapientia diuina ad salutem humani generis, sed nõ ideo minus nocens ille, qui sua malitia ad hoc facinus perductus est, cum nihil à Christo omissum sit, quod illius animo mederi potuisset. Itaq̃ manet infelicem illum pro facto tam impio pœna dignissima, nisi respiciat, ut præstitit illi non omnino fuisse natum. Hac oratione, quæ uel pudore sanare poterat improbum, uel pœna deterrere impium, adeò non est correctus Iudas, ut impudentiam quoq̃ addiderit sceleri, quasi nullius mali sibi conscius: sic enim sequitur.

C Respondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum rabbi? Ait illi: Tu dixisti.

Non est hic dominus Iesus suæ lenitatis oblitus, sed longanimiter bonum pro malo rependens, respondet: Tu dixisti, indicans eum magis quam explicans, ac suspicionem simulat dissimulans scientiam. Monemur uero hinc, ut peccatis occultis mederi quidem monendo studeamus, prodamus autem minime.

1. Corin. 11. e

Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq̃ discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

In hac extrema cœna quam Iesus egit cum discipulis suis ante mortem suam, instituit sacrosanctum illud symbolum, mortis suæ memoriale sanctissimum, ut subinde renouatum inter eos esset perpetuum monumentum immensa suæ charitatis ipsius, qua non dubitauit uitam suam impendere redimendo mortaliu generi, ne quando posset elabi ex animis nostris diuini illius sacrificij memora

memoria, qua purissimus agnus nouum ac uerum pascha semetipsum immola-
 uit in ara crucis pro nobis deo patri, quem suo sanguine nobis ex irato pro-
 pitium reddidit, pro nostris commissis ipse dependens poenas, quae nostris sce-
 leribus debebantur. Hoc autem symbolum arcanum (siue sacramentum cor-
 poris & sanguinis Christi: sic enim nominare possumus) duabus rebus conse-
 crauit, quibus inter homines olim (& hodie) solet amicitia conciliari quam ma-
 xime, ut ea charitas, qua Christus seipsum impendit suis, nos quoque copularet,
 quam frequenter & ipsi ex eodem pane comedimus, de quo eodem poculo bibi-
 mus: simulque spirituali quadam imagine referens ritus Mosaicae legis, iuxta quam
 nulla fiebat expiatio à peccatis nisi per sanguinem hostiae. Praeterea significans
 sese nouum foedus Euangelicae professionis huiusmodi mysterio consecrare.
 Moses enim cum recitasset uolumen quo continebantur praecipua legalia, po-
 pulusque respondisset: Omnia quae locutus est dominus faciemus, & erimus obe-
 dientes, ex uictimis quas mactarat parte sanguinis cratera hausta asperit po-
 pulum, dicens: Hic est sanguis foederis, quod pepigit dominus uobiscum, su-
 per omnibus sermonibus his. Atque haec quidem omnia figuris quibusdam &
 umbris designarant hanc sacrosanctam hostiam, qua dominus Iesus suum cor-
 pus sponte tradens in mortem, & sanguinem suum effundens expiaturus erat
 totius mundi peccata, cunctos homines gratuito reconcilians deo, quicumque
 foedus hoc noui testamenti profiterentur. Eam uictimam, hoc foedus, signis qui-
 busdam mysticis commendari uoluit in ultima coena sua animis suorum disci-
 pulorum antequam immolaretur, ut intelligerent suam mortem non esse uul-
 garem nec otiosam, sed efficacem uictimam ad expianda peccata non solum
 Iudaeorum credentium, sed omnium gentium & saeculorum. Ceterum quoniam
 mors Christi non erat iteranda, ne quando tantum beneficium elabi posset ex
 animis hominum, neue sacrosancti foederis semel initi cum salutis suae authore,
 possent obliuisci, instituit, ut crebra communionem sacri panis & calicis, memo-
 riare nouaretur inter Euangelicae legis professores. Atque hoc signum inter suos
 milites sacrosanctum esse uoluit, adeoque uenerandum, ut quemadmodum mul-
 tum diuinae gratiae adderetur illis qui pure digneque sumerent sacramenta corpo-
 ris & sanguinis domini: ita qui sumerent indigne sibi grauem damnationem
 accerferent. Accipit igitur Iesus panem in manus suas, cumque deo laudis sacri-
 ficium obtulisset, fregit, ac distribuit discipulis suis, dicens: Accipite comedite,
 hoc est corpus meum. Deinde accepit & poculum in manus, cumque gratias e-
 gisset patri, praeibit, ac porrexit illis, dicens: Bibite ex hoc poculo omnes, hic
 est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remis-
 sionem peccatorum. Hoc quotiescunque facietis facite in memoriam mei: quo-
 da alia hostia pro peccatis, quandoquidem haec una sufficit pro abolendis pec-
 catis totius mundi. Hac expositione Erasmi, quid in hunc locum potuit simpli-
 teris & religiosius, & uerius dici, & nihilominus animo pio et fideli sa-
 crisque literis imbuto sufficientius: quae utinam omnibus sufficientia uisa essent,
 profecto non fuerant tanta disputatione & dissensione fidelium ecclesiae per-
 turbatae, & animi piorum ac eruditorum exulcerandi. Explicatum est quod
 Christus uoluit intelligi, discipuli enim ad Christi & scripturae uerba assueti,
 de huiusmodi intellectu nil dubitant, nil respondent, quaestionum nihil obijci-
 unt, nihil intellectu difficile audiunt, miracula nulla causantur, Sacramentum

hoc nouum amplectuntur celebrandum, panem hoc modo frangendum, et poculum bibendum in locum Iudaici phasæ & paschalis agni, nō mutando signatum, sed signum, & modum fidei, quo ad tempus; quandoquidem ueterum paschalis agnus Christum significabat fidelibus crucifigendum, & mundum eorum redimendū; sic nunc & ab eo tempore sacramenta corporis & sanguinis Christi sacer panis, & benedictionis poculum, significant morte Christi mundum iam de facto redemptum, & fœderis noui testimoniū ac memoriale perenne. Sic & manna deserti, id ipsum patribus significabat futurum, quod nunc hæc Christi sacramenta ostendunt, loquunturque iam per actum & per Christum consummatum, qui est cibus animarum fidelium & uiuificus panis, confortans cor hoc est animam fidelis hominis, & uinū lætificans piorum conscientias. Quandoquidem uero de hac causa hodie quoque controuertitur à multis, & locus hic monet, ingenue confiteor, non me probare ex sacris literis posse uel alios quoscunque, panis & uini annihilationem, ut olim quidam Scholastici tentauerūt, nec transubstantiationem panis in corpus Christi uerum & corporale, quandoque non quantitatiuo modo uel circumscriptiue, ut Parisienses post suum Innocentium papam. Nec item probare uel intelligere ualent iuxta scripturas, corpus Christi esse sub uel in pane, & sanguinem in uino, eatenus & sic uere, ut corporaliter adsit & secundum naturalia membra præsentialiter & substantialiter præset inuisibiliter & insensibiliter & miraculose, sicut is panis sacramentalis præsens est & substantialiter & corporaliter, quanquam naturaliter & sensibiliter. Sed intelligo simpliciter panem sacrum & consecratum in cœna, esse uerum corpus Christi & uinum sanguinem, iuxta proprium & peculiarem modum loquendi scripturæ sacræ, idque cum Augustino sapientissimo & irrefragabilissimo doctore, in suo genere, hoc est uerissimum animæ fidelis & uitalissimū efficacissimumque cibum, quem spiritaliter ac credendo manducat, quo & pascitur satisfaturque, eo modo, quo & esurire potest anima, nempe per fidem feruentem ac certissimam, qua se consolatur mœstam & anxiam pro peccatis, fide inquam non corporalis & localis præsentia in pane, uel secundum realem, hoc est corpoream præsentiam corporis & animæ Christi, sed contemplatione uiuacis fidei in merita Christi domini, per obedientiam & passionem, mortem & resurrectionem, atque adeo fide uera totius mysterij peracti à Christo in dispensatione carnis, pro qua à patre est missus, & traditus pro tollendis peccatis mundi, ut agnus paschalis uerus, non tantum typicus. Hoc tale mysterium Christi traditi & redemptoris, ineffabili bonitate dei, pro omni uirili creditū ab anima, pro peccatis ferme ad desperationem adacta, re uera mentaliter & sacramentaliter reficit, recreat, & uiuificat spiritum & conscientiam, ut fiducia certissima salutis sue, propter quam pater in carnem misit suum filium ut crucifigeretur, non possit ipsa non sperare salutem ex huiusmodi fide, operaque uere pia & sancta agere cum gaudio & alacriter. Hoc autem & sic credere docemus esse manducatum Christum, secundū id quod nobis optimum est in Christo. Eo modo quo corpus Christi ab anima incorporali & immortalī manducari potest, quo modo do accommodatissimum naturæ suæ cibum desyderare potest, quo modo & capere & ad maximum profectum eius, ut uirtute illius cibi, quemadmodum & capere pane angelorum angeli uescuntur, immortalitatis suæ felicitatem & beatitudinem assequi possit, & uirtute illius cibi peruenire ad montem dei. Proficere quoque datur animæ tali hac manducatione ad charitatem, Christiano et Christianæ

discipulo dignam ac necessariam ad salutem, qua & proximo prodesse cupiat & uiuere, sicut & Christus nobis profuit, uixit, & mortuus est, electorum suorum saluti quam maxime inferuiens. Vt sit hoc sacramentum cœnæ dominicæ memoriale sacrum, & tantæ gratiæ inuisibilis forma uisibilis, nempe fidei præsens, uiuax & efficax obiectum, ad credendum Christum passum pro nostra & totius mundi salute. Exhortatio quoq; & incitabulum ad ecclesiasticam charitatem, ut simus unius corporis in Christo alter alterius membra sana & uiuifera. Secundum hanc nostram doctrinam omnes priscos patres legimus suas instituisse ecclesias. Verbis interim, ut par est & suo more, magnificentioribus uersis, sine aliqua miraculorum commemoratione, quæ inuisibiliter hic fiant, & ut Parisienses moderni contendunt, omnium sensuum deceptione, sic ut omnem humani ingenij captum excedant ac fidem. De hac autem doctrina æque clara, uera, simplicia, & pia, lege ad longum in enarrationibus Martini Bucerii in hunc locum Matthæi.

Dico autem uobis, non bibam amodo de hoc genimine uitis usque in diem illum cum illud bibam uobiscum nouum in regno patris mei.

Voluit simpliciter significare his uerbis adeo prope esse regnum dei, ut nihil cibi aut potus corporalis sumpturus esset ab hoc ipso conuiuio, in quo erat, donec illud in se deposito mortalitatis onere aduenisset, atq; in eo pascha fuisset completum, facto scilicet post sui immolationem transitu ad immortalitatem et gloriam. Quod autem post resurrectionem comedit, ad comprobandum eam fecit, non ad refectionem corporis. Nouum autem calicem de genimine uitis uocauit, quia nouo modo immortalis iam factus, et in regnum gloriamq; patris translatus, cum discipulis bibit. Regnum autem dei & patris statum resurrectionis uocat & immortalitatis, ad quem ubi & nos peruenerimus, completum in nobis quoq; regnum dei erit, sublata scilicet morte & impietate uniuersa. Cæterum pascha tunc completum fuit in regno dei, quando ipse pascha nouum exiit immolatus, atq; ita nobis impetratum, ut liberi à percutiente angelo ex Aegypto, hoc est peccati & mortis seruitute, perducamur in terram promissæ hereditatis cœlestis.

Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti.

Verusta est Iudæorum traditio, ut comeso agno paschali Psalmos à 112. usq; ad 119. canant, & hunc hymnum esse putant, quem hic Christus cum discipulis suis cecinerit. Quorum Psalmorum materia cum eo quod agno paschali memorabatur conuenit, ut sit quod dicitur credibilius. Incepit autem à laude donatias domino agamus, maxime autem ante & post acceptum dei munere cibum & potum, bonitatem domini agnitam collaudando & adorando. Sed & uerisimile est, dominum à cœna surrexisse post hymnum dictum, & discipulis laudatam partim in itinere ad montem Oliuarum habuisse, quæ & pulchre quædrat ad mysterium donati corporis & sanguinis domini mysterium, tum exemplum illud humilitatis, & mutæ in officijs charitatis, tum totus post illud sermo. In montem uero Oliuarum non nunc primum egressus est, sed ut Lucas habet, ita solitus erat ab ingressu suo in urbem magnifico interdium docere in templo, noctu uero exiens diuersari in monte qui uocatur Oliueti. Atq; hinc tradendi ipsum absq; turbis Iudas accepit opportunitatem. Quam sciens ultro

Marc. 14. c

Lucæ 22. d

Ioan. 18. e

dominus iam dedit, qui ante sæpe fugerat, quia aduenerat hora sua.
 Tunc dicit illis Iesus: Omnes uos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam uos in Galilæam.

Zach. 13. c
 Marci 14. c
 16. b

Prædicat quod peccaturi sunt, ut cum peccauerint non desperent salutem, sed agentes pœnitentiam liberentur, ut & factis doceret eos quanta sit imbecillitas humanæ naturæ, quàm sit stultum hominem sibi fidere, quo sui facto periculo discerent & aliorum infirmitatem subleuare. Zachariæ autem testimonium etsi uerbis non nihil uariet ab Hebræo, sententia tamen est idem. Quo nemur certa dispensatione dei omnia fieri, & adeo magni habitam patri moram Christi, ut singula ferè quæ passus est per prophetas suos prædixerit. Nimirum sicut salus electorum ita & gloria domini per hanc unam instauranda erat. Magni igitur & nobis sit quo per ipsam speremus omnia. Pastor bonus Christus est, dilectus nimirum filius, populi doctor & curator; super hunc excruciantur persecutorum manus, interim uero grex disperditur, imò gregis quod arietes apostolorum selectissimi fugiunt, ipso solo inter manus hostium derelicto. Cæterum quæ hic dicenda, uide suo loco Zachariæ cap. 13. Vt cumq; autem scandalizandi sitis & dispergendi per fidei fragilitatem, & ueluti oues pulilli gregis distrahendi, non est tamen quod desperetis. Mors quidem mea uelut animos conturbabit, sed mox consolabitur resurrectio: resurgam enim tertio die, & ubi resurrexero, præcedam uos in Galilæam, ibi me uobis offeram. Uelut scilicet spiciendum, illuc uos præueniam. Indicans his uerbis se Hierosolymam relicturum, & ad gentium populos abiturum, suosq; missurum apostolos.

Marci 14. c
 Lucæ 22. c
 Ioan. 13. d

D Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

Petrus non satis sibi notus, fortitudine quadam humana ac temporaria negat futurum quod Christus ex prophetia futurum prædixerat: quodq; maioris erat temeritatis, unum se cæteris omnibus anteponebat. Et si omnes, inquit, perturbati fuerint tua causa, ego tamen non perturbabor. Ad quem Iesus: Quid ais Petre? Tu solus omnium non perturbaberis? imò illud pro certo dico tibi, priusquam gallus hac nocte bis cantet, ter me abnegabis. Ac ne sic quidem Petrus agnoscens imbecillitatem suam pertinaciter respondit: Etiam si mihi tecum moriendum fuerit, non te abnegabo. At Petri temeritatem immitati sunt et reliqui apostoli, Christum & ipsi abnegaturi, si similis illos casus ac necessitas occurreret quæ Petrum. Quod autem à se tam alienum putarent Christum deserere & negare in causa exitit eximius ipsorum erga illum amor, quo cum Petrus adeo arderet, commoriturum se antea testabatur quàm esset negaturus. Peccauit autem nimium sibi fidens, plus animo suo quàm domino credens, sed per ueritatem, non ex malitia, ideo non ad mortem.

Mar. 14. d
 Lucæ 22. d

Tunc uenit Iesus cum illis in uillam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hic donec uadam illuc & orem. Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cepit contristari & mœstus esse. Iesus sciens instare tempus quo uentura esset tempestas extrema, abduxit

à se transfret; aderat præterea iam hic calix, ut illum hauriret. Sed ut nulla sui portione non eximie excrucietur, ita pauere & horrere ipsum oportuit, ut pugnans istam precationem summus ille pauor maximaq; animi trepidatio ei extunderet. Pater mi, inquit, si possibile est, transeat à me calix iste. Et sciebat tamen illud impossibile esse, quia secus à patre definitum, unde quicquid huiusmodi dixit, nihil nisi laborantis & angustiati animi querulatio, & non iusta precatio fuit, & si oratio uera fuerit: neq; enim semper in oratione serium est, quoties em̄ cum deo loquimur aliquid petimus secundū spiritum, aliquid secundum carnem, querimur sæpe nostras miserias & casus, aliquando gratias agimus. Sic dicitur secundo orasse & dixisse: Pater mi, si non potest hoc potulum transire à me, nisi bibam illud, fiat uoluntas tua. Hic nihil petijt, potius sese patris deditit uoluntati, remittens ei petitionem quam natura cupiebat. Neq; alia sanè & illa oratio fuit, in qua Lucas ipsum scribit hæsisse prolixius, profecto incomparabili animi dolore excrucietur. Huius erant istæ uoces sibi plectenē pugnantes, huiusmodi quoq; erat ut in terrā cadens seorsim à discipulis cum patre loqueretur, hic deniq; sanguineum istum sudorem ei excussit. Eiusdem quoq; magnitudinē probat angeli de cælo aparentis cōsolatio & confortatio. Hieronymus putat orasse Christum hic non timore patiendi, sed misericordia Iudaici populi, qui excusationem ignorantiaē habere non potest. Is illi calix transeat si me occiderit, habens legem & prophetas qui me quotidie uaticinantur. Attamen reuertens in semetipsum quod ex hominis persona trepidanter reuertat, ex dei filijq; fortitudine confirmat. Non, inquit, hoc fiat quod humano affectu loquor, sed propter quod ad terram tua uoluntate descendi. Hæc ille ferè.

Et uenit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis una hora uigilare mecum? *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Quid interim dum ita discrucietur ac torqueretur eorum magister & seruator agebant eius discipuli, quorum causa ut omnium electorum Christus ita afflictabatur. Dormiebant etiam moniti ut uigilarent & orarent, ne in tentationem imminentem eis inducerentur, moniti etiam carnem esse infirmā, quamlibet spiritus promptus esse uideretur. Sed & Petrus ille cū domino moriturus, & quidem nominatim propterea obiurgatus, quod nō posset uel horam unam cum ipso uigilare, dormiebat. Adeo frustra est omnis monitio, cum deest suscipiens illam spiritus. Non frustra tamen illos hic dominus monuit, unde postea tum ipsi spiritu plenius donati, tum innumeris alijs magnopere ædificati fuerunt. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Hoc aduersus temerarios, qui quicquid crediderint, putant se posse consequi. Itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus. Etiam si morte abhorre nolueris, tamen per carnis imbecillitatem sine dei speciali gratia non ualebis. Non enim omnia quæ uolumus hæc similiter possumus.

Iterum secundo abiijt, & orauit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat uoluntas tua.

Ex eo quod Christum hic legimus dixisse: Pater mi, abba pater, docemur hæc duo in primis in oratione requiri, ardentem animi affectum, & uere filialem erga deum fiduciam, quæ duo in Christo homine hic uoces istæ testantur.

Solutio

Solitudinem oraturus petijt, quod ita ferat natura orationis ardētioris. Voluntatem nostram in orationibus semper domino resignemus, qui nobis melius nouit, quæ expediant, quæ ad gloriam sui nominis magis proficiant. Et in oratione necessaria quoque est constantia & perseverantia, ut orantes non deficiamus, interim resignati ad domini uoluntatem, quam præstolemur cū patientia. Et uenit iterum, & inuenit eos dormientes: erāt enim oculi eorum grauati. Et relictis illis iterum abiit, & orauit tertio, eundem sermonem dicens.

Cur iterum atque iterum ad discipulos redijt? non ut eos redargueret: adeo enim sopiti mœstitia pariter erant, ut neque præsentiam quidem eius sentirent. Non tamen redarguit, sed paululum recessit, magnam eorum infirmitatem significans, qui neque increpati quidem uigilare potuerunt. Non excitat autē neque increpat amplius, ne perterritos magis perterreat. Sed recedens orauit tertio eundem sermonē dicens. Hinc nos quoque monemur, ut sub cruce nostra quamlibet graui nobis non displiceamus animum despondendo, quando hic uideamus tantopere Christum & discipulos perturbatos. Neque enim crux est quæ non cruciat, aut patientia sine dolore. Non exigit à suis deus, ut mala non sentiant, sed ut perferant, et in domini uoluntate quamlibet affligantur perdurēt. Equidem patientia sanctorum in eo sita, ut à iussis dei nulla afflictione detorqueantur, non ut afflicti non doleant, imò quanto magis crux ipsis doluerit, et tamen eam pertulerint, tanto præstantior est patientia: tolerantiam namque non indolentiam præstare debemus.

Tunc uenit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam, & requiescite. Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce appropinquauit qui me tradet.

Quamuis iam uigilandum esset quam maxime, ob ingruentem tempestatem, consyderans tamen illorum inconsiderantiam & fragilitatem, dicit: Dormite iam, cum aliud non potestis, si tamen nunc potestis: non enim indigeo uestra opera, quos noui fugituros, ego iam tradendus sum, uos si potestis quiescite. Ecce hora adest traditionis meæ in manus peccatorum. Vbi rursus ostendit omnia fieri dispensatione dei patris, simulque animos eorum erigit ad fiduciam meliorum post aduersa. Peccatores autem nominat, quorum proteruita fiebat tantum malum in se, qui peccato nullo erat obnoxius. Surgite, inquit, eamus obuiam uenienti malo: ut undique erudiat, non necessitatis hanc rem esse, sed infirmitatis & dispensationis inæstimabilis: præsciens enim hostes uenturos, non solum non fugit, sed magis accedit, & obuiam pergit, ut confidentiam uideant & uoluntatem passuri. Amica ironia esse potuit, dum dixit, Dormite, qua significaret longe aliquid quam dormiendi & quiescendi modo tempus appetiisse.

Adhuc eo loquente, ecce ludas unus de duodecim uenit, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus, missi à principibus sacerdotum & senioribus populi.

Nondum finierat hunc sermonem Iesus, & ecce Iudas Iscariotes unus è numero apostolorum uenit, dudum Iesum ducem sequens, nunc factus sceleratæ turbae & turbae dux sceleratior. Sequebatur autem illum ingens turba satellitum cum gladijs & fustibus, quos in hoc miserant principes sacerdotum ac seniores populi, ut absque tumultu populi dominus caperetur. Quanquam enim decreuerant facinus hoc in aliud tēpus proferre, tamen oblata proditoris oportet

Marci 14.c

Luca 22.c

Ioan. 18.d

tunitate mutauerunt sententiam. Eoq; Iudas & noctem elegerat, & locum in quo solitus erat cum paucis orare. Hæc sunt autem huiusmodi sacerdotum stadia, prophetas ueritatis persequi, capere, morti tradere: tales habent diaconos, satellites & lictores: talia quoq; instrumenta fasces & gladios, fustes & arma perditionis. Non ab alijs debuit Christus capi & occidi, prædicator ueritatis, et uerbum dei contemni & persequi, quam à sacerdotibus & Iudæorum senioribus in Ierusalem. Redimunt illi sibi falsum apostolum, & traditorem domini sui, ex ære sacro, ex diuitijs sacerdotalibus, quæ ad meliorem usum digna non erant. Interim se credunt uel gerunt publicæ pacis & tranquillitatis auctores, si plebis magistrum & saluatorem quoq; infirmorum omnium pro sua tantum incolumitate occidant, pariter tandem digna animaduersione agniture, quem confixerunt Christum domini.

Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: **Quemcumq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum.**

Miser Iudas & non miserabilis, eadem infidelitate qua magistrum & dominum tradidit, animo excæcatus per auaritiæ malum, iam omnium honorum oblitus, omnium miraculorum impius interpret factus, nihil nisi argentum cogitans, de Christi domini uirtutibus nihil, quæ fortassis iam & ipse in nomine Beelzebub facta æstimare incipiebat: & quia eum in monte transfiguratum & aliis à gentilijs suorum Nazaritarum manibus elapsum nouerat ex auditu, timebat ne simili nunc quoq; transformatione elaberetur è manibus ministrorum, quanquam & cum alijs discipulis iam sæpe audierat eum uelle sponte mori & tradi Iudæis ad crucifigendum: ideo signum dat, ut sciant ipsum esse quem osculo demonstraret. Aliquid adhuc habet de discipuli uerecundia, cū non cum palam tradit persecutoribus, sed per signum osculi. Confidebat quoq; de lenitate magistri sui, ut osculum negaturus non esset; id quod malitiam improbitate & absterrere debuerat, nunc uero reddit fama sceleratissimum. Tene, inquit, eum, quasi dicere intendens: Ego ostendam & prodam, uestrum erit istud stare cautissime, ne à uestris manibus elabatur: uos tenete, ego osculo tantum monstrabo, non capiam, uos illum tenete & ducite caute.

Et confestim accedens ad Iesum, dixit: Aue rabbi. Et osculatus est eum. Dixitq; illi Iesus: Amice, ad quid uenisti?

Impudens quidem & scelerata confidentia magistrum uocare & osculum imprimere ei quem tradebat in mortem. Quod olim osculum honoris & officij gratia fieri consuevit à salutantibus, Iesus autem quo perfectum ubiq; mansuetudinis exemplar præberet suis, nec impium discipulum ab osculo repulit, nec exprobrauit illi suam uesaniam, sed blando dicto tetigit illius conscientiam, dicens: Amice, cuius rei gratia uenisti? sic enim accesserat cum osculo, quasi uerba rei quippiam dicturus. Hinc discamus & domesticos nostros hostes ferre. Mirabilis uero dispensatio dei, ut à discipulo & quidem ex selectioribus, nempe ex duodecim, uoluerit filium suum in mortem tradi. Indicare quoq; uoluit hoc facto, nihil esse apud homines ab omni parte beatum, quando tam sanctissimus ordo, tale tamq; portentosum monstrum aluerit. Ad quid, inquit, uenisti? quæ intentione hic ades hac comitiua stipatus? Nunquid ut amicus? sed non oportebat tunc cum gladijs & fustibus aduenire. Nunquid ut inimicus? & quem modo oscularis? Sceleratior modus nocendi non est, quam qui sit sub uelamento uirtutis. Attendamus patientiæ documentum in Christo, qui nec animo mones

sustinet proditorem, & quem habuit ante discipulū, nunc patitur parricidam. Et ei tamen tanta se humilitate donat, ut oris osculum corporisq; amplexum sustineat. Attrita frons & infrunita temeritas, ut arra fidei & amoris innocentem & magistrum tantum protrudat in mortem.

Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Addit Ioannes, Et ligauerunt eum, cum reliquis quæ ibidem tractabūtur domino uolente. Fuerat ab æterno prouisum, ut pro his tam indignis Christi uinculis iusta uincula soluerentur. Nostris hæc profectibus seruiert. Ligatur dominus à manibus sceleratis, funibus peccatorum nostrorum, iuxta illud: Funes peccatorum circumplexi sunt me. Et Petrus: Dominus captus est in peccatis nostris. Ex die quo cecidit Adam contorquere miseri protoplasti cœperunt funes, quibus in carne mundi dominus ligaretur. Et inter peccata præcedentium hominum ac sequentium, uelut in funis quodam medio Christus dominus ligaretur.

Et ecce unus ex his qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius.

Ad hunc inuasionis Christi tumultum ab improbis, uehementer commoti sunt discipulorum animi, quos ideo Iesus passus est in hunc affectum prolabi, ut omnem ulciscendi defendendiq; sui cupiditatem penitus ex animis eorum auelleret. Ac Petrus quidem, uel quia cæteris ubiq; feruentior, uel quia magnifica quædam de se pollicitus fuerat, ne domino suo deesse uideretur, educto gladio percussit Malchum seruum Caiphæ, & amputauit auriculā eius dextram, sic iustum moderante Iesu, ut & leue uulnus esset, & id quicquid erat, mox sarserit restituta auricula. Cæterum Petrus pio quodam erga dominum amore errauerat, & hūc errorem propemodum ex uerbis Iesu non intellectis hauserat. Iusserat enim eos diuendita tunica emere gladios, cumq; respondissent adesse gladios duos, aiebat: Sufficit. At illi putantes illum de ferreo gladio loqui, cum Iesus de gladio spiritali sentiret, a cœna gladios secum extulerant, defensuri dominum suum, si res ita tulisset, aut si ille iussisset. Ausus est igitur defendere Petrus magistrum suum contra tam multos, & armis instructos, cum duo tantum eis adessent gladij, & ipsi omnes ad nihil minus idonei essent quàm ad artus & animatos ad omnia uitæ pericula obeunda propter Christum.

Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Dominus qui non tantum uirtutem suam, sed cum incredibili quoq; tolerantia inuictam etiam bonitatem hostibus suis exhibere uolebat, iussit Petrum recondere in uaginam gladium suum, & restituit abscissam auriculam, ut Lucas memorat, addens: An non bibam poculum quod dedit mihi pater? Qui gladio rem gerunt, gladio pereunt, ultionis talione recipiente in caput ipsorum. Nobis non est opus isthac defensione, qui tolerando melius uincimus quàm occidendo. Petrus non pro se, sed pro magistro defensando zelat, & amputans auriculam ostendit Iudæos inobedientia laborare, et non dextro intellectu scripturæ sed sinistro. Deinde & dictum legis ponit, quod homicida & ipse occiditur: lex enim hoc dicit, quod qui acceperint gladium moriantur gladio. Insinuat autem quod Romanorum gladio perituri essent Iudæi, contra se gladium ac-

Gen. 9. 4
Apoc. 13. 6

cupientes. Interim tamen non frustra portat gladium qui ultor dominicæ ire est in eum qui malum operatur.

Isaie 53. b

An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ quia sic oportet fieri?

Quàm dispar hæc oratio ei quam antea angustiatu ad patrem effudit: *Supra ait: Si est possibile transfer à me hoc poculum.* Hic: *An non bibã poculum quod dedit mihi pater? Ergo illud, ut dictum est, non oratio sed querulatio fuit.* nam hic inquit: *An putas quod non possum nunc rogare &c.* Semper itaq; in manu illi fuit exorare patrem omnia, sed maluit ipsius uoluntati accommodare se quàm deprecari quod iure natura horrebat. Quomodo, inquit implebuntur scripturæ? quæ scilicet prædixerunt quod oportet sic fieri, quia utiq; sic à deo definitum fuit. Alioqui nõ indigeo duodecim apostolorum auxilio, etiam si omnes me defenderent, qui possum habere duodecim legiones angelici exercitus. Legio apud ueteres sex milibus complebatur hominum. Numerum autem certum exprimit hic dominus pro incerto. Si enim unus angelus centum octogintaquinque milia hominum occidit, quid facerent septuaginta duo milia angelorum? Ita ad imbecillitatem eorum atq; timorem, qui metu iam semimortui erant, orationem accommodauit, et autoritate scripturarũ muniuit. Quomodo igitur implebuntur scripturæ? Sic eos ab omni defensione deterret: nam si scripturis quoq; ita uidetur, quid uos repugnatis? Qui ergo uenerat sine armis sæculum expugnare, orbem transformare terrarum, cum dæmonibus habere congressum, & inuisibilem ei dare conflictum, nec armis se tueri decebat, & quod uoluntarium secundum scripturas prædictum est, armis arceri penitus non debebat. Non est autem Christus ideo passus, quia sic præfigurati aut prophetati sunt, sed sicut ab æterno Christum passurum deus prædestinauit, sic & prophetari fecit suis temporibus, ut sic potius passio Christi causa fuerit prophetiæ, quàm prophetica scriptura causa fuerit passionis.

Treno. 4. d

F In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquã ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me? quotidie apud uos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, ut impleantur scripturæ prophetarum.

Significauit his dominus capientibus se, præcipue autem principibus sacerdotum, magistratibus templi & senioribus, qui simul aderant, ut Lucas meminit, nõ esse potestatis ipsorum quo se caperent, alioqui iam pridem sibi manus iniiecissent sedenti & docenti in templo, cum id semper audivissime desiderauerint. Nunc autem adesse tandem horã ipsorum, qua se pater potestati tenebrarum quam ipsi exercerent tradidisset secundum scripturas, eoq; libenter se totum omnium perferre. Monemur iterum unicuiq; rei certam suam horam à patre constitutam: libeat tantũ manum eius bonam agnoscere, & illi nos ex animo subdere. Quæ sunt autem prophetarum scripturæ? Psalmi passim sub typo Davidis, & Isaiaæ capita quædam, ut 53. & alia, & Ieremia & Zacharia &c. Non sine mysterio factum est, ne Christus docens caperetur in templo, in quo & lapidari non potuit. Etenim libertas doctrinæ atq; uerborum dei præfiguratur, quod Christus in templo docens non capitur: uerbum enim dei non est alligatum, neq; conclusum aliquando fuit funibus tyrannorum, id tamen quod hodie quidam tentant, sed suo malo. Non capitur in templo conditor magister templi nam

nam ueri amator templi sancta libertate potitur. Hora autem iniquorum potestas tenebrae sunt, in quibus peccata patrantur. Multis autem modis hostes suos à malitia retrahit; supinos proiecit, aurem seruo restituit, interitum eis comminatus est, ut gladio morerentur qui gladium accipiunt, quod futurum praesentis miraculo declarauit. Ostendit ergo se permissione sua illud uoluisse. Miraculis autem praetermissis, de doctrina mentionem facit, ne iactare se uideretur.

Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.

Quia se potestati tenebrarum penitus permittebat hic dominus, diffugerunt mox discipuli, omnes ipso relicto scandalum passi. Maxima enim tunc erat circa dominum trepidatio nemine consistente apud ipsum, quando uidebant se sponte ad passionem offerre, & impediri non posse propter scripturas, quas impleri necesse esset: cumque illum iuuare non sinerentur, pedibus salutem saltem sibi quaesierunt domino derelicto, quod eadem illis nocte non credentibus iam praedixerat.

At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi scribae & seniores conuenerant.

Ioannes meminit dominum primum ductum ad Annam socerum Caiphae pontificis anni illius, hoc est qui tum pontificatu fungebatur. Ad pontificem ducitur Christus illudendus, qui usque hodie Christo illudunt suis diuitijs, fastu, & ueritatis impatientia, cum uilitas & paupertas contemnitur, quam Christus docuit & est sectatus. Ecce sacerdotum sanctitas uertitur in crudelitatem, scribarum scientia in errorem, in furorem matura senectus degenerat, omnes conueniunt contra ueritatem, innocentiam subuertere moluntur. Nihil ad reipublicae subuersionem praesentius, & ad destruendum constituta ualidius, quam si unde sanctitas speratur inde crudelitas redditur, & qui tutari innocentiam ex officio debent si persequantur, dum cessat sub alis piorum miserorum refugium. Conuenerunt aduersus Iesum damnata concordia, inter quos utilior discordia extitisset.

Marci 14. f
Luce 22. f
Ioan. 18. 6

Petrus autem sequebatur eum à longe, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro sedebat cum ministris, ut uideret finem.

In Caiphae domum Petrus magistrum quanquam à longe sequitur, & alius quidam discipulus, incertum Euangelista hic relinquit quis fuerit. Secuti autem fuerunt, postquam ex prima illa fuga de qua ante animum resumpsissent. Discipulus uero ille alius notus pontifici introijt in atrium, locutusque ostiarum introduxit & Petrum. Qui appellatus ab illa, Num ex discipulis Iesu esset; mox negauit. Qua negatione quomodo facta fuerit Matthaeus dilata, tantum nunc memorat, ut Petrus Christum usque in atrium secutus fuerit, atque inter ministros ad ignem confederit, scire cupiens quid iudicaret de domino pontifex, utrum eum neci addiceret, an flagellis caesum dimitteret. Non enim poterat omnino abijcere curam domini, quem uehementer amabat, nec rursus audebat adesse, sequitur tamen utcumque procul, ac tandem per tenebras ingressus est ignotus in atrium summi sacerdotis Caiphae. Tandem ingressus intro, sedebat admixtus ministris ad prunas calefaciens se, ut quando non poterat defendere Iesum, saltem uideret quis esset exitus iudicij, siquidem adhuc nonnulla spes alebat animum Petri.

Principes autem sacerdotum & omne consilium quaerebant falsum testimonium contra Iesum, ut morti eum traderent, et non inuenerunt;

cum multi falsi testes accessissent.

Inquirebant testimonia, ut zelo iustitiæ quem odio mortali insectabantur, iuste occidere uideri possent, iustitiæq; uelamento inuidiam & animi crudelitatem palliare tentabant. Testimonia autem falsa nulla ratione conueniunt ut in nocens condemnetur, & qui nihil reprehensibile fecit, per testimonia conuenientia iudicari non potuit. Vita immaculata non nisi per falsitatem aut tyrannidem condemnatur. Ideoq; subornare impij studebant falsos testes aduersus Iesum, cuius tanta erat innocentia, ut hoc quoq; difficile fuerit, sic de illo mentiri ut aliquam ueri faciem haberet mendacium.

Ioan. 2. d

Nouissime autem uenerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit, Possum destruere templum dei, & post triduum reedificare illud.

Quum multi prodissent falsi testes, sed quorum ipsa testimonia sese refellebant, adeo male composita, ut nec apud illos tam improbos iudices & apud eam lem coronam haberentur idonea. Tandem prodeunt duo falsi testes, qui dixerunt: Hic dixit, Possum destruere templum dei, & post triduum instaurare illud. Huius mendacij occasionem sumpserat ex uerbis Christi, qui dixerat: Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Nimirum significans se quidem ab illis occidendum, sed intra triduum reuicturum. Ea uerba non intellecta de prauabant etiam testes, quo res esset odiosior. Non enim dixit, Possum destruere, sed soluite uos, id est soluetis. Nec dixerat, Reedificabo, sed suscitabo, alludens ad corpus axanimandum & reuicturum. Vbi notandum, ut non solum a malo dominus, sed omni etiam mali specie & suspitione alienus adeo fuerit, ut omnes principes sacerdotum & totum consilium nullum falsum testimonium contra eum inuenire potuerint, quod uel mediocre ueri similitudinem haberet, nisi tandem illud quod dixerat de templo, adeo nihil in se criminis continens, ut etiam hostibus non idoneum uideretur.

Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea que isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat.

Ira præceps & impatiens non inueniens commodum calumniæ locum, excutit de solio pontificem, ut uesaniæ mentis motu corporis demonstraret. Quamto autem Iesus tacebat ad indignos responsione sua falsos testes, tanto magis pontifex furore superatus, eum ad respondendum prouocat, ut ex qualibet occasione sermonis locum inueniat accusandi. Nihilominus Iesus tacebat, sciebat enim quicquid respondisset torquendum ad calumniam, & cum negantibus ueritatem non esse iudicio differendum, nisi superioris iudicio precipiatur, sollicitaretur enim semper ex falsitate falsitas. Sed nec semper hoc Christi exemplo fallacibus improbis est cedendum, ut falsitas non repressa ueritatis uexilla sibi gaudeat producere, & innocens reus, & reus innocens uideatur, sed est plerumq; humili et seriosa assertionem in periculo ueritatis auxilio iudicis testium improbationibus comprimenda. Hic uero iudex aduersarius erat, pars & tribunal. Nihil sibi nouit innocentia deperire, siue taceat siue loquatur. Causa innocentis magis silentio quam clamoribus agitur. Quamuis uero humano iudicio sæpe luat supplicia, in diuino tamen exultabit atq; ridebit.

Et princeps sacerdotum ait illi: Adiuro te per deum uiuum, ut dicas nobis si tu es Christus filius dei.

Cupiens pontifex ille extorquere nonnihil, unde cõdemnaretur Iesus, iam enim illius uesaniæ longa erat omnis mora, ait illi: Adiuro te p deum uiuum, ut dicas

Erathoc infidiosum problema pontificis impij. Si negasset se filium dei, exclamasset: Cur igitur tibi assumis quod non es? Si affirmasset, calumniaturus erat blasphemiam. Si obticuisset adiuratus, uisus esset contemnere deum & auctoritatem summi sacerdotis. Qualis autem erat qui adiurabat? scelestus pontifex qui honorem annuum pecunia mercatus fuerat ab Herode, & per deum adiuratur, qui filiū dei oppugnabat. Hierony. Quid adiuras impijissime sacerdotum? ut accuses, an ut credas? Si ut accuses? arguunt alij condemnare tacentem. Si ut credas? quare confitenti credere noluisi? Respondit: Si uobis dixerō, non credetis, quod si etiam interrogauero, non respondebitis mihi, neq; dimittetis. Quibus uerbis rationē reddidit silentij sui, Nihil enim poterat loqui, quod frugem aliquam bonam apud ipsos adferret.

Dixit illi Iesus: Tu dixisti: ueruntamen dico uobis, à modo uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis dei, & uenientem in nubibus caeli.

Noluit uideri illos cōtemnere, sed pro gloria patris & ueritatis testimonio addit ad pontificem: Tu dixisti, Ego sum, ut Marcus habet. Quibus sanè uerbis & sequentibus nihil aliud quam Christum esse sese aperte confessus fuit. Iuxta illud Psal. 110. quem Iudæis supra dominus obiecit: Dixit dominus domino meo sede à dextris meis. Vnde illud: A modo uidebitis filium hominis sedentem à dextris dei &c. aliud non fuit quam si diceret: Si multa uobis modo dico, non creditis mihi. Ipsi ergo posthac et quidem mox gloriosum uidebitis, quem nunc ut filium hominis contemnit, uere me esse Christum ad dexteram uirtutis dei exaltatum, dum ne quicquā proficiētes regno meo repugnabitis, cum inuitis portis inferorum prædicari per orbem nomen meum audietis, et ingenita signa & prodigia per spiritum meum fieri uidebitis, gloriamq; meam in finibus terræ propagari audietis. Sed ubi tandem finis aduenerit sæculi, uidebitis uenientem in nubibus caeli, cum summa uirtute & maiestate, repensurum omnibus qui in me patrem reiecerunt. Sic libere & aperte etiam coram atrocissimis dei hostibus ueritas confitenda est, cum interest gloriae dei: quamlibet certissimus, ut hic Christus fuit, magis in nos illos irritaturos, quam ad bonum adiuuaret. Sic enim his uerbis Christus confessus est se esse quod erat, ut tamen uitarit arrogantiæ notam. Et adiecit quod impium pontificem ab instituto facit, olim uenturum cum potestate diuina, iudicem totius mundi. Quem, in dextris uirtutis dei, ut unum & æqualem uisuri sitis cum deo patre, ineffabiliter conceptum & natum. Dextra autem uirtutis dei, est omnipotēs & æqualis potestas & iustitia, quam habere & se ostensurum toti mundo prænunciat. Venire autem in nubibus, hoc est in maiestate glorificati corporis, in gloriosissimis tribunalibus, cui corporalia in terris resistere & contradicere minime ualeāt, sed adorare pronis uultibus cogantur, quamlibet magni & multi & fortes.

Tunc princeps sacerdotum scidit uestimenta sua, dicens: Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: quid uobis uidetur? At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis.

Hoc sermone quantumlibet necessario & uerissimo, magis etiam irritatus princeps sacerdotum, quo ficto religionis studio Christi crimen, ut uidebatur, atrocius faceret, discidit uestimenta sua, more Iudaico et hominum non solum

sanctorum, sed & hypocritarum & impiorum: omnes enim tales legimus uer-
 stes scidisse religionis prætextu. Et ait; Locutus est homo ille in deum blasphemiam. Vsurpat sibi diuinos honores, cum sit homo, Christum se fatetur, dei filium se facit, iudicem mundi totius se iactat, cum sit miser. Quid præterea testibus opus est? quid sollicitamur de testimonijs quibus conuincatur reus turpissimæ mortis? Ecce nunc audistis blasphemiam manifestariam quæ nulla egeat probatione, quæ digna sit mortis supplicio. Quid igitur nunc uobis uidetur? Illi autem omnes acerrimi hostes ueritatis & Christi domini perpetui ocores & persecutores, quid aliud nunc responderent nacti oportunitatem optatam quàm quod mortem commeruit, & reus est mortis, quia blasphemus in deum, & ab omni populo necessario occidendus, si non lapidando, sed atrocius crucifigendo. Quid, inquit impius pontifex, uobis uidetur? noluit à seipso sententiam proferre, sed quasi manifestissimo crimine & blasphemia patente ab illis eam eliceret maluit. Non enim ignorabat, si res in cognitionem & examinationem ueniret exquisitam, maxime apud Pilati tribunal, ab omni eum crimine liberandam. Ideoq; ipsum iam præoccupabant damnare, & auditores alliciunt ad damnandum, cum dicunt: Audistis certe non ferendam blasphemiam. Hæc dicens uagebat & impellebat ad sententiam proferendam. Quid igitur illi consentaneum certe consiliarij scribæ & pharisæi? Reus est, inquiunt, mortis, ut condemnatus hac uoce Pilato offeratur occidendus secundum eorum legem, non amplius audiendus. Sæpius quippe eorum ora frenauerat, ideo ex his quæ iam nunc dicta fuerant ipsis testibus & actoribus ipsum condemnare cupiebant & insistebant. Sic callide cuncta ac malitiose agebāt, nihil tale proferunt ante Pilatum, sed hoc tantum: Nisi malefactor hic esset non utiq; tibi tradidissemus eum. Cur autem non illum interfecerunt occultius? Pessimam de Christo existimationem suscitare uolebant; multi enim erant qui signa illius et portenta doctrinam queq; & uitam magnifice prædicabant & admirabantur. Ideo publice necari uolebant, quod & Christus uoluit, & exaltari in cruce, qua manifesta morte contrarius est consecutus euentus ei quam impij optabant. Illi enim ad dedecus ipsius publice eum necauerunt, ipse autē summa in gloria toti mundo effulset, lucidus daïs contra toto mundo iam ad tantū temporis turpissime tractatis & habitis.

Isai. 50. 6

Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autem
 tem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe,
 ste, quis est qui te percussit?

Nunc uelut iure condemnatum sæuire cœperunt ludibrijs, quorum nihil
 non mansuetissime passus est Iesus, ut absolutum exemplar tolerantia suis ex-
 hiberet. Expuebāt in faciem eius, et uelata facie eius impingebant illi colaphos;
 rursus alij palmas incutiebant in faciem eius, dicentes: Vaticinare nobis Christe,
 ste, quis est qui te percussit? His contumelijs exprobrabant ei, quod Messias ha-
 beri uoluisset, quod prophetæ titulo à populo honoratus. Nos irum est exper-
 dere ad quid hæc dominus passus sit, ut scilicet tolleretur nostra & totius mundi
 delicta, & nostris peccatis satisfactio fieret ad tribunal diuinæ iustitiæ, non tam
 quo modo & quando & ubi, quando hoc per parum ædificet, illud autē fidem
 in Christum, dilectionem ad proximos, & timorem sanctum promoueat in con-
 ni uita nostra. Furor etiam hostium Christi scribarum & pharisæorum, nempe
 cum sua hypocrisis obseruandus est, ne nimium turbentur eadem experti: esse
 nim semper sui similis impietas.

Petrus

Petrus uero sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, uidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento, Quia non noui hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cepit detestari et iurare, quia non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit. Et recordatus est Petrus uerbi Iesu qui dixerat illi: Prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, fleuit amare.

Cum sit satis clara historia negationis Petri, qua ter dominum abnegauit, de loco tamen et tempore Euangelistarum concordia difficile ostenditur duabus rationibus. Primum quia quidam uolunt Petrum abnegasse Christum secundum in curia Annæ, bis in atrio Caiphæ episcoporum; ibi enim frequenter dominus abnegatur. Alij asserunt Petrum ter negasse in domo Caiphæ, ut hic Matthæus simpliciter narrare uidetur. Facilis & sufficiens est concordia in rebus huiusmodi, ut hic quod res est dicamus; Euangelistas non curasse anxie admodum conditiones personarum, loca quoque uel tempora, qui inueniuntur etiam in alijs locis frequenter historiae ordinem non tantopere designasse, sed substantiam negotiorum & uerborum Christi. Satis ergo fuit illis exprimere Christi uerbum quod dixerat ad Petrum ad retundendum temeritatem Petri: Antequam gallus emittet uocem suam, uel tertio cantauerit, ter me es negaturus. In hoc autem constanter consentiunt omnes Euangelistæ, unde & quisque in suo Euangelio ternam Petri negationem repetit diligenter. In primis autem in hac historia considerandum, quomodo Petrus Christus respexit ad gallicantum, parato peccato. Ita fiet olim, ut qui abnegauerint ueritatem perdididerint Christum, nihil habeant reliquum spei & solatii quam respectum Christi & fletum. Uoluit autem in peccatum cadere, & permisit precipitari Petrus Christus magno exemplo, ne ecclesiæ rectores & doctores superbiant uel nimium praesumant de autoritate, scientia, uel uirtute, quando facile labi possunt, & in multis quoque omnes offendunt, & egent gloria dei & gratia. Est autem hic locus magnum exemplum misericordiae diuinæ, ut non mirum sit, perpendentibus quantum studio omnes Euangelistæ abnegationem Petri diligenterque descripserint. Quoniam Euangelium commendat & prædicat suauitatem & misericordiam dei: interim tamen non tacet infidelium seruorum gehennam, ubi est fletus & stridor dentium, & exteriores tenebræ; & operum misericordiae exactiones, de quibus in iudicio Christus discutiet eligendos & constituendos ad dexteram. Cantat enim misericordiam & iudicium Dauid & Christus domino. Ideo post tot Petri negationes, non etiam tacetur eius poenitentia, non tam in uerbis & auriculari confessione, quam amarissimo fletu sequente resipiscentiam. Reuersus enim ad se Petrus, recordatus est quod ipsi prædixerat Iesus, iactanti fortitudo pauefactus metu peccarat imbecillitate humana non destinata malitia, meruit misericordiam. Passus est hoc Christus in suo apostolo selecto, ne quis quamuis grauiter lapsus desperet de uenia, modo resipiscat, & animi maculam lachrymis abluat. Petrus enim qui sibi uelut exciderat, ad intuitum Iesu statim resipuit, & egressus fleuit amare.

Marci 14. g

Luca 22. f

Ioh. 18. c

Marc. 15. 4
 Luca 23. 4
 Ioan. 18. c

A **M**ane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderent. Et uinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato praesidi.

Non solum ad Pilatum, sed etiam ad Herodē ductus est dominus, ut uterque domino illuderet. Et cerne sollicitudinem sacerdotum: tota enim ea nox perurgilata est his impijs & crudelibus factis à religionis antistitibus. Cumque appeteret dies, rursus inierunt consilium, & collecti sunt principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderent. Vinctum autem tradiderunt Pilato: habebant enim hunc morem, ut quem adiudicassent morti, ligatum iudici traderent Romano, qui Romana autoritate Hierosolymis praesidebat.

Acto. 1. c

Tunc uidens Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu uideris. Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens, laqueo se suspendit.

Non est necesse intelligere, hoc ipso tempore quo Christus ad Pilatum ductus fuit, Iudam argenteos retulisse: sicut & illud, Videns quod damnatus esset, innuere uidetur hanc accidisse uel post mortē domini uel certe post condemnationē eius à praeside. Saep̄ enim in Euangelistis significatur consequentia non temporis, sed narrationis. Porro exemplum hic Iudas reproborum est, quos saetas imprudentes diu per uaria flagitia iactat: tandem uero ubi ipsis oculi aperiuntur, ut scelerum suorum atrocitatem quidem uideant, misericordiam autem domini non uideant, eo praecipitat, ut salutem & omnia despondeant in aeternum gehennae addicti. Actuum 1. his additur, quod Iudas crepuerit medium, ubi sese laqueo suspendisset. Debuerat certe huius confessio commouisse principum animos. Fatetur auaritię morbo factum, & innocentē fatetur quem prodidit. At illi prorsus efferati, nec aliud quam innoxium sanguinem commouisse responderunt: Quid nostra refert, an nocentem prodideris an innocentem? tu uideris. Iudas iam lucri poenitens cupiebat pacta rescindere, sed illorum crudelitas nullo modo potuit mitescere. Iudas igitur proiectis argenteis ad pedes illorum, recessit, & impium scelus grauiore scelere cumulauit. Agnouit magnitudinem sceleris, sed non agnouit magnitudinem diuinae bonitatis. Fleuit Petrus quam conuerso, & ideo digressus suspendit se laqueo, & medius crepuerit, & effusa sunt uiscera eius. Nihil ergo illi profuit sera poenitentia, per quam emendare non potuit, sed augere. Si quando sic frater peccat in patrem, frustra uoce assumitur poenitentia, hoc est quod de eodem Psal. loquitur: Et cras proditionis nefas, sed proprij quoque homicidij scelus addiderit. Curadum ergo iuxta apostolum: Ne abundantiori tristitia absorbeatur frater, in 2. ad Corin. 2.

Principes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non sicut eos mittere in corbanam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem

inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc uocatus est ager ille, acheldemach, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem.

Rursus hinc cōsultatio instruit inter principes & maiores sacerdotum, qui quo notior esset omnibus ipsorum immanitas, nihil absque communi cōsilio peragebant. Deliberant in quem usum essent collocandi triginta argentei quos Iudas ad pedes illorum abiecerat. Et præpostere religiosi, quum illis nulla esset religio occidere innoxium, & sic de ipsis meritum, Non est fas, inquit, pecuniam hanc referre in corbanam, hoc est in donaria templi, quibus multum religionis tribui uolebant; est enim pretium sanguinis. Non oportet autem templi sanctimoniam sanguine pollui. Atque interim produnt sceleratam conscientiam suam, confitentes innoxium, cuius prodicionem emerant. Itaque ne non esset scelus omnium commune, coacto consilio mercati sunt pecunia agrum figuli cuiusdam, uidelicet in pios usus, ut illic sepelirentur peregrini, ueluti scelus omnium commune, quod erat in manibus, hoc officio pensaturi. Et tamen hac uia pessime consuluerunt suæ famæ; nec enim alio pacto poterant magis tradere suam impietatem. Siquidem res adeo uenit in fabulam uulgi, ut hodie quoque ager ille Syris, hoc est populari idiomate dicatur Acheldemach, hoc est ager sanguinis. Quo autem isti pretium hoc profanatum putarunt, eo reuersum fuit sanctificatum. Vnde in impij & reiecti iam sacerdotij usum cedere non debuit, sed magis ad usum pauperum et peregrinorum, sicut & sanguis Christi potissimum peregrinis & aduenis salutem esse tunc coepit, Iudæis pereuntibus in sua impietate.

Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam, dixit centem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appetiati, quod apud Zach. 11. c. pretiauerunt à filijs Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus.

Hoc uaticinium apud Zachariam 11. legitur, pro cuius nomine Origenes putat à librarijs nomen Ieremiæ adiectum, idque perquam uerisimiliter iudicat. Nam quod de Ieremia 32. adducitur, de empto agro, nihil huc facit, nisi torseris. Explicatum autem hunc locum inuenies loco suo 12. & 13. uersu cap. 11. Zachariae. Insigne autem & memoriale humilitatis Christi signum fuit, ut triginta argenteis uenderetur in mortem, & quidem à discipulo; unde mirum non est, si certo adeo fuerit oraculo prædictum.

Iesus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses, dicens: **Tu es rex Iudæorum?** Dixit illi Iesus: **Tu dicis.**

Postquam Iudæi, ut dictum est, ad accusationem domini satis se putauerunt instructos, surrexit à concilio uniuersa eorum multitudo, & præsentarunt ipsum Pilato. Nolebant autem ingredi prætorium, ne se prophanarent, eodem die ad uesperam pascha suam sancte celebraturi, ita religiosa est iniquitas. Egresso ergo ad ipsos Pilato, & roganti cuius dominum accusarent, responderunt: Si non esset hic malefactor, non tibi eum tradidissimus. Qua responsione superba factis, Pilatus non nihil ut uideatur offensus, iussit illos secundum suam legem eum iudicare. Qui negauerunt sibi licere occidere quenquam, quod ita diuinitus ordinatum esset, ut à gentibus dominus crucifigeretur, id quod ipse suis etiã prædixerat. Coeperunt ergo dominum accusare trium, quod gentem euertisset, utique

Marci 15. a

Luce 23. a

Ioan. 18. f

doctrina quam ipsi execrabatur, quod uetasset tributa dari Caesari, & demum, quod Christum se regem fecisset, quo sperabant illum reum maiestatis se peracturos. Stantem ergo coram se praeses interrogauit, num esset rex Iudaeorum: hoc enim caput accusationis erat. De doctrina enim eius quatenus Caesarem potestati nihil derogabat, non erat sollicitus. Quare autem dominus unde id se interrogaret, an a seipso, uel si audiuisset ab alijs: Volebat enim dominus, ut iure debebat, alienus adeo uideri ab affectione regni terreni, quod absurdum esset huius aliquid de se suspicari. Vnde & Pilatus uelut significans nihil tale se quidem suspicari, dicebat: Num ego Iudaeus sum: Quasi diceret: Equidem Romanus rerum uestrarum ignarus ego sum, nesciens qua ratione Christus uester uenturus sit. Mihi quidem nihil uideris praeter te ferre regium. Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, & hi te huius accusant, quid ergo fecisti: Respondit Iesus, regnum suum de hoc mundo non esse, alioqui haberet suos ministros qui defendere se conarentur. Atque ita Christum caelorum regem se esse confitebatur. Et simul tamen significabat Pilato a se nihil esse periculi metuendum ei regno cui ipse ministrabat, cuius scilicet Iudaei ipsum accusauerant. Hinc itaque colligens Pilatus ipsum nihilominus regem esse, dicebat: Ergo rex es tu? Cui dominus respondit: Tu dixisti. Addit autem causam reddens cur hoc fateretur, quod esset in hoc natus & huius causa uenisset in mundum ut testimonium ueritati ferret, utique huic potissimum quod ipse unus omnium electorum rex & saluator esset, sed quia id electi tantum credunt addebat: Omnis qui ex ueritate est audit uocem meam &c. Videns itaque Pilatus nequaquam eum reum maiestatis laesae, prodijt ad Iudaeos, affirmans nullam se in ipso necis causam inuenire. Continuo principes sacerdotum inualescebant accusantes dominum, quod commoueret populum, docens per uniuersam Iudaeam, exorsus a Galilaea. Pilatus hoc audiens interrogat an sit Galilaeus, quo cognito, quod ad ditionem Herodis pertineret, remisit ipsum ad Herodem qui Hierosolymis erat tunc temporis. Vnde & non parum gauisus est Herodes, cupidus uisendi eius iam prius. Interrogauit autem eum multis sermonibus, sed dominus illi nihil respondit, quamuis adstarent principes sacerdotum & scribae, constanter eum accusantes. Ut igitur dominus Herodi tanquam cani & porco nihil respondere dignaretur, fortasse quia etiam nihil ad gloriam dei facturum interrogaret. Herodes ipsum cum satellitio suo spreuit, qui & induto albam uestem illuferunt, & inde ad Pilatum remiserunt. Hinc uero redintegrata inter Herodem & Pilatum amicitia fuit, quae nonnihil rupta ante fuerat. Sic conuenerunt reges terra contra Christum, Psal. 2. Pilatus autem cum sibi dominus reductus esset, conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit, neque se neque Herodem causam necis in eo deprehendere potuisse, eoque uelle se emendatum ipsum dimittere. Accusabant autem dominum summi sacerdotes de multis. Ipse autem respondit nihil ad ea respondit, sed neque Pilato poscenti suam ad illorum accusationes responsionem, adeo ut Pilatus miraretur. Vnde hic dicitur in Matthaeo:

Et cum accusaretur a principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur praeses uehementer.

Tacuit Christus ad Iudaeorum accusationes, quia sciebat horam aduenisse, ut moreretur, tum erant falsa adeo quorum accusabatur, ut per se Praeses uideret sola

ret sola inuidia ipsum premi. Non igitur erat quod praesidi suam innocentiam multis approbaret, alias abunde eam cognoscenti, si tuendi eum animum habuisset.

Per diem autem solennem consueverat praeses populo dimittere unum uinctum quem uoluissent: habebat autem tunc uinctum insignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quae uultis dimittam uobis, Barrabam, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod propter inuidiam tradidissent eum.

Quoniam nihil Iesus respondet, aliud quiddam excogitauit, cupiens libera re a morte, quem toties praedicauerat innocentem. Mos erat ex condemnatis unum eis dimittere, qua ratione liberare Christum tentauit, ut si nollent tantum innocentem absolueret, saltem ut condemnatum aliquem a principe peterent, quem solennitatis gratia princeps populo gratificando condonaret. Nunc autem e contrario princeps a populo petit, neque sic illi mitigantur, sed inuidentes magis, quasi atroces ferae perturbatione liuoris insaniunt. Nihil enim profus habebant quod etiam silenti obijcerent, sed cumulo iustitiae illius etiam silentis redarguebantur, ita ut tacendo dicacitatem atque furorem illorum superaret. Quomodo autem suspicari potuisset Pilatus, quod innocenti Christo praelaturum essent in damnatione crudelissimum homicidam? Sciens igitur non esse reum, sed inuidia traditum maiorum, ideo plebem Pilatus interrogat. Vnde se ostendit plus aequo molliorem: oportebat enim iudicem gentis pro ueritate & iustitia periclitari. Itaque dignus est condemnatione tanquam ueritatis suppressor & proditor iustitiae.

Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto illi: multa enim passa sum hodie per uisum propter eum.

Cur Pilatus non uidit: quia fortassis mulier eo dignior fuit, aut si praeses somnium huiusmodi se uidisse dixisset, uideri poterat ad gratiam loqui, uel non si bi fuisset adhibita fides: si non dixisset, nihil profuisset omnino, nunc autem pro innocentiae Christi testimonio non nihil profuit. Ideo ex dei dispensatione mulier uidit, ut omnibus notum fieret. Nec solum somniat, uerum etiam multa patitur, ut maritus uxori condolendo tardior reddatur ad caedem. Temporis quoque oportunitas non parum conferebat, eadem enim ipsa nocte, illo tali somnio fuerat exagitata. Non erat autem Pilato tutum dominum liberare, quoniam affectata tyrannidis erat accusatus. Sed id si uerum fuisset, oportebat argumentis quaerere, quibus ista probantur, utpote si exercitum conscripsisset, si pecuniam ingentem conflasset, si arma praeparasset. Ille uero temere ab eis diducitur, ut non sit culpae expers. Maius autem, ait Christus, qui tibi me tradidit peccatum habet. Mollis ergo Pilatus fuit eneruisque. Pontifices autem proterui & malitiosi.

Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populo ut peterent Barrabam, Iesum uero perderent. Respondens autem praeses, ait illis: Quem uultis uobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barrabam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu qui dicitur Christus? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Ait illis praeses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.

Postquam Pilatus uiam se inuenisse aestimaret per legem & mores dominum

Mar. 15. b

Luca 23. b

Ioan. 18. g. 19. c

liberandi, turbis impij sacerdotes persuaserunt contra, ut Barrabam una omnes
 uoce postularent dimitti pro festo. Quis autem tunc dimittendus iustus erat:
 an qui certis iam criminibus condemnatus, an cuius adhuc causa pendebar?
 Nam si quis etiam lata iam sententia dimitti poterat, saluus multo magis ille cu-
 ius res in ambiguo uertebatur. Imò certe homicidæ atq; crudelibus latronibus
 peior illis senioribus Iesus uidebatur, propterea nō dixit latronē, sed insignem
 latronem eos habuisse & famosum, proteruū & multis uitijs inquinatum: præ-
 posuerunt tamen illum orbis saluatori, nulla habita ratione temporis, sed inu-
 diā à sensu alienati, Barraba igitur ab omnibus postulato, quid igitur faciam, in-
 quit Pilatus, de eo qui dicitur Christus? Voluit iterum conuere in felices pu-
 dore saltem, ideoq; relinquit eis potestatem eligendi, ut uel pudefacti Christus
 petant, et ipsorum clementiæ totum tribuatur. Contentiosos illos fieri uidebat,
 cum nihil illum peccasse affirmaret, ideoq; putabat posse illos non nihil persua-
 deri, si humanitati illorum quippiam tribueretur. Illi uero non dubitabant,
 clamare, Crucifige. Ad quod ipse: Quid mali fecit? Illi uero magis clamabant,
 Crucifige. Sic satanæ & ministris eius obnoxium est, quicquid non ad bonum
 confirmatum est uirtute ex alto, Paulò ante his benedictus Christus erat, nunc
 ad crucem poscitur, præ deploratissimo latrone & seditioso. Videns igitur pro
 historia ex omnibus ordinanda Euangelistis, hoc consilium non processisse,
 conuertitur ad aliud, cuius & ante meminerat. Nullum, inquit, crimen capita-
 le comperio in eo, castigatum ergo illum dimittam. Et apprehensum Iesum se-
 cit flagellari. Tunc milites præsidis duxerunt eum intrò in atrium, quod est præ-
 torium, totaq; cohorte congregata exutum suis uestibus, amici uerunt clamay
 de coccinea, & plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, arundin-
 nemq; dederunt in dexteram eius, tum genu flexo in speciem adorantium, illi
 debant ei salutantes eum, Aue rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Cumq; ex-
 puissent in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Flagella-
 tum itaq; dominum, spinis coronatum, consputum, cæsum, & illusum, eduxit
 Pilatus foras ad Iudæos, uel miserabili eo spectaculo sperans eorum erga illum
 odium emolliturum. Ecce adduco eum uobis, inquebat, ut cognoscatis, quod
 nullam in eo causam inuenio. Exiit ergo Iesus foras, gestans spineam coronam
 & purpureum pallium. Et dicit eis Pilatus: Ecce homo. Pontifices autem & mi-
 nistri uiso illo clamabant, Crucifige eum, crucifige eum. Quibus præses: Acci-
 pite eum & crucifigite: ego enim nullam in eo supplicij causam inuenio, quia
 tra Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia
 filium dei se fecit. Cum hoc audisset Pilatus magis timuit, nimirum Iesu causa,
 ne fortè aliquid tale præ se tulisset, & non posset adeò à se absolui. Vnde præto-
 rium iterum ingressus, dicit ad Iesum: Vnde es tu? Sed Iesus ei nihil respondit:
 satis enim antea ueritati testimonium tulerat, professus se quidem regem Christi-
 stum, sed cuius regnum non esset huius sæculi. Vnde nihil erat, quod Pilatus
 potestati Cæsaris sui timeret, aut causam haberet contra eum pronuntiandi. Pila-
 tus offensus, quod sibi non loqueretur, dicebat ei: Cur mihi non loqueris? Ne-
 scis mihi potestatem esse crucifigendi te & te absoluendi? Eo autem uerbo con-
 plus æquo sibi arrogasset, quod in contemptum dei uergebat, à quo desinito con-
 filio potestati tenebrarum in præsens permissus fuerat, nemine alioqui quicq;
 contra ipsum potente, castigat dictum præsidis: Non haberes potestatem, in-
 quit, aduersum me ullam, nisi tibi datum esset è supernis. Nunc cum magistra-
 tu fungeris, accepta diuinitus in me potestate: minus sanè peccas quam si quæ-
 reres tibi

tibi me tradiderūt ex solo mei odio, Ex eo quærebat Pilatus absoluere eū. Iudei autē clamabant, dicentes: Si hunc absolueris, non es amicus Cæsaris: quicumq; enim se regem facit, contradicit Cæsari, Instabant itaq; uocibus magnis, postulantur ut crucifigeretur, & inualescebant uoces eorum ac summorum sacerdotum. Pilatus autem cum audisset hūc sermonem produxit Iesum foras, seditq; pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice uero Gabbata. Erat autem parasceue paschæ dies, qui proxime paschæ diem antecedebat, quo parasceue ad festum requirebantur. Et hora fermè sexta, id est circa finem secundæ portionis diei, quæ secunda portio incipiebat à tertiâ diei hora usq; ad sextam. Dicebat ergo sic sedens Pilatus pro tribunalibus Christo præsentem: Ecce rex uester. Quasi diceret, Vos contenditis hunc se regem uestrum fecisse, inueni eum ut nihil tale præ se ferat. Illi autem clamabant: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem uestrum crucifigam, irridens scilicet eos, Illi contra: Non habemus regem nisi Cæsarem. Huc eos furor agebat, ut regnum Messæ quod gens uniuersa audivissime expectabat abnegarent semel.

Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, uos uideritis.

Non ergo tradere debuit, sed eripuisse, ueluti post eum egit militum tribunus, qui sciebat quidem gratum fore Iudæis si Paulus traderetur, etsi seditio eade re facta fuit, restitit tamen generose atq; repugnauit: sed non ita nunc Pilatus repugnauit multitudini, nec multitudo sacerdotibus, omnes facti sunt inexcusabiles, magis ac magis clamantes, Crucifigatur, ut turpissima eius causa uideretur. Ideo iudice repugnante pertinaciter clamabant, quamuis multipliciter à Christo retraherentur, sicut & Iudas, tum per totum Euangelij tempus, tum in ipsa iudicis actione. Oportebat profecto, quando uiderūt iudicem manus lauisse, dicentē: Innocens ego sum à sanguine iusti huius: quando Iudam laqueo se suspendisse, quando rogātem Pilatum ne alium pro ipso acciperent, innocentem quem crucifigi iudicabat. Et si nolebant innocentem absoluerent, hominem tamen latrocinij famosum ei præponere non debebant. Verum cum uiderunt iudicem lauare manus, & audirent innocentem affirmare, magis insanientes clamabant ut tolleretur ac crucifigeretur: ratione sopita uoluntas & odium loquuntur, non attendunt quid deceat, sed quid libeat furibundis.

Et respondens uniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros.

Quando ergo tantam aduersus seipsum sententiā protulerunt, tunc omnia Pilatus concedit. Tu autem animaduerte hoc etiam in loco, uecordiam & insaniam ipsorum, ob quam nihil boni uidere poterant. Semetipsos maledicunt, nec hoc contenti, filios quoq; suos maledicunt in omnes ætates & generationes. Id quod interim nunquam tam longo tempore sentire non desinunt, omnium in hoc mundo hominum infelicissimi, exules toto orbe, ac omnibus odiosissimi nationibus. Clementissimus tamen dominus, quamuis maxime contra seipsum & contra posteros insanirent, nō tamen ex ipsorum sententiâ condem-

nauit omnes, quin tam ex ipsis tunc uiuentibus & acclamantibus, tam ex filiis ipsorum suscepit multos ad insignem gratiam, qui poenitentiam egerunt, miliaque bonis & honoribus exornauit, & gratijs dotauit. Nam & Paulus ex ipsis erat, & multa illorum milia, qui in Christum Hierosolymis crediderunt. Considerans enim, Iacobus ait, frater, quam multa milia Iudaeorum credentium sunt qui omnes ex illis fuerunt.

Tunc dimisit illis Barrabam, Iesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

Cur flagellis caedit aut quasi condempnatum aut quasi formam iudicio quamdam afferens pro more damnatorum uel ut Iudaeis gratiam rem faceret qui res pugnare potius debuisset, praesertim cum dixerit: Accipite eum uos & secundum legem uestram iudicate ipsum: Multa namque fuerunt quae tam Pilatum quam Iudaeos ab illo nephando iudicio prohibebat, inaudita signa, miracula magna, incredibilis eius qui patiebatur clementia, taciturnitas inestimabilis. Nam postquam orando & respondendo hominem se esse monstrauit, sublime rursus & ultra hominem tam silendo quam despiciendo quae dicebantur ostendit, sed nihil horum illis profuit.

Marci 15, b
Ioan. 19, a

Tunc milites praesidis suscipientes Iesum in praetorio, congregauerunt ad eum uniuersam cohortem: & exuentes eum, chlamydem cocci-
D neam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius: & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudaeorum.

Hoc loco impletur dictum Davidis: Opprobrium insipienti dedisti me. Milites enim cum insipientes essent, se digna faciebant. Chlamyde pro purpura ut regem induerunt, calamum pro sceptro dederunt, coronam pro diademate. Adorabant autem illudentes: hoc enim significat genu flectere, hoc est adorare & sese incuruare. Vide quomodo nullam contumeliae speciem obmiserunt, iniuria afficientes faciem sputis, caput corona, manum calamo, reliquum corpus chlamyde, aures uerbis irrisorijs, omnia autem per Ironiam, ut ex innoxij domini ludibrijs crudelissimam sibi caperent uoluptatem, partim ingenio suo obsequentes, partim a Iudaeis instigati, & quia se regem iactasse audierant Iudaeorum, ueluti exprobraturi homini tam contempto superbia affectati regni, spoliatum uestibus suis regale uelut pallium induunt, coronam spinis contumeliam capiti imponunt.

Et exuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum uestimentis eius, & duxerunt eum ut crucifigeretur.

Non his contenti contumelijs, expuerunt in eum, & arundine quam sepe patri uice dederant in manus, cum opprobrio rapientes percutiunt spinis coronatum caput eius. Quumque nihil contumeliae obmitterent, ille summa mansuetudine passus est omnia, quo suis absolutum aederet exemplum tolerantiae. Postquam igitur milites omnium ludibriorum genere satiascent animos & oculos cohortis, rursus detrahunt illi chlamydem, & proprijs eum induunt uestimentis, quo magis agnosceretur ab omnibus. Educunt igitur Iesum e praetorio iulantem crucem suam. A gentibus autem tunc apud Iudaeos rerum potentibus uoluit dominus morti adiudicari & occidi, ut tanquam iure occisus ignominiosus

miniosius quidem moreretur, ac in eo quod à Romanis quibus tunc totus ferè orbis parebat damnatus. Ipsis quoq; summa uirulentibus, ubiq; tamè regnū suū affulgere fecit, ut uirtus diuinitatis suæ potentius declararetur in toto orbe tunc Romanis subdito.

Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariauerūt, ut tolleret crucem eius. Et uenerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus.

Marc. 15. b

Lucæ 23. d

Ioan. 19. d

Egrediens de pratorio Iesus ipse portauit crucem suam, inter eundem autem apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, patrem Alexandri & Rufi, uenientem ex agro, & illi imposuerunt crucem, ut portaret post Iesum. Id forte fecerunt, quia iam Iesus debilius factus esset, quàm ut tantam ligni molem portare posset, ideo hunc compulerunt baiulare crucem Iesu, hoc est Caluariam. Extra urbem autè & foras portam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum, & Caluariæ, id est decollatorum sumpserunt nomen, quod funestus est is locus ossibus & caluarijs interfectorum. Propterea autè ibi crucifixus est dominus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur uexilla martyrij. Et quomodo pro nobis maledictum crucis factus est, & flagellatus & crucifixus, sic pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigeretur. Sequentibus autem dominum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant et lamentabantur: neq; enim omnibus amor & obseruantia eius exciderat. Ad has conuersus ille dixit: Filie Ierusalem, nolite flere super me, sed super uosmetipsos & super filios uestros flete. Venient enim dies in quibus dicetur: Beatę sterciles & uentres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt. Tunc incipient montibus dicere: Cadite super nos, & collibus operite nos. His futurę obsequia & excidij calamitatem illis prædicebat. Addebat autem: Qui si in humido ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Quo significauit, Si diuina uoluntate ita in se seuietur innocetem, & ligno humido & fructifero similem, multo durius seuiendum in gentem Iudaicam, ligno arido & sterili similem. Similis locutio in 1. Epistola Petri cap. 4. Si primum incipit iudicium à uobis, quis finis eorum qui non credunt Euangelio dei? Ducebantur autem & alij duo facinorosi cum eo ut interficerentur.

Et dederunt ei acetum bibere cum felle mixtū, & cum gustasset, noluit bibere. Ne qua pars esset corporis à cruciatu libera, aut ne quid omitteretur ludibrii, porrexerunt ei poculum ad bibendum aceto & felle temperatū, ut impletur quod dictum est in uaticinio: Dederunt in escam meam fel, & in siti potauerunt me aceto, sed ille cum gustasset non sumpsit. Ibi ergo crucifixerunt eum & duos latrones cum eo, unum à dextris, alterum à sinistris eius, ut impletur scriptura Isaia 53. Et cum sceleratis deputatus est. Iesus autem dicebat: Pater remitte illis, nesciunt enim quid faciunt.

Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt uestimenta eius, sorte mittentes: ut impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Et sedentes seruabant eum.

Marc. 15. b

Lucæ 23. c

Ioan. 19. d

Psalm. 21. e

Milites cum crucifixissent Iesum, acceperunt uestimenta eius, feceruntq; quatuor ex illis partes, ut unicuiq; militi pars una cederet. De tunica uero in-

confutili & per totum contexta, quia scindi commode non potuit, sortem miserunt, ut illud Psalmi impleretur: Partiti sunt uestimenta mea sibi &c. Et affidentes cruci seruabant eum ne quis eum tolleret.

Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus rex Iudæorum.

Hunc titulum dispensatione diuina Pilatus imponi iusserat, scriptum quoque Hebraice, Græce, & Latine, continentem hunc sensum: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Iudæi autem cum hanc inscriptionem legissent, ut erat locus hic prope Ierusalem, petebant à Pilato maxime pontifices, ut scriberet Iesum dixisse: Ego sum rex Iudæorum, non simpliciter rex Iudæorum. Verum ille scripturam, diuina ordinatione adductus, immutare noluit, quæ sanè uerum Euangelium Christi continebat, qua scilicet prædicabatur uerus ille esse & indubitatus Messias rex Iudæis missus. Ita in media morte cœpit ad gloriam exaltari, & regnum suum auspiciari.

Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris.

Quin & hoc curatum est à Iudæis, ut simul cum eo crucifigerentur duo latrones, sic ut Iesus medijs à dextris haberet unum, ad leuam alterum, ut omnibus & ipse uanus & impostor haberetur, & illorum similis quibus erat adiutor. Fiebant hæc ad iniuriarum redundantiam. Figura autem erat duorum populorum Iudaici & gentilis, qui uterque præuaricatores erant & flagitiosi, ac Christo exprobrantes: sicut & primum ambo latrones improperabāt, & posterior resipiscens confessus est regem, ideo & dicebat: Memor esto mei in regno tuo: sic & gentilis quoque populus blasphemabat. Impiorum quoque & iustorum iudicem significabat hæc distributio olim uenturum, & constitutorum oues & iustos à dextris, hædos autem & impios à sinistris.

Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum dei, & in triduo illud reedificas, & salua te ipsum: si filius dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus, dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in deo, liberet nunc eum si uult, dixit enim, Quia filius dei sum.

His tantis malis nondum erat saturata Iudæorum crudelitas. Insultant pro caciter crudelissime crucifixo Christo domino, non latronibus, idque scribis & seniores cum sacerdotibus, & ad id quoque populum incitabant. Prætereuntes enim conuicia iaciebant in eum motis capitibus subsannantes eum: Vah tu ille qui demoliris templum dei, & triduo rursus instauras? Pollicebaris alijs salutem, nunc si potes saluare, quare non saluas te ipsum? quare non de cruce te absoluis & sanas? Iactabas te filium dei, is si te diligeret & haberet pro filio, non pateret te tractari tam crudeliter, saltem nunc tibi suppeditaret uirtutem, quæ à cruce te expedires. Sacerdotum primores non nisi satana illusi Christo illudent, crudeli iam supplicio affecto. Satis esset ad omne tormentum, si quis iuste uel iniuste uita priuaretur. Miseris insultare magnæ crudelitatis impietas est. Contumeliosius autem insultat Christo, Alijs, inquiunt, salutem contulit, nunc sibi ipsi non potest esse saluti. Si rex Israel est, ut uideri uoluit, declarat nunc quid sit, et quid possit.

Ioh. 1. 2. d

Sap. 2. d

Sap. 21. e

possit, descēdat de cruce & credemus ei: confidit in deo quem iactabat patrem suum, liberet eum nunc si diligit eum. Confitentur interim saluatorem qui alios saluos fecerit, ut ipsorum illos damnet confessio: qui enim saluos fecit alios, utiq; si uellet seipsum saluare poterat. Descendat, aiunt, nunc sic tam crudeliter tractatus, & suffixus cruci, & credemus ei. Fraudulēta promissio. Quid enī plus est, de cruce adhuc uiuentem descendere, an mortuos suscitare quatrūdū nos, uel de sepulchro resurgere rediūuum? Resurrexit & non credidistis. Ergo si etiam de cruce descendisset, similiter non crederetis. Sed mihi, ait Hieronymus, hoc uidentur dæmones immittere. Statim enim ut crucifixus est dominus, senserunt uirtutem passionis Christi, intellexerunt fractas esse uires suas. Hoc ergo agunt, ut de cruce descendat, Dominus autem sciens aduersariorum insidias, permanet in cruce, ut diabolum destruat, & de inferno triumphet. Ipsū autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

Ut omni ex parte conuictis incessetur innocentissimus Iesus, latrones quoq; supplicij socij similia quædam exprobrabant illi. Quæ omnia pertinaci patientia tolerauit Iesus, ut perageret salutiferū illud pro omnibus sacrificium. Continuit uirtutem diuinam, & humanam naturam totam omnibus cruciatibus exposuit. Et adeo non regessit aut ultus est tam atrocem maledicentiam, etiam iam morienti irrogatam, & ipsa cruce acerbiorē, ut patrem interim deprecatus sit pro militibus ac Iudæis, insultantibus & alterum à latronibus respicientem receperit in paradysum suum.

A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super uniuersam terram, usque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamauit Iesus uoce magna, dicens: Eli, eli, lamma sabachtani: hoc est, deus meus, deus meus, ut quid dereliquisti me? Psal. 22.

Dum hæc ita fierent, appetijt horæ sextæ initium, meridies nempe, tertiæ diei pars, quæ & ipsa solebat tota usq; ad horam nonam sexta hora uocari. Diem enim habebant finitam quidem duodecim horis, totidem & noctem, utranque per quatuor partes distinctam. Noctis partes uocabant uigilias. Facta ergo iam sexta, tenebræ cœperunt super totam illam terram usq; ad horam nonam: tunc clamauit hora nona uoce magna, dicens Syriace potius & materna lingua q̄ Hebraica: Eli, eli, lamma sabachtani. Qui si Hebraice orasset, dixisset, Eli, eli, lamma azabtani, à quo exemplaria omnia uetusta abhorrent, quæ habent etiam apud Græcos, sabachtani. Satis autem constat Christum suo eloquio semper usum materna & uulgata lingua, non Græca quæ exotica habebatur, nec Hebraica quæ peritissimorum tantum erat, sed Hierosolymitana & Syriaca aut Palestina non multum abhorrente à Hebraica. De hoc autem Psalmi 22. initio & totius Psalmi sensu ibidem uide. Interim sol ipse sensit innoxij supplicium, & huius facinoris in dei filiū tam impij non sustinuit esse spectator. Obduxit atraxta uis faciem suam, & totam eam regionem caligo quædam obtexit, ab hora sexta usque ad horam nonam, quando hæc Christus Dauidica uerba magna uoce expressit.

Quidam autē illic stantes & audientes, dicebant: Eliam uocat iste. Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri uero dicebant: Sine, uideamus an ueniat Elias liberans eum.

Quidam astantes ex gentibus non quidem omnino nihil scientes de rebus Iudaicis, sed tamen Hebraicam linguam ignorantes audientes procul, Eli, ac suspicantes eum implorare auxilium Eliæ, dicunt: Eliam uocat ille. Videamus an opituletur ei. Tum Iesus, ut ostenderet ueram esse mortem quam pro omnibus oppetebat, clamauit: Sitio: solet enim sitis uulnera & sanguinis profusio- nem comitari, quæ nonnunquam est illis supplicium morte atrocius. Et accu-rens quidam spongiam imbutam aceto, impositam summæ arundini admouit ori pendentis. Vehementer sitiebat Iesus salutem hominum, sed Iudæi præter fel & acetum nihil offerunt. Itaque rursus abstinuit, dicens: Consummatum est, significans nihil esse prætermissum quod ad eius sacrificij ritum pertineret.

Iesus autem iterum clamans uoce magna, emisit spiritum.

Clamauit autem secundum Ioannem, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et cum hæc dixisset, inclinato capite, tradidit spiritum, declarans huiusmodi notis se sponte ponere animam suam. Vbi spiritum suum patri commendasset, emissa magna uoce & inclinato capite mortuus est. Diuinæ potestatis indicium est, emittere cum ualido clamore spiritum, unde & ipse dixerat: Nemo potest tollere animam meam à me, sed ego pono eam à meipso, & rursum accipiam eam.

Et ecce uelum templi scissum est in duas partes, à summo usque ad deorsum: & terra mota est, & petra scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exi- untes de monumentis post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

Velum templi aliqui linteum uolunt, medio templi pendens, discernens inter sanctum sanctorum & sancta, ut quoddam interstitium. Verius uidetur paries fuisse extructus, in qua ianua erat qua ad sanctum sanctorum ingrediebatur summus sacerdos, quod uelum templi dicitur, quia loco ueli erat quod in tabernaculo Moysis pendebat. Scinditur autem nunc illud uelum, demonstrante domino, quo sancta sanctorum inaccessa hæctenus & nunquam ingressa uantur, & aperiantur, ita ut omnibus sint spectabilia: uel quod legalia omnia reuelentur, quæ prius litera ut uelamento quodam cooperta fuerant, & quæ prius obscura ac plena ænigmatibus erant, manifestentur nunc per Christi domini passionem & mortem, ac impleantur. Et sicut mos erat Iudæis in auiditis blasphemijs contra deum scindere uestes, ita nunc quoque templum sacrum quasi Christi mortem ægre ferens & abhorrens, suam dirupit uestem. Elementa quoque commota declarant eum qui patiebatur opificem suum, & factam re- rum multarum mutationem, transitionis diuinæ à Iudæis in gentes. Petre quoque hoc est lapidea corda gentilium diuisa sunt, & susceperunt semine ueritatis. Mortui quoque peccatis surrexerunt ad gratiam remissionis perfectæ, exemplar facti uitæ bonæ & sanctæ conuersationis. Mortuorum autem resurrectio facta est per crucem domini, & redemptio ab omni peccato animam occidentem. Apparuerunt autem multis, ne phantasma esse uideretur resurrectio domini, cuius sua resurrectione præcones esse debebant pariter & ascensionis.

Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum, uiso terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt ualde, dicentes: Vere filius dei erat iste.

Incipiebat statim à morte domini Euangelij prædicatio clarior & famosior, quod improbi Iudæi delere uoluerant, & ubi unus occisus est, ibi iam plures Christiani suppullulant. Specimen sanè hoc fuit celeberrimi fructus, qui à morte eius expectandus erat, nimirum ut iam plurimi præcipue autem gentium, ipsum Christum agnitiuri essent, & per eum patrem, atq; ita in ipso uitam æternam percepturi. Verè dicunt filius dei erat; diuinum aliquid in eo fuit, & cœlestis quoddam numen, unde talis potentia æderetur, deoq; summo & uero hunc dominum Iesum intelligebant gentiles fuisse acceptissimum.

Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ fuerant Iesum à Galilæa, ministræ ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi.

Maria Magdalene ea erat quæ dominum sequebatur à Galilæa, è facultatibus suis ei ministrans, & à qua dominus septem eiecerat dæmonia. Mariã autem matrẽ Iacobi & Ioseph, Theophylactus Græcos sequens & ipse Græcus, scripsit deiparam esse; Iacobus enim, ait, & Ioses filij erant Ioseph è prioris eius uxore. Verum quia deipara uxor dicebatur Ioseph, merito & filiorum eius dicebatur mater, hoc est nouerca. Mater autem filiorum Zebedæi Salome dicebatur, quam deiparæ sororem quidam dicunt, alij & ipsam aiunt filiam Ioseph nutritoris Christi: quæ ea ratione adduco, ne tam temere asserantur à nostris ea quæ dubia dudum fuerunt Græcis. Hæ, inquit, mulieres spectantes ea quæ fiebant, ut sunt compatientissima, primæ quoq; fruuntur bonorum contemplatione. Et discipuli quidem fugiunt, mulieres autem fortes sunt. Et hæ mulieres notæ familiares & amicæ erant domino. Stabant nihilominus à longe: id uero fit non quia non gererent magnū erga eum dilectionis affectum, sed quia à prophetis prædictum erat: *Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria.* Sed ante solis occasum è cruce depositus est dominus, & Pilati iussu traditus Ioseph ab Arimathæa, ut sequitur.

Cum autem sero factum esset, uenit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu: hic accessit ad Pilatum, ac postulauit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus.

Marci 15. d
Luce 23. g
Ioan. 19. g

Cum iam serum uel uespera fieret, sole scilicet ab hora nona tendente deurgenteq; ad occasum. Necdum enim uespera facta erat, cum Ioseph petijt corpus Iesu, quandoquidem & ante initium noctis durante adhuc parasceue tantum, in quo neq; corpus deponi neq; sepeliri licuisset. Iste autem Ioseph talis & tantus delitescerat quidem olim, nunc autem magnam rem audet, ponens animam suam pro corpore magistri sui, tantasq; inimicitias Iudeorum suscipiens. Porrò pro magno dono donatum est illi corpus Iesu: nam cum ut seditiosus esset occisus, reliquum erat ut insepultus abijceretur. Cum uero diues esset Ioseph, facile à Pilato obtinere potuit quod uolebat; nota enim Romanorum auaritia est.

Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.

Ioseph corpus Christi quod impetrauerat honorifice tractans in sepulchro proprio suo & nouo recondidit, in quo nullus unquam positus fuerat, id quod

diuina dispensatione factum, ne quum resurrexisset dominus, posset quis dicere, quod alius ante eum sepultus illic mortuus resurrexisset, ideo fuit nouum monumentum. Ostenditq; saxum magnū fuisse, quod absq; auxilio plurimorum etiam uirorum sepulchrum illud Christi non potuerit reserari. Omnia hæc ita sunt diuino consilio, ne impij Iudæi sæuirent in corpus sacrum, aut ne quis suffosso sepulchro posset furtim tollere, uel saltē opinionem huiusmodi falsificationis & furti in fidei iacturam diuulgare.

Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.

Cum Ioseph ille uir nobilis & Nicodemus dominum cum aromatibus litis teis ligauerunt, & ritu Iudeorum sepelierunt, aderat Maria Magdalene & Maria Cleophe, quæ secutæ erant dominum à Galilæa, è regione sepulchri sedentes, & locum explorantes, ut transacto sabbato uenire possent cum unguentis, & illinire corpus Iesu: tunc enim neq; unguenta habebant, neq; ungere poterant, aduoluto ad ostium monumenti prægrandi saxo.

Altera autem die, quæ est post pasceuen, conuenerunt principes sacerdotum & Pharisei ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc uiuens, Post tres dies resurgam, uel be ergo custodiri sepulchrum usq; in diem tertium, ne fortè ueniant discipuli eius & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore.

Altera hæc dies sabbatum erat celeberrimū, & ipsa prima dies azymorum ac paschatis duplex solennitas. Pasceue autem præcesserat, in qua crucifixus fuerat dominus, in quo parabatur necessaria pro sabbato. In huius sabbati principio cum intellexissent iam sepultum dominum, uenerunt principes sacerdotum & pharisei ad Pilatum, uocantq; Christum dominum summi patris filium æternam sapientiam seductorem: dixeruntq; se recordatos esse, eum dixisse dum adhuc uiueret, quod post tres dies resurrecturus esset: quod per se de intelligi potest ac si dixisset, intra tres dies, siue per tres dies, aut tertia die.

Ait illis Pilatus: Habetis custodiam: ite custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signātes lapidē cum custodibus.

Non suffecerat principibus sacerdotū & phariseis crucifixisse dominum saluatorem, nisi sepulchrum custodirent, cohortem acciperent, signarent lapidem, & quantum in illis est manū opponerent resurgenti, ut diligentia eorum nostræ fidei proficeret. Quanto enim amplius reseruatur, tanto magis resurrectionis uirtus & ueritas ostenditur & confirmatur, unde & in monumento uo quod excisum fuerat in petra conditus est, ne si ex multis lapidibus reseratum esset, suffossis tumuli fundamentis ablatus furto diceretur. Dum ergo resurrecturo conantur exitum occludere, auxerunt miraculum & fidem resurrectionis.

CAPVT XXVIII.

A Espere autem sabbati quæ lucefcit in prima sabbati, uenit Maria Magdalene, & altera Maria uidere sepulchrum.

Potest duplicem habere sensum hæc litera. Vel quod ad uesperam eius diei quæ fuerat magna solennitas paschæ in sabbato magno iam finito, ad solis occasum mulieres sese parauerint cum aromatibus, ut mane resurrexissent, ut mane resurrexissent, ut mane resurrexissent.

luculoꝝ sequentis diei dominicę uenirent ad monumentum dominum uncturã, nescientes custodiri sepulchrum à militibus. Vel potest uespera sabbati illius cescentis primi, nempe dominicę diei, accipi pro crepusculo matutino, quod finis est eius uesperę, quę cum die constituit totum diem constitutum ex uespera & mane. Potest enim Hebraico more loquendi uespera accipi pro crepusculo tam uespertino quàm matutino. Omnino enim certum est, & ex alijs Euangelistis, mulieres istas diluculo dominicę diei uenisse ad sepulchrũ, in quo corpus Christi iacuerat toto sabbato magno festi paschalis, quanquam eodem die dominico non semel, sed uel bis aut ter sepulchrum adierint, & angelos uiderint. Duę autem Marię hic nominantur, una Magdalene, altera quę & supra dicta est mater filiorum Zebedæi. Tertia non hic nominatur, quę dicta fuerat mater Iacobi & Iosis. Veniunt autem uidere sepulchrum, sedulo uisitabant ut poterant, currunt & recurrunt, non patiuntur abesse se à sepulchro diutius uel longius, cupientes semper scire quid ageretur uel actum esset, & ut ungerent demortui Christi corpus si possent.

Et ecce, terræ motus factus est magnus: angelus enim domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.

Antequam uel mulierum uel discipulorum aliquis ad monumentum uenerat, dominus iam resurrexerat, statim ad principium dominicę diei, quę feria prima erat, dies solis: & prima dicitur sabbatorum, hebdomadę prima dies post sabbatum illum magnum. Iam tunc enim factus fuerat terræ motus magnus domino resurgente, sicut & moriēte. Christus enim filius dei & hominis, iuxta utranq; naturam diuinitatis & carnis nunc magnitudinis suę nunc humanitatis signa demonstrat. Vnde & nunc quanquam sit homo qui crucifixus est, & qui sepultus claususq; tumulo, quem lapis oppositus cohibet, tamen quę foris aguntur ostendunt filium dei. Sol fulgens, tenebrę ingruentes in crucifixione, terra cōmota, uelum scissum, saxa dirupta, mortui suscitati, angelorum ministeria, deum probabant. Nunc angelus uenit custos sepulchri dominici, et potentia ac aspectu suo signat gloriam triumphantis. Descenderat enim iam angelus domini de cœlo, amouitq; saxum ab ostio monumenti, & illi insedit.

Erat autem aspectus eius sicut fulgor, & uestimētum eius sicut nix. Præ timore autē eius exterriti sunt custodes, & facti sunt uelut mortui.

Qualem angelus uult, & domino uolente debet, talem corporis habitum suscipit. Hic improbos custodes terrere uoluit, & famam Christi resurgentis disseminari per hostes hostibus Iudæis. Ideo nūc ut fulgur facies splendet horribilis & consternās, immortalitatis autem statum et gloriosum simul cum gaudio orbi toti prædicando ostendit candor uestimentorum, & festiuis habitibus beatorum, & collatantium resurgenti Christo, cum quo moriente astra & terrę refria condoluerant. Niueo ergo candore lucentia erant uestimenta angelica, unde & timore concussi sunt custodes, & facti similes mortuis. Ipso enim habitu & opera significabat, quod is cuius gloriam resurrectionis nunciabat, & terribilis esset ad damnandum reprobos, benignus autem & blandus ad consolandum electos. In fulgure enim terror timoris, in niue autem blandimentum caritatis exprimitur. In cuius diuinę discretionis indiciũ, ipse quoq; angelus qui apparet, & impios custodes timore perterret, & mortuorum instar terrę prosterneat, deuotas autem sepulchri uisitatrices, benigna consolatione refouet, & ne paueant confortat. Erant enim fœminę affectu turbatę, & anxie ex angelico uultu, & tam insolita maiestate apparente.

Respondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite timere uos: scio enim quod Iesum qui crucifixus est, quaeritis:

Nihil adhuc locuta fuerant, quaesierant uel interrogauerant nihil, sed respondet illarum desiderio & uotis. Timorem quo fuerant anxiae amoliri uult, & tutas reddere de salute tam sua quam eius cuius statum anxie desyderabant, perdiscere. Nolite, inquit, timere uos foeminae ab aspectu meo. Vos, inquit, nolite timere: quasi dicere uolens, timeant Iudaei, timeant homicidae, timeant infideles, qui innocentem occiderunt, Christum dominum saluatorem mundi crucifixerunt, illi timeant superuenturum sibi iudicium graue, & damnationem aeternam: uos non sic. Nolite uos timere, sed gaudete potius, quia quem quaeritis mortuum & sepultum, is nunc uiuus ad gloriam resurrexit, & ad immortalitatem beatam, ad quam uos quoque suscipiet suo tempore. Nunc uult gratulari uos, & congaudere resurgenti & clarificato, pro cuius passione & morte delissime turbatae fuerant, & condoluerant. Scio ego qua ratione adueneritis tremulae mulieres. Crucifixum uestrum praecceptorem & dominum quaeritis, quem huc sepeliri uidistis. Crucifixus est quidem & mortuus, sed nunc a patre pro hac obedientia regnum suscepit, data sibi potestate in caelo & in terra, de qua uobis gaudendum erit, minime timendum.

B non est hic, surrexit enim, sicut dixit: uenite, & uidete locum, ubi positus erat dominus.

Non nunc in sepulchro clauditur quem quaeritis, non est hic secundum corpus, quod nunc est glorificatum, & a mortalitatis conditione alienum. Non est hic iuxta corporis humani praesentiam, qui iuxta diuinitatis amplitudinem nusquam est absens, una cum patre & spiritu sancto praesens & inuis omnibus creaturis. Iuxta corpus autem quod creatura est, nunc non est hic, sed ubi illi complacitum est. In hoc quidem sepulchro conclusum fuerat eius corpus, a diuinitate non separatum, secundum animam in paradiso fuerat amatum sanctis, nunc autem corpus abstulit reunitum animae & uita immortalis donatum. A mortuis enim hoc nunc tertio die surrexit, sicut discipulis praedixerat. Quod si meis uerbis non creditis, uenite, uidete locum, qui corpore uacuo us corporis adhuc habet uestigium, exuias corporis, linthea quibus fuit inuolutus, haec uobis uisa fidem faciant. Dominum dicit positum in sepulchro, ubi corpus iacuerat exanime & occisum. Dominus autem dicitur & fuit, quia iam uiuebat & diuinitate assumente corpus & animam non caruerat. Quamquam enim a corpore fuerat anima separata, utraque tamen semper manserunt diuinitati unita. Dominus est igitur uniuersorum, & dominus dominantium, quem ut despectissimum occiderant Iudaei & crucifixerant.

Etcito euntes, dicite discipulis eius quia surrexit, & ecce praecedet uos in Galilaam: ibi eum uidebitis: ecce praedixi uobis.

Non uobis sufficiat gaudium felix, de certa & gloriosa domini resurrectione audita, sed curate cito & diligenter, ut & discipuli Christi domini in sua angustia perturbati, consolentur de tam iucundo ad immortalitatem reditu, & corporis crucifixi resurrectione a mortuis. Id cito euntes nunciate discipulis omnibus, ut qui de magistri supplicio doluerunt, nunc de gloria resurrectionis exultent, & qui de morte domini trepidauerunt in fide, de ipsius immortalitate rursus exultent & firmentur in doctrina Evangelica uniuersa. Eum si uideretis, ecce praecedet uos in Galilaam, quemadmodum ante mortem praedixit.

tus fuerat: ibi eum licebit uiuum aspicere, quem luxistis indigne occisum & mortuum; ecce praedixi uobis.

Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius.

Inspecto monumēto uacuo inuitatae ad id per angelum ut uiderent locum ubi positum fuerat corpus domini, celeriter praegaudio regressae sunt, partim pauidae ob magnitudinem miraculi, partim ingenti gaudio correptae ob desiderium & spem uidendi dominum rediuiuum, curruntque, ut hoc gaudium comunicent discipulis Iesu. Duplex enim mentes mulierum tenebat affectus, timoris & gaudij, alter de miraculi magnitudine, alter ex desiderio resurgentis, & tamen uterque foemineum concitabat gradum. Pergebant autem ad apostolos, ut per illos fidei seminarium spargeretur.

Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illae autem accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.

Inter eundem obuius sit foeminis dominus Iesus, quo certiora nunciare possent, non tantum audita, sed & uisa, & manibus contrectata. Quibus pauidis, ut animum adderet, dixit: Auete. Quae enim sic querebant, quae ita currebant, merebantur obuium habere dominum resurgentem & primum audire. Illae autem foeminae uiso & agnito domino adierunt, & amplexae pedes adorauerunt eum. Ista nunc in secundo, ut uidetur, cursu & profectioe ad monumentum, de quo suo loco, in totius huius historiae continuatione, tenent pedes domini, quia adorauerunt eum. Ceterum illa quae querebat adhuc uiuentem cum mortuis, & nesciebat adhuc filium dei surrexisse merito audit, Ne tangas me: nondum enim ascendit ad patrem meum.

Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite nunciate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, ibi me uidebunt.

Dominus Iesus foeminis praegaudio festinantibus ad discipulos consolandos apparens, ut illis omnem timorem adimeret, quo rectius perciperent quae essent dicenda, ait: Nolite timere. Primo enim in diuinis uisionibus timor semper pellitur, ut sic mente pacata possint quae dicuntur audiri. Ite, inquit, nunciate fratribus meis: his, inquit, fratribus, de quibus in alio loco dixit: Annunciate nomen tuum fratribus meis. In Galilaea autem dominum conspiciunt, non in Iudaea, sed in gentium multitudine conuertendarum. Non dedignatur fratres appellare, qui partim negauerant se illum nosce, & abiurauerant, post beneficia & gratias, partim aufugerant deserentes. Sic autem blandiens uerbis & gratia attrahens interiore, ad spem regni sui erigere illos uolebat. At uero ut nondum habebat spiritu illustrata pectora apostoli, ubi haec omnia a mulieribus audiuisent, uisa eis fuerunt uerba mulierum deliramenta, nec illis crediderunt.

Quae cum abiissent, ecce quidam de custodibus uenerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia quae facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte uenerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.

Haec custodum regressio uidetur statim a perpeffo timore facta, ac sine dilatione. Videntes enim de caelo angelum cum timore perterrefacti plurimum,

aufugerunt, cernētes lapidem reuolutum ab angelo, & contracta sigilla Iudeo-
rum. Redeunt ergo conciti in urbem, nunciant principibus sacerdotum quæ
uiderint & quæ facta sint. Illi autem qui debuerant conuerti ad pœnitentiam,
& Iesum quærere resurgentem, perseverant in malitia, & pecuniam quæ ad ue-
sta templi data fuerat, uerterunt in redemptionem mendaci, sicut antea trigin-
ta argenteos dederant Iudæ proditori. Omnes igitur qui malitiose agnitam ue-
ritatem Euangelij supprimere cupiunt, & de ecclesiasticis rebus contra Christi
uermum & sacrum Euangelium amicos sibi faciunt, hoc est de mammona inia-
quitate opprimunt iustitiam & fidem, prædicatores ueritatis à proposito san-
cto abstrahunt largitionibus, hi similes sunt scribarum & sacerdotum inia-
tium mendacium, & sanguinem saluatoris pollutum existimantium. Vbi et-
go huiusmodi audissent à custodibus sacerdotes, nempe quemadmodum citat-
is & obsignato sepulchro non esset repertum corpus Christi, & ut angelus mi-
rabili specie saxum summouerit, deq; terræ motu, inito rursus consilio cum se-
nioribus, quum res esset manifestior quàm ut posset dubitari, mendacium ab il-
lis pecunia redimunt, quemadmodum ante proditoris operam pecunia redē-
merant, nisi quod maiora summa redimunt operam mentientium quàm pro-
dentis. Tacete, inquit, quæ uidistis, sed in uulgus spargite quod discipuli-
us noctu uenerint & suffurati sint eum uobis dormientibus.

Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos nos
faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt sicut fuerant edocti. Et diuul-
gatum est uerbum istud apud Iudæos usq; in hodiernum diem.

Fraude pontificum auersa fuit ueritas resurrectionis domini nostri à gente
Iudaica, quia occæcandi & reiiciendi erant. Vt igitur ueritatis dilectionem re-
spuerunt, ita missa illis fuit efficax erroris operatio: licet hoc commentum pon-
tificum per se plus quàm inane esset. Si enim dormierūt ministri custodes, qui
uiderunt discipulos suffurari corpus domini: aut si quis illis postq; euigilaue-
runt narrauit, cur non corpus ab illis repetierunt: quod utiq; per facile fuisset,
fretis præter potentiam præsidis tanto Iudæorum ad id fauore & studio.

D Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi
constituerat illis Iesus. Et uidentes eum adorauerunt, quidam autem
dubitauerunt.

Cum frequenter discipulis suis dominus apparuerit post resurrectionem,
de una sola apparitione, qua undecim discipulis apparuit in Galilæa Mathæus
ius scribit, de qua tamen & prius dixerat angelus mulieribus, & deinde eisdem
ipse quoq; dominus. Iuxta ergo uerbū domini exactis celebratis diebus pro-
fecti sunt undecim in Galilæam, & uiderunt dominum eo loco quē illis consti-
tuerat. Antequam enim pateretur, post corporis & sanguinis sui sacrosancta
instituta mysteria, dixerat eis: Postquam autem surrexero præcedam uos in Ga-
lilæam. Hæc autē domini apparitio, illa insignis uidetur fuisse, qua plus quàm
quingentis fratribus simul apparuit, cuius meminit Paulus 1. Cor. 15. Antea et-
iam apparuit Simoni Petro, Andree, Nathanaeli, & filijs Zebedæi &c. Viderunt
ergo hi discipuli qui descenderant à Ierusalem, cum alijs quos habuit in Gali-
læa multis, & agnouerunt dominum suū, & adorauerunt ueluti iam sublimem
& cœlestem. Nonnulli tamen adhuc dubitabant, donec plurimis & certissimis
argumentis & illis fides facta est, quorū dubitatio profecit ad fidei certitudinem. Et

Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra.

Accedens propius ad illos Iesus, non solum cominus se conspiciendum & contrectandum praeiuit, uerum etiam uoce nota consuetaque locutus est eis, declarans se morte sua consequutum regnum & auctoritatem in caelo pariter atque in terra. Data est, inquit, mihi omnis potestas in caelo & in terra. Vidistis per imbecillitatem carnis esurientem, sitiētem, lassescentem, egenū, contemptum, captum, uinctum, consputum, damnatum, cęsum, crucifixum, omni contumeliarum genere coopertum, & quodammodo infra infimos deiectum homines. Hec omnia quoniam uolens ac sponte toleraui pro salute mortalium, pater me suscitauit à morte, & immortalitatis gloriae donatum euexit ad regni sui confortium, meaque potestati ac ditioni subiecit omnia, quae caelo terraque continentur. Non habetis auctorem cui debeatis diffidere, non habetis dominum poenitentis non sit. Sicut Israeliticum populum mihi peculiarem feci de Aegypto liberando, sic nunc totum mundum mea passione & morte proprium mihi feci.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docētes eos seruare omnia quaecumque mandauimus uobis.

Vestrae partes erunt mihi uindicare, quod in uobis est, omne hominum genus. Id autem agetis non armis bellouae, sed iisdem rationibus quibus ego mihi hoc pepererim, doctrina sacra, uita Euangelio digna, beneficentia gratuita, tolerantia malorum. Ite igitur tanquam bonae fidei legati, ac me auctore freti, docete primum quidem Iudaeos, mox finitimos, deinde cunctas totius mundi nationes. Docete quid de me credere, quid ex me sperare debeant. Primum, ut agnoscant patrem caelestem rerum omnium conditorem, moderatorem, & instauratorem, omnipotentem, qui nihil non uideat, cuius iudicium nullus effugiet, à quo ceu fonte manat omne bonum, cui debetur omnis honos, laus & gratiarum actio. Agnoscant et filium eius, ante omnia saecula genitum, deum ex deo, lumen de lumine, uerbum caro factum, Christum Iesum, per quem aeterno suo & inscrutabili consilio statuit hominum genus liberare à peccatis, & à tyrannide mortis, & per Euangelicam doctrinam aperire uiam ad aeternam felicitatem. Qui hac de causa ex illius uoluntate descendit in terras, natus est homo uerus e uirgine Maria, uersatus homo inter homines, docuit caelestem philosophiam, quae sola beatos reddit. Et innocens pro totius mundi salute afflictus est, & in cruce mortuus pro peccatis. Conditus sepulchro, resurrexit die tertio iuxta uaticinia prophetarum. Hinc dies complures uersatus cum suis, ac certis argumentis declarata resurrectionis ueritate, rursus ascendit in caelum, ubi cōsors regni gloriaeque paternae dexter assidet patri omnipotenti, olim denuo uenturus in mundum, non humilis ut ante, sed cum maiestate diuina iudex eorum quos illa dies uiuos reperiet, et quos iam mortuos angelica tuba subito reuocabit ad uitam. Agnoscant & spiritum sanctum patri & filio consubstantialem, quem uobis iam ex parte impartij, copiosius impartiturus è caelo, cuius arcanus affatus uos consolabitur & docebit, & animos corroborabit fidelium, mutuaque charitate conglutinabit, quaecumque ex gente sint oriundi. Si quis quid deliquerit per imbecillitatem humanam, ueniam consequetur, si permanserit in contubernio sanctorum, ad quod se foedere sancto adiunxerit. Reuiuiscunt quoque mor-

tui, ut & ego reuixi, & suo quæq; anima corpori restituetur. Inter quos fideles mihi adherentes mecum ad uitam æternam transferentur, ut participes sint felicitatis, qui socij & æmuli fuerunt afflictionũ. Hæc ubi docueritis homines, si parati fuerint amplecti Euangelicam doctrinam, tum tingite illos aqua in nomine patris & filij & spiritus sancti, ut hoc sacro symbolo per fidem & dei gratiam ac uirtutem ab omnibus peccatorũ sordibus liberi sint, & cooptati in numerum filiorum dei. Ceterum ne quis satis esse putet ad salutem semel esse tinctum, & professum hanc fidem, rursus docendi sunt quibus modis tueantur innocentiam. A me nihil omissum est, quod pertinet ad parandam uitam æternam, nec spiritus ille cœlestis, quem accipietis, patietur uos obliuisci, quod a me didicistis. Quicquid igitur ego præcepi uobis, id illis seruandum tradite. Non autem præscripsi uobis Mosaicæ legis tot ceremonias, pro Euangelica perfectione iam antiquãdas ut uetera: non pharisaicas constitutiunculas, sed ea quæ sola præstant ueram sanctimoniam ac pietatem, quæq; sola uos deo charos reddant, uereq; felices. Hæc docete Christianos oratione & uita, quemadmodum ego quicquid uerbis docui factis præstiti.

& ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi.

Dum hæc fideliter agitis coorietur in uos mundus, sicut in me coortus est. Non enim conuenit spiritui meo cum spiritu huius mundi. Hic magnis tumultibus coorietur in uos. Verum non est cur diffidatis, quamlibet humiles & idiotæ & imbecilles, quamlibet pauci. Ego uici mundum, & uos meo præsidio meoq; exemplo uincetis. Mea uirtute nõ uestra superabit, quicquid hic mundus habet formidabile. Quanquam autem corpus hoc subducturus sum in cœlum, quod sic expediat uobis, carnis iam uniuersa dispensatione expleta ac finita, propter quam est à uerbo assumpta, tamen nunquã uos destituam. Nam posteaquam corpore desiero esse uobiscum, tum efficacius adero spiritu meo, gratia, influxu, auxilio uirtutis diuinæ. Adero autem usq; ad mundi finem. Interim agite quod uobis mandatum est, semper in illum diem parati. Qui quando docunq; uenerit, tum uos quoq; deposita mortalitate, mecum eritis conformes regni paterni, cuius nullus erit finis.

FINIS.

MENTARIUM

IN

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.